



VERITAS
RELIGIONIS CHRISTIANÆ

CONTRA

Atheos, Polytheos, Idololatras, Mahometanos, & Judæos

Ex mirabili ejus Propagatione per Apostolos & eorum Gesta comprobata

PER

FR. VINCENTIUM LUDOVICUM GOTTI

ORDINIS PRÆDICATORUM

In Bononiensi Universitate Controversiarum Fidei Professorem

NUNC

S. R. E. CARDINALEM.

TOMUS V.



Continens Gesta Sanctorum Petri & Pauli & aliorum Apostolorum &c.





ROMÆ, ex Typographia Rochi Bernabò, MDCCXXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

APPROBATIO ORDINIS.

JUssu Rmi P. N. Fr. *Thomæ Ripoll* totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri novum hoc diligentiæ & laborum indefessorum Emi ac Rmi Dñi Fr. *Ludovici Vincentii Gotti* Opus, cui titulus: *Veritas Christianæ Religionis ex Actibus Apostolorum &c. comprobata*, incredibili gaudio perlegi. Quod verè dixerim Turrim illam Cantic. 4., *quæ ædificata est cum propugnaculis*: quæ nedum fortis & contra hostes Ecclesiæ stat inexpugnabilis, sed ædificata est ad *docendum*, ut legit *Paguinus*, & ad *victoriam*, ut exponit *Theodoretus*; tot enim in Opere isto Christianæ Religionis leguntur triumphi quot litteræ. Non satis est huic Emo Dño, quòd in evertendis stirpitùs erroribus perpetuò vigilem ac sollicitam curam impendat; sed ad trophæum Christianæ Religioni erigendum nunc adlaborat. Non argumentis arte excogitatis, artificiosâ probatione, aut prolixis sermonum ambagibus Veritatem Religionis Christianæ ostendit, sed egregiis mirabilibusque nascentis Ecclesiæ factis; quæ cùm ad miracula & res supra naturam gestas pertineant, tota plaudet æternitas, ac immortali gloriâ in memoriis æternùm vivent. Quæ vis? Qui color eloquentiæ satis esse possit ad modum illum, quo fundata & constituta est Christiana Religio, non laudibus, ut par est, illustrandum, sed leviter adumbrandum? Quo Deus stultam fecit sapientiam hujus mundi, ut per ea quæ stulta sunt Mundi, confunderet Sapientes; per infirma confunderet fortia; per contemptibilia, & ea quæ non sunt, destrueret ea quæ sunt? An non stupeas, quòd hominibus ignobilibus infimis paucissimis imperitis, dogmata sapientia & omnibus sapientiora, à rationisque captu remotissima, *Christi* Resurrectionem ejusque Ascensionem in Cœlos se vidisse docentibus & scribentibus crediderit Mundus? Quòd isti ignobiles & pauperes homines Gentes superbas feras & Idolorum amore insanientes, Gentiles, Judæos, Orbem universum, ipsâ oppugnante naturâ & Diabolo nihil non movente, debellarent ac Fidei Catholicæ ita eos subjugarent, ut *Persæ* & *Gothi*, & omnes è Gentibus conversi, adorantes laudantes amantes pro *Christo*, quem nusquam oculis conspexerunt, mortem appetere non dubitarent? En magnum victricis Gratiæ Dei argumentum. Propterea numero exiguo ignobilium infirmorum imperitorum hominum credidit Mundus; quia in tam contemptibilibus testibus multò mirabiliùs Divinitas se ipsa persuasit; eloquia namque persuadentium, quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba;

ut præclariſſimè oſtendit *Auguſtinus* lib.22. de Civit. Dei cap.5. An non magnum quid omnipotens ac mirabile, *Petrum* virtute Spiritus Sancti poſt Pentecoſtem ſtetiſſe cum undecim, & exaltaſſe in fortitudine vocem, ut ex ipſis, qui *Chriſtum* crucifixerant, multi crederent, & in doctrina Apoſtolorum orationibuſque perſeverarent? An non etiam longè ſupra naturam videre *Paulum* Spiritus Sancti virtute Hieroſolymam properantem, Chriſtianæ Religionis doctrinam mediis etiam in Judiciorum ſubſelliis, coram Præſidibus & ipſo *Agrippâ* Rege prædicantem, ut dixerit *Agrippa*: *Parùm abeſt, quin mihi perſuadeas, ut fiam Chriſtianus?* Quid eloquar Apoſtolos repentè linguis omnium Gentium mirabiliter locutos fuiſſe: claudum ab uberibus matris ad eorum verbum in *Chriſti* nomine poſt quadraginta annos incolumem conſtitiſſe: ſudaria de corporibus eorum ablata ſanandis profuiſſe languentibus: in via, quâ fuerant tranſituri, ordine innumerabiles variis morbis laborantes, ut ambulantium ſuper eos umbra tranſiret, continuò ſalutem recepiſſe; multaque alia in *Chriſti* nomine per eos facta: & poſtremò mortuos ſuſcitaſſe? An non hoc evidens Veritatis Chriſtianæ Religionis argumentum? Quod ſi ſeculi Sapientes iſta miracula non credunt: *Hoc nobis unum grande miraculum ſufficit*, inquit ibidem S. *Auguſtinus*, *quòd eam* (Reſurrectionem & Aſcenſionem) *terrarum Orbis ſine ullis miraculis credidit.*

At non minùs ſplendida præclara atque excelſa eſt alia probatio, quâ Emus Noſter ex mira fortitudine ac invicta Martyrum conſtantia Veritatem Religionis oſtendit. Quæ non enim in ipſo Evangelicæ doctrinæ exordio bella adversùs Eccleſiam concitata ſunt? Quot exercitus inſtructi, quod non afflictionum & vindictæ genus excogitatum? Tormenta undique, ſartagines, lebetes, fornaces, lacus, præcipitia, beſtiarum dentes, aliaque innumera tormentorum genera mota ſunt; & tamen teneris Auditorum mentibus, nuper jacto Fidei ſemine, non ſubverſa eſt Eccleſia, ſed potiùs adaucta magiſque ſtabilita. *Fundendo ſanguinem*, ait D. *Hieronymus* Epiſt. 61. ad *Theophil.*, *& patiendo magis quàm faciendo contumelias, Chriſti fundata eſt Eccleſia. Perſecutionibus crevit, Martyriis coronata eſt. Sanguine Martyrum Eccleſiæ vinea revireſcit amœnior & fœcundior.* Quod & dicit S. *Auguſtinus* Enarrat. in Pſalm.40. num.1.: *Ad multiplicandam Eccleſiam valuit ſanctus ſanguis effuſus; ſeminationi acceſſit & mors Martyrum.* Et Pſalm. 58. num.5.: *Effuſus eſt magnus & multus Martyrum ſanguis, quo effuſo tamquam ſeminata ſeges Eccleſiæ fertiliùs pullulavit, & totum Mundum, ſicut nunc conſpicimus, occupavit.* Et Pſalm.119. num.6.: *Et quis non videat,*

deat, quantum adjuverit Ecclesiam sanguis Ecclesiæ? Quanta ex illa semente seges toto Orbe surrexerit? Enimverò si, ut inquit *Ambrosius* lib. 9. in *Luc.*, Vinea *Naboth* desiit vepribus dumetis & spinis enatis silvescere, proprio *Naboth* irrigata sanguine; non vineam Domini unius, sed innumerabilium Martyrum pretiosus consecravit cruor. Illa ad tempus sanguine *Naboth* virens conservata est ac frondescere cœpit; at Vinea Domini, Martyrum pretioso irrigata sanguine, perpetuò florentissima permanebit; inquit ibi S. Doctor: *Ille* (nempè *Naboth*) *licèt parata vitibus incendia proprio cruore restinxerit, temporalem tamen vineam defendebat. Te verò in perpetuum multorum nobis Martyrum plantavit interitus.*

Hæc sunt invicta Eminentissimi argumenta, quæ egregiè excelsum hoc victoriæ genus, lætumque ac nobilem nascentis Ecclesiæ triumphum deprædicant ac proclamant in Opere isto, cedro & immortalitate digno; & in quo Lector nedum mirabitur Divinam ac inexpugnabilem Dei potentiam, virtute Gratiæ suæ, efficaciter in cordibus hominum operantis, subvertentem montes & conterentem petras; verùm solidissimæ reconditissimæ ac eximiæ eruditionis Nostri Emi cum magna ejus pietate conjugium. Quarè Divinum hoc Opus omnibus ingenii, omnibus eruditionis luminibus omni ex parte collucens, in quo nihil residet quod non ædificet Fidem quod non sapiat honestatem, ad magnum Ecclesiæ ornamentum & decus compositum esse censeo. Romæ in hoc Conventu S. Mariæ super Minervam die 15. Junii 1737.

Fr. Cajetanus Benitez de Lugo Sacræ Congregationis Rituum Consultor, & S. Romanæ & Universalis Inquisitionis Qualificator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri S. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſc. Bojanen. Vicesgerens.

APPROBATIONES.

I.

SAnam profundamque doctrinam, ſingularem eruditionem & inſignem pietatem; quam in aliis ab Emo ac Rmo Fratre Vincentio Ludovico S. R. E. Card. Gotti evulgatis Operibus demiratus ſum, cujuſque teſtimonium ſemel atque iterùm ex animo dedi: præſens hoc Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Geſta continens, & in quo de cæteris etiam Apoſtolis deque Chriſti & Apoſtolorum præcipuis Diſcipulis ſatis agitur, ſpeciatim exhibet comprobatque: quicquid enim in eo legitur, vel è Sacris Novi Teſtamenti Codicibus vel è celebrioribus Eccleſiæ Patribus vel è purioribus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ fontibus derivatum eſt; atque iis rationibus illuſtratum, eâque claritate propoſitum, ut antiquitati non deſit novitas, novitate antiquitas non obruatur. Illud itaque, demandante Rmo P. Fr. Johanne Benedicto Zuanelli Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, attento cùm legerim animo, & luce & prælo digniſſimum judico.

Ex Ædibus S. Mariæ ad Montes Kalendis Auguſti 1736.

Thomas Sergius Congr. Pior. Oper. S. Rom. Inquiſitionis Conſultor.

II.

PRæclara fcituque digniffima, tum quæ præftiterunt Apoftoli in Chriftiana Religione fundandâ & propagandâ, tum quæ ad eorumdem pertinent Hiftoriam, hoc in Opere fatis erudito Emus Cardinalis Gotti folitâ fibi perfpicuitate foliditate, acrique in fecernendis veris à fabulofis certis ab incertis judicio, graviter copiosèque recenfet. Ab eodem igitur Opere, non modò voluptatem verùm etiam utilitatem & fructum, quæ ego illud ipfum, demandante Rmo P. Jo: Benedicto Zuanelli Sacri Palatii Apoftolici Magiftro, legendo percepi, etiam alios inoffenfo pede percepturos opinor, & idcircò digniffimum, quod publicæ luci committatur, exiftimo.

Ex noftro Monafterio S. Crucis in Jerufalem die 3. Octobris anno 1736.

Don Joachim Befozzi Abbas S. Crucis in Jerufalem S. R. I. Confultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum S. Palatii Apoftolici Magifter.

ELEN-

ELENCHUS

Eorum quæ in hoc quinto Tomo continentur.

CAPUT PRIMUM.

De Sancto Petro.

CAPUT II.

De S. Paulo.

CAPUT III.

De S. Andrea Apostolo.

CAPUT IV.

De S. Jacobo Majore.

CAPUT V.

De S. Joanne Apostolo & Evangelista.

§. III.

CAPUT VI.

De S. Thoma Apostolo.

CAPUT VII.

De S. Jacobo Minore.

CAPUT VIII.

De Sancto Philippo Apostolo.

CAPUT IX.

De S. Bartholomæo Apostolo.

CAPUT X.

De S. Matthæo Apostolo & Evangelista.

CA-

CAPUT XI.

De S. Simone Apostolo.

CAPUT XII.

De S. Juda Thaddæo Apostolo.

CAPUT XIII.

De Sancto Matthia Apostolo.

CAPUT XIV.

De S. Barnaba Gentium Apostolo.

TRACTATUS.

CAPUT I.

De S. Stephano Protomartyre, Nicodemo, Gamaliele &c. & eorum Corporum inventione.

CAPUT II.

De S. Marco Evangelista, & Joanne Marco.

CAPUT III.

De S. Luca Evangelista.

CAPUT IV.

De SS. Tito & Timotheo.

CA-

CAPUT V.

De S. Philippo Diacono, & Herma.

CAPUT VI.

De S. Dionysio Areopagita.

CAPUT VII.

De S. Simeone Jerosolymitano.

CAPUT VIII.

De Sancto Ignatio Martyre.

CAPUT IX.

De S. Polycarpo Martyre.

CAPUT X.

De S. Maria Magdalena.

CAPUT XI.

De S. Thecla Virgine ac Mulierum Protomartyre.

CHRI-



CHRISTIANÆ RELIGIONIS
VERITAS
Ex mirabili ejus per Apostolos Propagatione & eorum Gestis comprobata.



ELIGIONIS Christianæ ab Apostolis per totum Orbem Propagatio maximum pro ejus Veritate argumentum ministrat, eamque unicè à Deo esse, evidenter demonstrat. Si enim attendantur & homines à quibus peracta est, & modus & circumstantiæ; nemo, nisi in meridie oculos claudat, inficias ire poterit, eam opus non humanum sed prorsùs Divinum extitisse. Numquid enim humanum erit non Divinum, quòd homines antea rudes ac imperiti, ut ne Magistri quidem doctrinam caperent, repentè nullo studio adeò docti evaserint, ut Mundi Sapientiores confunderent? antea adeò pusillanimes, ut Magistro capto unus eum apertè ejurarit, cæteri fugerint, & metu Judæorum omnes sese occultarint; illicò autem intrepidi foras prodierint, nec carceres nec verbera nec tormenta nec mortem timentes, Christum Jesum Crucifixum Judæis scandalum Gentibus stultitiam tanquam Deum palam annuntiarint? Et hoc non potentiâ fulti, quin potiùs potentiâ Mundi eis obsistente ac extrema minitante; undequaque angustiati afflicti contemti, exosi Regibus ac Principibus, non armis sed solo verbo ac prædicatione, Christum ejusque fidem, Synagogâ abjectâ, Idololatriâ eversâ, toti orbi persuaserint, & inter persecutiones & mortes, non solùm non extincti aut imminuti, sed fide & numero credentes augerentur?

Hoc argumentum inter cæteros proponit & expendit S. Augustinus Epist. 137. (aliàs 3.) ad Volusianum cap. 4., ubi ostenso, omnia de Messia venturo prænuntiata in Christo Jesu fuisse impleta, ait: *Venit & Christus; complentur in ejus Ortu, Vita, Dictis, Factis, Passionibus, Morte, Resurrectione, Adscensione omnia præconia Prophetarum. Mittit Spiritum Sanctum, implet Fideles una in domo congregatos, & hoc ipsum promissum orando, atque desiderando expectantes. Impleti autem Spiritu Sancto loquuntur repentè linguis omnium Gentium, arguunt fidenter errores, prædicant saluberrimam veritatem, exhortantur ad pœnitentiam præteritæ culpabilis vitæ, indulgentiam de Divina gratia pollicentur: prædicationem pietatis, veræque Religionis signa congruentia, & miracula consequuntur: excitatur adversùs eos sæva infidelitas, tolerant prædicta, sperant promissa, docent præcepta: numero exigui per Mundum disseminantur, Populos facilitate mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persecutionibus crescunt, per afflictionum angustias usque in terrarum extrema dilatantur. Ex imperitissimis ex abjectissimis ex paucissimis illuminantur nobilitantur multiplicantur: præclarissima ingenia, cultissima eloquia, mirabilesque peritias acutorum facundorum atque doctorum subjugant Christo, & ad prædicandam viam pietatis salutisque convertunt... Atque inter hæc omnia contra Ecclesiam Christi impiarum Gentium infidelitas fremit; evincit illa patiendo, & inconcussam fidem inter obsistentium sævitiam profitendo. Revelatæ veritatis, quæ diu promissis mysticis velabatur, sacrificio succedente, illa sacrificia, quibus hoc figurabatur, Templi ipsius eversione tolluntur. Reproba per Infidelitatem Gens ipsa Judæorum à sedibus extirpata, per Mundum usquequaque dispergitur, ut ubique portet Codices Sanctos, ac sic prophetiæ testimonium, quâ Christus & Ecclesia prænuntiata est, ne ad tempus à nobis fictum existimaretur, ab ipsis adversariis proferatur, ubi etiam ipsos prædictum est non fuisse credituros. Templa & simulacra Dæmonum ritusque sacrilegi paulatim secundùm prædicta prophetica subvertuntur. Hæreses adversùs Nomen Christi, sub velamento tamen Nominis Christi, ad exercendam doctrinam sanctæ Religionis, sicut prænuntiatæ sunt, pullulant. Hæc omnia sicut leguntur prædicta, ita cernuntur impleta; atque ex his jam tot & tantis quæ restant expectantur implenda. Quæ tandem mens avida æternitatis, vitæque præsentis brevitate permota, contra hujus Divinæ auctoritatis lumen culmenque contendat?*

His S. Doctor adeò in aperto ponit Religionis Christianæ Veritatem ex propheticis Oraculis adamussim impletis, & mirabilem ejus ex Judaismi & Idololatriæ ruina propagationem, ut

ut nemo nisi cæcitate obduratus, nedum negare, sed nec in controversiam vocare possit. Estò autem de hoc aliqua dixerim tom. 1. hujus Operis cap. 11. §. 6.; hic tamen ex professo resumere utile fore existimavi, sigillatim recensendo singulorum Apostolorum & aliorum gesta, qui tanto huic operi à Spiritu Sancto missi operam contulerunt; labores, persecutiones, quas à Christi hostibus passi sunt, & quibus non obstantibus rem ad exitum feliciter perduxerunt. Genus etiam ac personam uniuscujusque exponam, tum ex his, quæ Scriptura & Evangelia & Lucas in Actibus Apostolorum narrant, tum ex probatis nec non receptis historiis colligi poterunt.

CAPUT PRIMUM.

De Sancto Petro.

§. I.

S. Petri Genus & Conditio.

I. Sanctus Petrus Apostolorum Princeps antea vocabatur *Simon* seu *Simeon*. Filius fuit Jonæ seu Joannis, & frater Andreæ Apostoli. Totum hoc habetur ex Joan. cap. 1., ut infra dicam.

Patria S. Petri & Andreæ fuit Bethsaida Galilææ vicus juxta Stagnum Genesareth, de quo S. Hieron. de Locis Hebraicis: *Bethsaida*, inquit, *Civitas in Galilæa Andreæ Petri & Philippi Apostolorum prope Stagnum Genesareth.* Hanc Philippus Tetrarcha ornavit, & ad speciem Urbis redegit, ei Juliæ nomen imponens in gratiam Juliæ Cæsaris filiæ. Ita Josephus lib. 18. Antiquit. cap. 3. his verbis: *Vico etiam Bethsaidæ in ripa lacus Genesarethini* (Philippus) *Urbis speciem addidit, frequentato incolis, & aucto opibus, quem Juliæ Cæsaris filiæ cognominem esse voluit.* Hanc pro patria S. Petro statuit S. Joannes cap. 1. v. 44. dicens: *Fuit autem Philippus à Bethsaida civitate Andreæ & Petri.* Bethsaidæ (saltem sub hoc nomine) nulla in Veteri Testamento fit mentio; ejus tamen sæpè Evangelia meminerunt, quia ad eam sæpè divertit Jesus; & præcipuè Marci 8. v. 22., ubi præsentatus ei fuit cæcus; & rogatus, ut eum tangeret, ipse apprehensâ manu cæci, eduxit eum extra vicum, & in ejus oculos expuens imponensque ei manus, interrogavit, si quid videret. At respondenti, se videre homines sicut arbores ambulan-

tes, iterùm imposuit manus, & cœpit statim perfectè videre. Et præcepit ei, ut si in vicum introiret, nemini diceret. Porrò quamvis hoc & alia fecerit Bethsaidæ Dominus, incolæ tamen ejus nihil permoti, increduli permanserunt: & propterea cæcum, ut sanaret, eduxit extra vicum, & sanato præcepit, ut in vicum rediens nemini diceret. Et tandem ob eorum incredulitatem exclamavit Matth. 11. v. 21. *Væ tibi Corozaim: væ tibi Bethsaida! Quia si in Tyro & Sidone* (Urbibus Gentium) *factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

II. Quis horum duorum fratrum Simonis, seu Petri & Andreæ, major natu fuerit, ambigitur. Primum, qui se Christo præsentavit, ut ejus Discipulus fieret, fuisse Andream, constat ex Joannis cap.1. Is enim fuit unus è duobus Discipulis Joannis, qui accesserunt ad Jesum, & apud eum unâ die ad horam usque decimam manserunt. Is etiam Simoni fratri nuntiavit, se invenisse Messiam, & adduxit eum ad Jesum, ut infra dicam. Sed an etiam fuerit ætate primus, quæstio est. S. Epiphanius hæref. 51. affirmat, & tanquam de re certa dicit: *Occursus Andreæ primus contigit, cùm esset Petrus minor tempore ætatis.* Attamen S. Chrysostomus homil.59. modò 58. in Matth. ex eo, quòd exactoribus petentibus tributum Christus conversus ad Petrum dixerit *Da eis pro me & te*, colligit, Petrum fuisse primogenitum, quia tributum à solis primogenitis solvebatur, dicens: *Pro me & te, inquit, quia & ipse primogenitus erat.* Priorem ætate fuisse Petrum sentiunt etiam Proclus, Cassianus, Dionysius lib. de Divin. Nomin. cap.3., & S.Thomas in cap.1. Joan. Lect.15., ubi commendans Fidem Andreæ, qui cùm esset junior primus credidit: *Et hoc*, inquit, *ad illius commendationem, ut qui ætate posterior, fide efficiatur primus.* Addi etiam posset, quòd cùm, ut dicetur, Petrus jam uxorem duxisset, & hoc de Andrea non legatur, credibile fit, Petrum majorem ætate fuisse. His tamen non obstantibus, adhuc incertum relinquo.

III. Petrum & Andream arte piscatores fuisse, testatur Sanctus Matthæus cap.4. v.18., ubi ait: *Ambulans Jesus juxta mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus mittentes rete in mare (erant enim piscatores)* Quod repetit Marcus cap.1. v.16., & Lucas cap.5.

IV. Etsi autem Bethsaidam patriam Petrus haberet, habuit tamen domum etiam Capharnaum civitate Galilææ celebri in Evangelio, sitâ ubi Jordanes defluit in lacum Tiberiadis. Hoc enim eruitur ex cap.8. Matth. v. 14., ubi dicitur, quód cùm introif-

troiſſet Capharnaum, *& cùm veniſſet Jeſus in domum Petri* &c. ; quod dicitur etiam Lucæ 4. v. 38. Ideò autem Domus Petri dicitur, non quia eſſet domus paterna, hæc enim erat Bethſaidæ, ſed quia erat domus, in qua ſocrus Petri ideſt mater uxoris Petri habitabat, & in qua eam febribus laborantem Jeſus ſanavit, unde ſubdit Matthæus: *Vidit ſocrum ejus jacentem & febricitantem, & tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris.*

V. Si ergo Petrus habebat Capharnaum ſocrum, & domus ſocri erat domus Petri, benè hinc arguit S. Epiphanius hæreſ. 51., Petrum, priuſquam ad Chriſtum accederet, duxiſſe uxorem, & hanc Capharnaitam. Hoc fatetur etiam Hieronymus lib. 1. adversùs Jovin., ubi de Petro: *Petrus*, inquit, *Apoſtolus experimentum habens conjugalium vinculorum*: & inferiùs, poſtquam gratis Joviniano conceſſerat, alios etiam Apoſtolos uxores ante Apoſtolatum habuiſſe, addit, quòd id de ſolo Petro Scriptura dicit, & ideó de ſolo Petro certò tenendum eſt: *Quamquam, excepto Apoſtolo Petro, non ſit manifeſtè relatum de aliis Apoſtolis, quòd uxores habuerint: & quum de uno ſcriptum ſit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, ſine uxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale Scriptura ſignificat.*

Sive tamen ſolus Petrus, ſive etiam aliqui ex aliis Apoſtoli ante Apoſtolatum uxores habuerint, hoc certum eſſe debet (quidquid obſtrepant Proteſtantes contra quos alibi egi) factos Apoſtolos à re uxoria abſtinuiſſe, eaſque habuiſſe non ampliùs ut uxores quoad conjugale officium, ſed ut ſorores miniſtrantes eis neceſſaria ad victum. Et in hoc officio videlicet ſororis, etiam S. Petri uxorem poſtea miniſtraſſe credibile putat S. Avitus Viennenſis: mos enim erat apud Judæos, ut piæ mulieres magiſtris ſuis in neceſsariis ad victum miniſtrarent, ſicut legimus ipſi quoque Domino factitatum. Hoc indicaſse viſus eſt Paulus 1. Cor. 9., ubi inter Apoſtolos, qui Mulieres ſorores circumducebant ut eis in victu miniſtrarent, nominat & *Cepham* ideſt Petrum. Ut ut ſit, ait S. Hieronymus Epiſt. 34. modò 92. ad Julianum, uxorem *habuit & Petrus, & tamen cum reti eam & naviculà dereliquit.*

VI. Quo nomine uxor S. Petri vocaretur, ignoratur; eam tamen ad gloriam Martyrii perveniſse, tradit Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom. pag. 76., & ex eo Euſebius lib. 3. hiſt. c. 30. Qua occaſione oſtendit S. Apoſtolus, quàm ſancto ac puro amore eam diligeret. Ita enim ſcribit Clemens: *Ajunt certè Beatum Petrum, cùm vidiſſet uxorem ſuam duci ad mortem, lætatum quidem eſſe, quòd vocaretur & quòd domum reverteretur: cùmque*

eam

eam adhortatus ac consolatus esset, nomine quoque compellasse ac dixisse, Heus tu, memento Domini. *Tale erat Beatorum illorum matrimonium, & usque ad amicissima perfecta affectio. Ea ratione Apostolus quoque: Qui uxorem ducit, tanquam qui non ducat, inquit:... volens matrimonium minimè moveri affectione, & nequaquam divelli à caritate in Dominum, quam tenere ad Dominum peregrinanti uxori suasit, qui verè vir erat.* Ita hoc factum celebrat Clemens, & post eum Ruffinus cap. 30., & Nicephorus lib. 2. cap. 44.

VII. Filios ex sua conjuge ante Apostolatum S. Petrum procreasse, idem S. Clemens lib. 3. Strom. pag. 448. sentit, dicens *Petrus & Philippus filios procrearunt*. Unius tamen tantùm filiæ Petronillæ nomine mentio fit in Martyrol. Rom. ad diem 31. Maii his verbis: *Romæ S. Petronillæ Virginis filiæ Beati Petri Apostoli, quæ Flacci nobilis viri conjugium spernens, acceptis triduanis ad deliberandum induciis, interim jejuniis & orationibus vacans, tertiâ die mox ut Christi Sacramentum accepit emisit spiritum*. De eadem Beda, Usuardus, Ado in Martyrologiis: & Wandelbertus Monachus sæculo nono hisce versibus eam celebrat.

Tum pridie Petronilla Petri de germine sancto
Fulgida Virgo micat Christi trabeata decore.

De ejus obitu agitur in Actis SS. Nerei & Achillæi, in quibus specialiter dicitur, eam à S. Petro fuisse à paralysi sanatam; quod asserit S. Augustinus lib. contra Adimantum Manichæum c. 17., ubi præter *ipsius Petri filiam paralyticam factam precibus patris* (& ab eo sanatam) *addit & Hortulani filiam ad precem ipsius Petri esse mortuam*. Sed cùm dicat, Manichæos ex apocryphis hoc accepisse, indicat S. Doctor, sibi suspectum esse. Hoc tamen admisso.

VIII. Quæstio est, unde filia hæc S. Petri dicta sit Petronilla. Nam ut observat Baronius ad ann. Christi *69*. n. 32. non potuit à Nativitate hoc nomine appellari, si Petronilla à Petro patre dicta putetur. Cùm enim ante Apostolatum genita sit, tunc pater ejus non Petrus, sed Simon vocabatur: & præterea non erat usus apud Hebræos, ut filii à parentibus nomen sumerent derivatum, ac molli quâdam inflexione ac desinentiâ diminutum. Si dicatur nomen hoc fuisse illi inditum in Baptismo; tunc enim parenti nomen Simonis mutatum fuerat in Petrum, & quidem more Romanorum, ut à Druso Drusilla, à Prisco Priscilla. Benè. Sed cur à Petro non est dicta Petrilla, sed Petronilla, quod nomen à Petronio potiùs, quàm à Petro derivatum videtur?

IX. Du-

IX. Dubitatur etiam ab aliquibus, an Petronilla filia Petri naturalis fuerit ab ipso genita generatione carnali, an filia spiritualis ab ipso genita per Evangelium & Baptismum eo modo, quo idem Petrus Epist. 1. cap. 4. v. 13. vocat Marcum filium suum, *Salutat vos . . . Marcus filius meus*, & Paulus 1. Cor. 4. v. 15. vocat Corinthios filios carissimos: *Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*. Hoc secundum verisimiliùs judico. Primò, quia Veteres probatique Auctores dicunt quidem, S. Petrum habuisse uxorem; at ex ea habuisse Petronillam filiam nonnisi ex apocryphis colligitur. Secundò, cùm Petronilla Romæ vixerit & obierit, si filia S. Petri naturalis fuit, oportuit, ut ipse cùm Romam pergeret secum eam adduceret. Quis autem credet, Apostolum, qui omnes humanos affectus propter Christum abdicaverat & abdicandos docebat, sui itineris comitem voluisse juvenculam adeò formosam, ut ad sui amorem accensus Flaccus nobilis Romanus Gentilis eam vilem & piscatoris filiam, Judæam & propterea genere Romanis exosam, ut uxorem exoptaret? Tertiò, quia hoc cum Chronologia non cohæret; nam acta Petronillæ eam sub Domitiano obiisse ferunt: cùm ergo ante Apostolatum Petri nata fuerit, sequitur propè sexagenariam obiisse; cumque antea paralyticam fuisse asserant, & à Petro parente sanatam, jam erat ætate ac morbo confecta, ac proinde non in eo statu formositatis, ut ad sui amorem Flaccum posset allicere. Jure ergo Augustinus supra citatus, hæc ex apocryphis sumta fuisse, arbitratur.

Veriùs propterea censeo, Petronillam à Gente Petronia, ex qua nata erat, inter Romanas Familias nobili, dictam esse, quam, cùm S. Petrus ad Christum ejusque Fidem propensam vidisset, speciali curâ instruendam suscepit ac baptizavit: ideò ejus filia dicta fuit, non quia eam genuerit carne sed spiritu. Quo posito cætera concordant. Nam cùm esset juvencula & formosa nimis ac nobilis, eamque in conjugem Flaccus Comes exoptaret, ipsa triduo ad deliberandum sumto orationi ac jejunio vacans, acceptâ S. Nicodemi Martyris manu Eucharistiâ, tertiâ die spiritum emisit: ejusque Corpus ab eodem Nicomede in Cœmeterio viâ Ardeatinâ sepultum fuit, magnoque postea in honore à Romanis habitum, & in Ecclesia S. Petri modò asservatur.

***

§. II.

§. II.

De S. Petri Vocatione, & Gestis usque ad Adventum Spiritus Sancti.

I. VOcationem Petri ad Apostolatum describit S. Joan. c. 1.: *Stabat Joannes Baptista cum duobus suis Discipulis, & respiciens Jesum ambulantem dixit eis: Ecce Agnus Dei*: qui audientes secuti sunt Jesum, & manserunt cum illo unâ die usque ad horam decimam meridianam. Unus ex his duobus erat Andreas frater Simonis Petri; hic cùm invenisset Simonem fratrem, dixit ei: *Invenimus Messiam, & adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus dixit: Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (ita Joan. 1. v.42.) Hoc ergo quod primo intuitu nomen Simonis mutavit in Petrum, quod Andreæ fratri, qui prior accesserat & crediderat, Jesus non fecerat, aliquod magnum in eo designavit prædixitque futurum: *Nam* (ut S. August. tract.7. in Joan. ait) *si hoc ante Petrus vocaretur, non ita videres mysterium petræ, & putares casu eum sic vocari, non providentiâ Dei: ideò voluit eum aliud priùs vocari, ut ex ipsa commutatione nominis Sacramenti vivacitas commendaretur.* Sacramentum autem hujus impositionis supra exposuerat dicens: *Magnum, quia mutavit ei nomen, & fecit de Simone Petrum. Petrus autem à petra: petra verò Ecclesia, ergo in Petri nomine figurata est Ecclesia.* Et S. Thomas in cap. 1. Joan. Lect. 15. *Tu vocaberis*, inquit, *Cephas quod interpretatur* Petrus, *& in Græco* Caput. *Et congruit mysterio: ut ille, qui debet esse aliorum Caput & Christi Vicarius, firmitati inhæreret, Matth. 16.* „ Tu es Petrus, & super hanc petram &c.

Aliam rationem, cur Christus hoc nomen *Petrus* imposuerit ab initio conversionis, & noluerit, ut à nativitate hoc nomine vocaretur, subjungit S. Thomas citato loco ex Chrysostom. Homil. 18. in Joan. *Quia nomina divinitùs imposita aliquam eminentiam gratiæ spiritualis designant. Quando autem Deus confert spiritualem gratiam alicui ab ipsa nativitate, nomen gratiam illam significans imponitur, sicut patet de Joanne Baptista, qui ante à Deo est nominatus quàm natus; Quia fuit sanctificatus in utero matris. Aliquando autem aliter confertur eminentia gratiæ spiritualis tempore procedente: & talia nomina divinitùs imponuntur, non à principio nativitatis, sed in ipso processu temporis: sicut patet de Abraham & Sara, quibus nomina mutata sunt, quando promissionem multi-*

tiplicandi germinis acceperunt. Eodem modo & Petrus nominatur divinitùs, quando ad Fidem Christi, & gratiam Apostolatus vocatur: & specialiter quia constitutus est Princeps Apostolorum, & totius Ecclesiæ, quod in aliis Apostolis non est factum.

II. Alteram quæstionem proponit citato loco S. Thomas. Utrum scilicet hìc, cùm primò accessit, fuerit à Jesu impositum hoc nomen Petrus, an solùm designatum; & tunc solùm impositum, cùm Matth. 16. ei dixit: *Tu es Petrus* &c. Cui S. Thomas respondet, S. Augustinum (Tract. 7. in Joan. ut supra) velle, *Quòd istud nomen hoc loco fuit Simoni impositum. Sed quod dicit Dominus in Matth.* „Tu es Petrus„ *non est nominis impositio, sed impositi nominis commemoratio, ut quasi utatur illo nomine tanquam jam imposito. Alii autem dicunt, quòd hoc nomen fuit impositum Simoni, quando Dominus dixit ei,* „Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam„. *Hìc verò non imponit ei hoc nomen, sed præsignat, quòd sit ei postmodum imponendum.* Sic Sanctus Thomas.

III. Tertiam quæstionem idem S. Doctor proponit de Vocatione Petri & Andreæ. Nam hic dicitur quòd fuerunt vocati juxta Jordanem, ubi erat Joannes Baptista; Matthæi autem 4. dicitur, quòd Christus vocavit eos juxta mare Galileæ. Cui respondet: *Quòd triplex fuit vocatio Apostolorum. Prima fuit ad cognitionem seu familiaritatem & fidem, & de hac dicitur hìc. Secunda fuit in officii præsignatione, de qua habetur Lucæ 5.* „Ex hoc eris homines capiens„. *Tertia fuit ad Apostolatum, de qua dicitur Matth. 4. Quæ fuit perfecta, quia postea non redierunt ad propria.*

Hoc S. Thomas fortè desumserat ex S. Augustino lib. 2. de Conf. Evang. cap. 17., ubi hæc habet: *Illud ergo, quod de Joanne diximus, diligenter considerandum est: non enim parva repugnantia putari potest, cùm & locorum plurimum intersit, & temporis, & ipsius vocationis. Nam si juxta Jordanem, antequam Jesus isset in Galilæam, ad testimonium Joannis Baptistæ secuti sunt duo, quorum unus erat Andreas, qui fratrem suum Simonem continuò adduxit ad Jesum, quando & nomen ut Petrus vocaretur accepit; quomodo ab aliis Evangelistis dicitur, quòd eos in Galilæa piscantes invenerit, atque ad Discipulatum vocaverit? Nisi quia intelligendum est, non sic eos vidisse tunc Dominum juxta Jordanem, ut ei jam inseparabiliter cohærerent, sed tantùm cognovisse quis esset, eumque miratos ad propria remeasse.* Inferiùs autem ad illud, quod apud Lucam habetur, subjungit: *Nec tunc eos fuisse à Domino vocatos, sed tantùm Petro fuisse prædictum, quòd homines esset capturus: Quod non ita dictum est, quasi jam pisces nunquam esset capturus, nam & post*

post Resurrectionem Domini legimus eos esse piscatos. Dictum est ergo, quòd deinceps capturus esset homines, non dictum est, quòd jam non esset capturus pisces. Unde datur locus intelligere, eos ad capturam piscium ex more remeasse, ut postea fieret, quòd Matthæus & Marcus narrant, quando eos binos vocavit, & ipse jussit, ut eum sequerentur, primò duobus Petro & Andreæ, deinde aliis duobus filiis Zebedæi. Tunc enim non subductis ad terram navibus, tanquam curâ redeundi, sed ita eum secuti sunt tanquam vocantem ac jubentem, ut eum sequerentur. Ita S. Augustinus.

IV. In primo ergo accessu juxta Jordanem Petrus & Andreas initia sui Apostolatus posuerunt: cognoverunt Jesum, crediderunt in eum, ejus Discipuli esse cœperunt; sed non ei inseparabiliter adhæserunt, imò unâ die cum eo manentes, sequenti die ad consuetum piscationis officium rediere. Hinc aliqui arbitrati sunt, eos Nuptiis Canæ, quæ tertio die celebratæ sunt, minimè interfuisse. Alii tamen affirmant, eos Nuptiis interesse potuisse, utpotè, etsi non semper cum Jesu morantes, eum tamen identidem adeuntes, ut eum audirent. Et hoc verius judico; dicit enim Joannes cap. 2. v. 2. quòd *vocatus est Jesus, & Discipuli ejus ad nuptias*: & v. 11. quòd viso miraculo aquæ conversæ in vinum, *crediderunt in eum Discipuli ejus*. Cùm autem cap. 1. non alios Discipulos accessisse ad Jesum recenseat, quàm Andream, Petrum, Philippum, & Nathanaelem, valdè credibile sit, hos fuisse Discipulos, qui vocati nuptiis interfuerunt.

Volunt aliqui, Petrum & Andream, & similiter Jacobum & Joannem filios Zebedæi, se totos Christo mancipasse, quando, ut narrat S. Lucas cap. 5., cùm tota nocte piscati nihil cœpissent, laxatis ad imperium Christi retibus, tantam piscium multitudinem cœperunt, ut penè rumperetur rete. Tunc enim Petrus & alii: *Subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.* Et putant, hoc factum idem esse cum eo, quod narrant Matthæus cap. 4., & Marcus cap. 1.

Sed ne assentiar facit primò, quia piscatio, de qua agit Lucas, contigit in Stagno Genesareth; illa verò, de qua loquuntur Matthæus & Marcus, in Mari Galilææ describitur facta: ibi conqueruntur, se totâ nocte laborantes nihil cœpisse, & ibi miraculum de ingenti captura piscium. Hîc nihil de hoc. Ibi dicitur quidem, quòd *relictis omnibus secuti sunt eum*: sed additur: *subductis ad terram navibus*: signum, quòd ad piscandum redire postea cogitabant. Verius ergo censeo cum SS. Augustino & Thoma, id quod narrat Lucas, fuisse Apostolatus præsignationem; unde Christus ait Petro: ***Ex hoc homines eris capiens.*** Id ve-

verò,quod narrant Matthæus & Marcus,fuisse ultimam vocationem, quâ omnibus relictis Christo inseparabiliter adhæserunt: auditis enim Christi verbis: *Venite post me*, *Et faciam vos fieri piscatores hominum*, Petrus & Andreas *continuò relictis retibus secuti sunt eum*; Filii quoque Zebedæi similiter à Christo vocati *relictis retibus & Patre secuti sunt eum*. Cùm ergo hic adsit vocatio Christi ac jussio, cùm nihil cogitarint de navi ad terram subtrahenda, aut de retibus reficiendis, sed omnibus relictis secuti sint Jesum; fit, ut ait Augustinus, ut omni redeundi curâ sepositâ, ei immobiliter deinceps adhæserint. Et hoc circa finem anni Christi 30. contigisse, plerique arbitrantur.

V. Aliquo elapso tempore postquam Petrus & Andreas Christo se totaliter mancipaverant, nimirùm anno Christi 31., venit Jesus Capharnaum, & ingressus Simonis Petri domum invenit ejus Socrum febribus laborantem (Matth. 8. & Lucæ 4.) cùmque eum rogassent pro ea, imperavit febri, quæ statim dimisit illam, & continuò surgens ministrabat illis. Paulò ante Festum Paschatis sequentis anni Jesus in Galilæam rediens duodecim elegit, quos Apostolos nominavit, in quibus recensendis Petrus semper ordine primus occurrit, ut videre est Matth. 10. v.2., Marci 3. v.16., & Lucæ 6. v.14., & Andreas semper ponitur secundus, quamvis ordine discipulatus fuerit primus. Rursùs cùm nocte quâdam Apostoli lacum Genesareth transfretarent, & navis jactaretur fluctibus, Petrus videns Jesum siccis pedibus super aquas ambulantem, rogavit eum, ut ad se super aquas similiter venire permitteret (Matth. 14. v. 28.) Jesu annuente, ambulare Petrus super aquas cœpit, sed vento valido territus, ejusque fide infirmatâ, cùm cœpisset mergi, exclamavit: *Domine salvum me fac*. Jesus autem extensâ manu eum apprehendens, ac ejus modicam fidem leniter increpans, eum navi restituit. Hic S. Augustinus serm.76. (aliàs 13. de Verb. Dom.) cap.3. observans Petri fidem modò firmam, modò labentem: *Discernamus*, inquit, *quid de Dei, quid de nostro. Tunc enim non titubabimus, tunc in petra fundabimur, fixi & stabiles erimus adversùs ventos, imbres, flumina, tentationes videlicet præsentis seculi. Illum tamen videte Petrum, qui tunc erat figura nostra; modò fidit, modò titubat: modò immortalem confitetur, modò timet ne moriatur. Proinde quia Ecclesia Christi habet firmos & infirmos* &c. Cùm ergo Jesus cum Apostolis pervenisset Genesareth, Turbis, quas superiori die trans lacum paverat, de Corpore & Sanguine suo in cibum & potum exhibendo sermonem habuit. Sed cùm durus videretur hic sermo, putantibus, quòd

daturus esset carnem suam eo modo, quo in macello venditur, ac proinde plures ab eo recederent: quæsivit ab Apostolis, num & ipsi vellent abire Joan. 6. v. 69. Sed Petrus plenus fide pro omnibus: *Domine*, inquit, *ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.*

VI. Celeberrimam tamen suæ fidei de Christi Divinitate confessionem edidit Petrus Matth. 16. v. 16. Cùm enim Jesus in vicinia Cæsareæ Philippi quæsiisset ab Apostolis, quidnam de se homines sentirent, variasque Vulgi opiniones eos referentes audisset, aliorum quidem Eliam, aliorum Jeremiam, sive alium ex Prophetis esse autumantium, eos quid ipsi sentirent interrogavit. Tunc Petrus: *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi*. Egregiam hanc Petri confessionem Christus primò laudavit, sed tanquam non à se procedentem, sed à Patre suo cœlesti revelatam, & propterea declarans eum Beatum: *Beatus es*, inquit, *Simon Bar-Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*: eique in præmium nomen Petri seu Cephæ confirmans, declaravit, se in illo firmissima Ecclesiæ suæ contra inferorum impetus fundamenta jacturum, tradendo ei Claves Regni Cœlorum cum potestate solvendi & ligandi, ac proinde supremam in gubernanda Ecclesia auctoritatem ad Successores suos etiam transituram. Eum subinde inter cæteros distinxit, sed ne supra se extolleretur, & adhuc se esse hominem nosset, eum identidem sibi ipsi permisit, ut cognosceret quid à Deo, quid à se posset; & disceret, à se ipso esse mendacem, & solo Dei beneficio veracem, nec à se, sed à Domino Beatum, ut ait S. August. serm. 254. (aliàs 151. de tempore) & serm. 257. (aliàs 18. ex Sirmondianis) Propterea cùm post præfata verba v. 22. & 23. denuntiasset eis passionem & mortem, & Petrus non valens capere, quòd ille, quem credebat & confessus fuerat Filium Dei, passionem & mortem res Deo indignas foret subiturus, diceret: *Absit à te Domine: non erit tibi hoc*: Christus eum rejiciens: *Vade*, inquit, *post me, Satana*. Ubi S. August. serm. 232. (aliàs 144. de tempore) cap. 4. admirans, ait: *Petrus Satanas? ubi sunt illa verba*,, Beatus es Simon Bar-Jona? ,, *Numquid beatus Satanas?* Beatus *de Dei*, Satanas *de hominis*. *Denique ipse Dominus exposuit, quare illum dixerit Satanam* ,, Non enim sapis, quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominis ,, *Unde tunc beatus?* ,, Quia non tibi revelavit caro & sanguis, sed Pater meus, qui in cœlis est ,, *Unde postea Satanas?* ,,Non sapis quæ Dei sunt,, *quæ quando sapiebas, beatus eras*,, sed sapis quæ hominum sunt. *Ecce quomodo alternabat anima Discipulorum, quasi ex ortu & occasu; modò illuminabatur,*

batur, modò tenebrabatur; quia de Dei, illuminabatur, de suo tenebrabatur. Ita pulchrè S. Augustinus.

De suo, non de Dei locutus fuit Petrus, quando gloriâ Christi transfigurari illectus Lucæ 9. v.33. voluit tria figere tabernacula: unde Evangelista ait: *Nesciens quid diceret*. De suo non de Dei locutus fuit, quando Lucæ 22. v.31. ei dicente Christo, *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, nimiùm de se confidens respondit: *Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire*. Cujus vanam præsumtionem Jesus corrigens: *Dico tibi*, inquit, *Petre, non cantabit hodie Gallus, donec ter abneges nosse me*. Vides hic Petri deceptionem. Christus promittit Petro firmitatem in fide de Patre suo: *Ego rogavi pro te*: ipse autem eam sibi promittit de suo. Christus eam promittit in Petro futuram, non tunc, sed postea, nimirùm post conversionem à lapsu: *Et tu aliquando conversus*. Petrus autem eam tunc sibi adesse vanè adulatur. Hoc exprimitur etiam Joan. 13. v.31., ubi interroganti Petro: *Domine quo vadis? Respondit Jesus: Quò ego vado non potes me modò sequi. Sequeris autem postea. Dicit ei Petrus. Quare non possum te sequi modò? Animam meam pro te ponam. Respondit Jesus: Animam tuam pro me pones? Amen Amen dico tibi: non cantabit Gallus, donec ter me neges*. Super quæ S. August. Tract.66. in Joan. inter alia ait: *Ita ne facies pro me, quod nondum ego pro te?* „ Animam tuam pro me pones? „ *Præire potes, qui sequi non potes? Quid tantum præsumis? Quid de te sentis? Quid esse te credis? Audi quid sis* „ Amen Amen dico tibi, non cantabit Gallus, donec ter me neges „ *Ecce quomodo tibi citò apparebis, qui magna loqueris, & te parvulum nescis. Qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Qui te jam putas posse mori pro me, priùs vive pro te: nam timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. Quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum*. Sincerà erat Petri voluntas, quâ promittebat, sed quia de suo promittebat, nesciebat, de quo promittebat: unde idem S. August. lib. 4. de Anima & ejus Orig. cap.7. *Volebat*, inquit, *pro Domino animam ponere: planè volebat: neque enim Deum id pollicendo fallebat: sed quantas vires haberet, voluntas ipsa nesciebat. Proinde vir tantus, qui Filium Dei esse cognoverat, se latebat. Scimus nos itaque aliquid velle seu nolle; sed voluntas nostra etiam cùm bona est, quantum valeat, quantas vires habeat, quibus tentationibus cedat, quibusve non cedat, si nos non fallimus, fili dilecte, nescimus*. Pulchra & uti-

utilis sanè doctrina. Quæ de Petri negatione dici solent, superiùs discussa sunt tom.4. p.2. c.24. §.3.

VII. Quia tamen noverat Christus, quantum bona voluntas Petri accedente gratiæ suæ adjutorio pro sui nominis gloria esset factura, idcircò eum Ecclesiæ suæ petram constituit, eum cæteris præposuit, ei agnos & oves suas pascendas concredidit. Eum præ cæteris distinxit; cùm exactoribus tributum postulantibus jussit Petro, ut inventum in ore piscis daret staterem seu didrachma, dicens Matth.17. v.26. *Da eis pro me & te*: quo facto cæteri Discipuli commoti, *In illa hora accesserunt ad Jesum dicentes: quis putas major est in Regno Cœlorum?* Idest, ut ait Hieronymus in cap. 18. Matth. *Quia viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretii, arbitrati sunt, Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus*. Hinc sæpiùs Petrus Christum fidenter interrogat. Dum de danda lædentibus venia Christus loquitur, Petrus Matth.18. v.21. Quoties, inquit, dimittam? *Usque septies? Dicit illi Jesus, non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*. Rursùs Matth. 19. Jesu exaggerente, divitem difficilè intrare in Regnum Cœlorum, solus Petrus solitâ confidentiâ ait v.27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quid ergo erit nobis?* Cui Jesus, in præmium, sibi judicanti tanquam judices eos assessuros pollicitus est, & cuicumque eos imitanti centuplum & vitam æternam se largiturum. Feriâ tertiâ ante Passionem arborem ficus, cui præcedenti die Dominus dira fuerat imprecatus, jam exaruisse ei Petrus indicavit (Marci 11. v.21.) atque mane alterius diei cùm Jesus sedens in Monte Oliveti prædixisset ruinam Templi, Petrus unà cum sociis, quando hæc futura esset, rogavit (Marci 13. v.4.) Feriâ quintâ missus à Jesu cum Joanne ad paranda, quæ ad manducandum Pascha necessaria erant, omnia disposuit Lucæ 22. Cœnâ factâ cœpit Jesus lavare pedes Discipulorum, sed cùm venisset ad Petrum, iste ad tantam Filii Dei demissionem confusus: *Domine* (inquit Joan.13.) *tu mihi lavas pedes?... Non lavabis mihi pedes in æternum*. Cùm tamen Jesus ei comminatus fuisset, *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, respondit, *Domine, non tantùm pedes meos sed & manus & caput*. Notat tamen S. Augusť. Tract. 56. in Joan. illa verba: *Venit ergo ad Simonem Petrum*, non esse sic intelligenda, *quasi aliquibus jam lavisset, & post eos venisset ad primum. Quis enim nesciat, primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? Sed non ita intelligendum est, quòd post aliquos ad illum venerit: sed quòd ab illo cœperit. Quando ergo pedes Discipulorum lavare*

cæ-

cœpit, venit ad eum à quo cœpit, ideſt ad Petrum.

VIII. Factâ deinde contentione inter Diſcipu los, quis eorum videretur eſſe major Lucæ 22., Jeſus poſtquam eos ad humilitatis ſenſum eſt adhortatus, ut qui major eſt in i llis, fiat ſicut minor; converſus ad Petrum, ei (ut ſupra dixi) di xit, ſe rogaſſe Patrem ſuum, ne deficeret Fides ejus, monens eum, ut cùm reſipuiſſet, nutantes fratres ipſe firmaret. Quibus elatus Petrus, ſe paratum exhibuit ſecum in carcerem & in mortem ire. Jeſus autem videns Petrum nimiùm ſibi polliceri, quia de ſuo, non de Dei adjutorio, ipſum corripiendo ad ſe revocans: Tu, inquit, paratus mecum in carcerem & in mortem ire? Imò hâc nocte antequam Gallus cantet bis, ter me negabis: quod ut prædixit evenit. Poſtea ad Montem Olivarum tranſiens in ſecretiora oraturus Jeſus ſeceſſit. Interea Petrus, qui paulò ante ad mortem ſe paratum obtulerat, ac vigilare cum Chriſto debuerat, cum cæteris ſomno ſe tradit. Quare Jeſus imbecillitatem ejus ei exprobrans Marci 14. v.37. *Simon*, inquit, *dormis? Non potuiſti unâ horâ vigilare?* Expergefactus Petrus ad ſe rediit, ac ſuperveniente interim ſatellitum manu, Judâ ductore, accenſus zelo ſtricto gladio ad defenſionem ſui Magiſtri accurrit. Sed Jeſus, qui ad ſui defenſionem nolebat materiali gladio ſuos uti, ſed gladio Verbi, Petrum reprimens, Malco, cui Petrus aurem amputaverat, clementer reſtituit. Interea capitur Jeſus, & Petrus, qui tanta ei pollicitus fuerat, ſequebatur eu. ı quidem, ſed *à longè*. Secutus tamen eum fuit uſque ad atrium Principis Sacerdotum. Quid ibi Petrus egerit, ſcimus. Ter Jeſum, pro quo ſe paratum in carcerem & mortem ire paulò ante promiſerat, ſe noſſe negavit. Agnovit tunc Petrus, quàm vanè de ſe præſumſerat, quàm verè impleta eſſet Chriſti de ejus lapſu prædictio: *Recordatus eſt Petrus verbi, quod dixerat ei Jeſus. Priuſquam Gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere* (Marci 14. v.72.) Et inde egreſſus, cùm nulla ejus ampliùs toto paſſionis tempore uſque poſt Reſurrectionem mentio fiat, credibile eſt, eum toto illo tempore in fletu & lacrymis perſeverantem lapſum ſuum deploraſſe. De his recolantur dicta de Petri negatione.

IX. Pœnitentes Petri lacrymas clementer ſuſcepit Jeſus: ideòque eâdem ſuæ Reſurrectionis die ei ſe viſendum præbens, dolorem ejus veluti ſolatus eſt, ac præſentiam ſuam tanquam conceſſæ veniæ pignus exhibuit. Succedentibus autem diebus (Joan.21.) Petro & aliis Diſcipulis in mari Tiberiadis piſcantibus Jeſus ſe manifeſtavit: petiitque, an aliquid pulmentarii haberent. Illis reſpondentibus, non, juſſit, ut mitterent in dexte-

ram

ram navigii rete, cùmque misissent, tanta fuit multitudo piscium ut rete trahere non valerent. Tunc cognito, eum esse Jesum, Petrus fide & amore tractus se se in mare projecit, & natans ad Jesum accurrit: cæteri autem navigio venerunt, & retractis è mari retibus, Jesus unà cum Apostolis piscibus refectus est: cùm autem prandisset Jesus, ter Petrum interrogavit, dicens: *Diligis me plus his?* Et ter respondente Petro, *Domine tu scis, etiam Domine, tu scis Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te*, eum suarum ovium & suorum agnorum ter vice sui constituit ac declaravit Pastorem: *Pasce agnos meos, pasce agnos meos, pasce oves meas*. Quæ observans S. Chrysost. homil.88. (aliàs 87.) in Joan. *Et cur*, inquit, *aliis prætermissis, de his hunc alloquitur? Eximius erat inter Apostolos, os Discipulorum, & cœtus illius caput. Ideò Paulus præ aliis hunc visurus venit... Dicit autem, si amas me, fratrum præfecturam suscipe, & ferventem illum amorem, quem semper exhibuisti, & de quo exultabas, nunc ostende: animamque illam, quam te pro me daturum esse, dicebas, da pro ovibus meis*. Boni enim pastoris est animam suam ponere pro ovibus suis, Joan.11. v.11. Ac propterea statim prædicit ei martyrium his verbis: cùm esses junior cingebas te & ambulabas, ubi volebas; cùm autem *senueris extendes manus tuas, & alius te cinget & te ducet, quò tu non vis*. Dicens autem Christus *extendes* manus tuas, & alius te cinget, indicavit etiam martyrii genus: *Nam Petrus* (inquit S. Thomas in cap.21. Joan. Lect.4.) *crucifixus fuit, sed non cum clavis, sed cum funibus, ut diutiùs viveret. Et hoc Christus vocat cincturam*. Et propterea S. Joan. v.19. subdit: *Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum*.

Conversus subinde Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus sequentem: *Quia ergo* (inquit Chrysostomus homil.88. citatâ) *magna ipsi prædixerat, Orbem commiserat, martyrium prænuntiarat, majorem, quàm cæterorum, amorem ejus indicaverat, volens Petrus hunc consortem habere, dixit*,, Hic autem quid?,, *An non eâdem nobiscum viâ incedet?* Volens Christus Petrum, & in eo nos erudire, curiosè non esse inquirendum ultrà quàm ipsi placitum sit, respondit: *Sic* (ut habet Vulgata) vel *si* (ut Chrysostomus) *eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere*. Ex hoc *exiit sermo inter fratres*, idest Apostolos, *quòd Discipulus ille non moritur*. Hanc tamen vanam opinionem corrigit ipse Joannes v.23. Nam *non dixit ei Jesus, non moritur, sed sic*, vel *si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* An verò Joannes Evangelista mortuus fuerit, an verò adhuc vivens venturus sit cum Enoch & Elia contra Antichristum; jam dixi tomo

mo 16. Theol. q.1. de Antichristo dub.6. §.3. n.12. &c. Videantur ergo quæ ibi resolvi.

X. Jesu in cœlum recepto, & Apostolis, qui Ascensionis testes fuerant, in Cœnaculo Adventum Sancti Spiritus expectantibus, Petrus primâ vice auctoritatem Capitis & Pastoris Christiani gregis, in quo paulò ante Christus eum constituerat, exercens, proposuit omnibus illis congregatis æquum fore, ut in locum proditoris Judæ alter eligeretur. Consilio ab omnibus suscepto, statuti fuerunt duo, Barsabas justus & Matthias, ac Deo electione precibus commissâ, cecidit sors super Matthiam, qui undecim Apostolis annumeratus fuit. Decimâ post Ascensionem die super omnes ibi congregatos illapsus est Spiritus Sanctus, de quibus omnibus supra egi cap. 39.

§. III.

De Petri gestis post Adventum Spiritus Sancti.

I. Qui hactenùs audivimus Petrum fluctuantem inter amorem & timorem, modò Christum Filium Dei confitentem, ac paratum se pro illo in carcerem ac in mortem ire, modò humana patientem, & ad feminæ vocem ipsum negantem; imposterùm SanctoSpiritu repletum audiemus totum à se diversum, Christum publicè excusso metu Judæis ac Gentibus annuntiantem, mortemque intrepidè contemnentem. Ita eum ante & post describit S. August. Tract. 92. in Joan. *Ante passionem Domini, servilis timor ejus interrogatus est à femina servitutis; post Resurrectionem verò Domini liberalis ejus amor ab ipso Principe libertatis: & ideò ibi turbabatur, hic tranquillabatur; ibi quem dilexerat negabat, hic quem negaverat diligebat. Sed adhuc etiam tunc amor ipse infirmus fuerat & angustus, donec eum roboraret & dilataret Spiritus Sanctus. Qui posteaquam illi est abundantiâ gratiæ largioris infusus, sic ad perhibendum de Christo testimonium quondam ejus frigidum pectus accendit, atque illa priùs trepida, quæ veritatem suppresserat, ora reseravit, ut cùm omnes, in quos venerat Spiritus Sanctus, linguis omnium Gentium loquerentur, Judæorum circumstantibus Turbis solus ad testimonium pro Christo perhibendum præ cæteris promtiùs emicaret, ejusque interfectores de illius resurrectione confunderet. Si quem delectat tam suaviter sanctum tale spectaculum intueri, Actus Apostolorum legat: ibi Beatum Petrum, quem negantem doluerat, stupeat prædicantem: ibi linguam illam videat ad fiduciam à diffidentia, & ad libertatem à servitute translatam,* tot

tot linguas inimicorum convertere ad Christi confessionem, quarum non valendo unam ferre, versa fuerat in negationem. Quid plura? Tantus in illo fulgor gratiæ, tanta Spiritus Sancti plenitudo apparebat, tanta de ore prædicantis pretiosissimæ veritatis pondera procedebant, ut ingentis multitudinis adversarios interfectores Christi Judæos faceret pro illo paratos mori, à quibus cum illo formidabat occidi. His S. Augustinus celebrat Petrum Spiritus Sancti gratiâ in alium repentè transformatum.

II. Et quidem meritò. Nam ut refert Lucas Act. 2. *Factâ hâc voce*, quòd nimirùm è Cœnaculo egressi omnium Gentium linguis loquerentur Apostoli, *convenit multitudo*: at quæ? illa eadem, quæ antea contra Christum clamaverat Pilato, *Crucifige crucifige eum*. Hanc Petrus, qui ad feminæ vocem exhorruerat, nihil timens, alloqui nomine omnium cœpit, & ut eam attentam reddat, primó ebrietatis suspicionem depellit. Deinde nec occisionis culpam ei improperans, sed potiùs tanquam rem definito consilio Dei permissam proponens, placido sermone Scripturas intermiscens ostendit, illum Jesum, quem per manus iniquorum affligentes ipsi interemerunt, hunc Deum suscitasse à mortuis, hunc ascendisse in Cœlum, hunc Missione sui Sancti Spiritus operari prodigia quæ videbant. Hoc plano ac leni sermone Petrus quid consecutus fuit? *His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum & ad reliquos Apostolos: quid faciemus, viri fratres?* Respondente autem eis Petro, *Pœnitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis Donum Spiritus Sancti*, baptizati sunt circiter ad tria millia: *Vides*, inquit Chrysostomus homil. 7. in Acta, *quantùm sit mansuetudo bonum? Hæc magis quàm vehementia qualibet corda nostra compungit, & acutiorem infligit plagam. Sicut enim qui obduxata corpora percutit, non tam validè sensum afficit; sed si illa priùs emolliat, tunc acriùs pungit; ita & hic priùs oportet emollire, & tunc pungere. Emollit autem non ira non vehemens accusatio non convitium sed mansuetudo ... Furor enim auget morbum, mansuetudo eliminat.* Et infra: *Hoc Petrus fecit: non illos vehementer accusavit, sed conatus est quantùm poterat illos mansuetè defendere, ideòque illorum animos perstrinxit.* Is fuit modus, quo obduratos Judæorum animos Petrus emollivit; & ad tria millia tanquam fidei primitias ad Jesum attraxit mansuetudo & lenitas. Is fuit modus, quo Apostoli ac primi Evangelii Promulgatores totum Orbem Christo subjugarunt. Is est modus, quem Ecclesiæ Pastores sequi debent, ut peccantes ad justitiam revocent juxta monitum Christi

Ai Matth. 11. v.29. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Arguenda sunt crimina sed Caritate, increpanda sunt vitia sed in patientia. Ita Paulus Timotheo Epist.2. cap.4. v.2. *Prædica verbum, insta, opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.*

III. Suavem Petri concionem tanta gratiæ plenitudo super recèns conversos subsecuta fuit, ut referente Luca Act.2. omnibus temporalibus abdicatis pretium eorum in communes usus erogarent, ut cuique secundùm indigentiam divideretur, quotidie in Templo adessent, circa domos panes (utique in mysteriis) frangerent; Deumque collaudarent, qui eos quotidie augebat. Hos Christianis sui temporis opponens Chrysostomus hom. 7. in Acta: *Quomodo*, inquit, *illi ter mille & quinquies mille statim virtutem delegerant, & mox pariter Philosophi facti sunt, & nunc vix unus reperitur? Cur tunc ita concordes erant? Quid illos tam agiles & excitatos reddebat? Quid illos ita incendit? Quia cum magnâ pietate accedebant; quia honores non erant sicut hodie, quia ad futura mentem suam transtulerunt, & nihil præsentium expectabant. Hoc est igneæ animæ in ærumnis versari. Hoc putabant illi Christianismum esse, sed non nos. Nunc enim solutam vitam quærimus; ideò nec illa, cùm par erit, assequemur.* ,, Quid faciemus,, ? *Interrogabant illi seipsos damnantes: nos verò contra* ,, Quid faciemus ? ,, *dicimus nos præsentibus venditantes, & altum de nobis sapientes. Illi faciebant quæ facere oportebat, nos verò secus.* Hæc Chrysostomus de Christianis sui temporis. An hæc nostris temporibus aptari queant, judicet quisque.

IV. Cùm Petrus unà cum Joanne post elapsos aliquot dies ad horam Orationis nonam, quæ precibus destinabatur, in Templum se conferrent, vir quidam 40. annos natus, & ab utero matris suæ pedibus impeditus jacebat ante portam Templi, quæ dicitur *Speciosa*, eleemosynam ab introeuntibus petens. Is cùm vidisset Petrum & Joannem introeuntes, ambos pro more rogavit, cui Petrus: *Respice*, inquit, *in nos. Ille autem intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis.* Tunc Petrus ait: *Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: in Nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula. Et apprehensâ manu ejus dexterâ, allevavit eum, & exiliens stetit & ambulabat. Et intravit cum illis in Templum ambulans & exiliens & laudans Deum.* Atque Petrum manibus tenens, liberatorem suum populis ad rei novitatem confluentibus ostendebat: ita Act. 3. Istud fuisse initium signorum (eorum saltem, quæ descripta sunt) quæ S. Petrus fecit, sentiunt aliqui, quamvis & ipsum & cæteros

 Apo-

Apostolos alia signa ante operatos fuisse generaliter, colligatur Act.2. v.43. ex his verbis: *Multa quoque prodigia & signa per Apostolos in Jerusalem fiebant.*

Petrus autem videns Populum ad se confluentem, nactus occasionem, primó eum admirantem monuit, ne putaret eos propriâ virtute signum illud operatos fuisse *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut quid nos intuemini, quasi nostrâ virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?* quibus humilem sui modestiam declaravit. Deinde ostendens, hoc se fecisse in Nomine Jesu Christi Nazareni, quem ipsi tradiderunt morti, judicante Pilato illum dimitti, iterum sub eorum oculis ponit criminis gravitatem; cujus tamen non difficilem fore veniam dicit, cùm illud per ignorantiam commiserint: ideòque hortatur eos ad pœnitentiam & fidem, ut cùm iterum venerit, capaces fiant benedictionis, Abrahæ promissæ: ita eos terrens, ut simul consoletur & alliciat.

V. Adhuc loquente Petro dicit S. Lucas Act.4. v.1. &c. *Supervenerunt Sacerdotes & Magistratus Templi, & Sadducæi dolentes, quòd docerent Populum, & annuntiarent in Jesu Resurrectionem ex mortuis*(hanc enim Sadducæi negabant) *Et injecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in crastinum: erat enim jam vespera.* Publica hæc Petri & Joannis detentio & carceri mancipatio (ut observat Chrysost. hom.10. in Acta) eo consilio à perfidis excogitata fuit & executa, ut eos qui crediderant infirmiores ac timidiores redderent. Sed eorum consilia dissipans Deus, quamvis loquentem Petrum in carcerem duci vidissent, eos adeò in fide solidavit, ut præter eos, qui jam crediderant, alii quinque millia eâdem die Jesu dederint nomen: sic ut ubi in die Pentecostes suâ Concione tres mille ad Fidem adduxerat Petrus, hic alios quinque mille Christo lucrifecerit: *Multi autem eorum, qui audierant verbum, crediderunt, & factus est numerus virorum quinque millia* (Act.4. v.4.) non computatis feminis, neque masculis annum vigesimum non attingentibus, ut Interpretes non pauci censent.


Mane igitur diei sequentis Magistratus Seniores Scribæ & Princeps Sacerdotum congregati ambos Apostolos coram se positos interrogarunt, quâ virtute, aut in quo nomine hoc fecissent: quibus Spiritu Sancto repletus respondit Petrus: *In Nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli. Et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud Nomen est sub*

cœlo

cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Tantam Petri & Joannis constantiam admirati, cùm factum negare non possent, videbant enim stantem cum eis hominem, qui curatus fuerat, jusserunt eos foràs extra concilium secedere: tandem post multam discussionem iterum vocatis *denuntiaverunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in Nomine Jesu*. Quibus Petrus & Joannes nihil territi, se acquiescere non posse responderunt, nec quæ viderant & audierant non loqui, ac se debere magis audire Deum quàm eos. Nihilominùs dimittendos Senatus censuit, gravia solum comminatus, ni parèrent. Nec enim eos punire ausus fuit propter Populum.

VI. Ad suos igitur Petrus & Joannes reversi, omnium quæ sibi contigerant historiam recitarunt. (Act. 4. v. 25. &c.) His auditis Fideles omnes in preces effusi Divinam opem implorarunt, quâ firmati Fidem audacter prædicarent, nihil hominum minas ac terrores metuentes. Votis eorum adfuit Deus. Nam precibus absolutis, statim ingenti tremore locus, in quo stabant concussus est, novoque spiritu omnes accensi (v. 31.) *Loquebantur Verbum Dei cum fiducia*. Ecce Petrum priùs ad vocem feminæ formidantem, & Jesum se nosse negantem, medò Principum Sacerdotum, à quibus Jesus Cruci recèns traditus fuerat, conspectum & minas contemnentem, & coram ipsis Jesum liberè confitentem ac verè paratum pro illo in carcerem & in mortem ire, quia non jam vana sui præsumtio in illo loquebatur, sed Spiritus Sancti gratia in illo operabatur. Ecce quot paucorum spatio dierum Christo oves comparavit, contemtâ frementi luporum rabie vocem Pastoris intrepidè sequentes. Ecce felicia Fidei nascentis initia, quia à Spiritu Sancto promota. Hanc describit Lucas dicens (v. 32.) *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*. Quotquot enim agros vel domos possidebant, vendentes, pretium ad pedes Apostolorum deferebant, quod singulis prout cuique opus erat dividebatur, ut nullus eorum egens esset. Inter istos terrenorum abdicatores eminuit, teste Luca Act. 4. v. 36., *Joseph, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum filius consolationis) Levites, Cyprius genere*. Hic enim *cùm haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium & posuit ante pedes Discipulorum*.

VII. Inter hæc factum quoddam accidit, quo universa Ecclesia terrore concussa fuit. (Act. 5.) Unus ex primis Christianis Jerusalem nomine Ananias (cui uxor Saphira) agro suo vendito par-



partem pretii Petro obtulit, partem clam retinuit, totum se detulisse simulans, consciâ uxore. Fraude divinitùs detectâ, Apostolus: *Anania*, inquit, *cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat & venundatum erat in tua potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expiravit.* Post tres circiter horas Saphira uxor, nesciens quid viro suo accidisset, venit ad Petrum, à quo interrogata de pretio agri cùm eodem mendacio fraudem texisset, à Petro & ipsa objurgata *cecidit ante pedes ejus & expiravit*. Quo duplici facto apud omnes duplicatus est terror. In hoc tamen notandum est, hosce duos fuisse punitos, non quia integrum agri venditi pretium retinere non possent; hoc enim ut supra Petrus eis concesserat: sed quia cùm integrum agri venditi pretium communi consensu Deo promisissent, imò vovissent, ut putat S. Hieronymus Epist.8. modò 97. ad Demetriadem, corde duplici partem ejus, quod jam non erat suum, sibi ut suum reservaverunt. Exemplum terribile iis, qui post generale paupertatis votum, aliquid ut sibi proprium retinerent: unde Chrysost. hom.12. in Acta: *Ne putetis*, inquit, *quòd jam non ita fit, nec statim sequitur ultio, hæc impunè fore. Videri hoc in crimen vocari, quòd cùm illas pecunias sacras fecisset, de illis subripiat? An non, inquit, poteras illis venditis ut propriis uti? Num prohibitus es? Cur subripis, postquam promisisti?*

VIII. An verò hi duo infelices conjuges præter pœnam temporalis mortis, pœnam quoque æternæ subierint, divisos invenio Patres. Affirmat inter cæteros S. Basilius serm. ascetico de Instit.Monach. dicens, relictum eis non fuisse pœnitentiæ locum & spatium: idem videtur sentire S. Joan. Chrysost. hom.12. in Acta. Probabiliter tamen negant: Origenes in Matth. putans, Deum in hoc mundo eos punivisse, ut in altero eis faceret misericordiam; S. Hieronymus Epist.8. modò 97. ad Demetriadem, & S. Augustinus tum lib. 3. contra Epist. Parmeniani, tum serm.10. de diversis (modò 148.) dicens: *Credendum autem, quòd post hanc vitam eis pepercerit Deus: magna est enim ejus misericordia*. Quid revera fuerit, incertum nobis est, & soli Deo notum. Ut ut fuerit, mors temporalis istorum multos monuit, ut imposterum vigiles essent, in adimplendis Deo factis promissionibus. Et factum hoc magnum potentiæ Christi exhibuit argumentum, qui per ministros suos hominum corda penetraret, & executores suæ voluntatis eis Angelos exhiberet.

IX. Interea Ecclesia in dies augebatur, ad hoc non parum con-

conferentibus signis & prodigiis, quæ à Petro edebantur: adeò ut *in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & sanarentur ab infirmitatibus suis*(Act.5. v.15.) eosque ex vicinis etiam civitatibus adducebant, & etiam energumenos omnesque incolumes revertebantur. Concitatâ proinde Principis Sacerdotum Caiphæ & aliorum maximè Sadducæorum invidiâ, Petrus & omnes Apostoli tanquam contumaces in publicam custodiam detrusi sunt. Sed inde noctu ab Angelo educti, eis præcipiente, ut irent & stantes loquerentur in Templo Plebi verba vitæ hujus, intraverunt in Templum, & docebant. Mane sequenti Princeps Sacerdotum, & alii cum eo ignari ejus quod contigerat, congregato concilio miserunt ad carcerem, ut Apostoli coram eis adducerentur. Cùm autem venissent ministri, & aperto carcere nihil invenissent, nuntiarunt hoc Principi Sacerdotum, & aliis congregatis. Quibus ambigentibus, quidnam de illis fieret, venit nuntius dicens, eos esse in Templo stantes & docentes Populum. Tunc Magistratus abiit & adduxit illos sine vi, timebant enim Populum, ne lapidarentur. Adducti ergo in Concilium Apostoli à Principe Sacerdotum objurgati fuerunt, quòd contra præceptum eis factum adhuc publicè docentes replerent Jerusalem doctrinâ suâ. His ore Petri responderunt omnes *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*, alia de Christo Jesu adjicientes. *Quæ cùm audissent dissecabantur cordibus suis, & cogitabant interficere illos;* sed animos ad extrema inclinantes detinuit unus ex eis nomine Gamaliel sectâ Pharisæus, & vir apud plebem honorabilis. Is enim assurgens eos ita allocutus est. Opus hoc vel à Deo non est, & sic per se mox dissolvetur; Theodas, & post eum Judas Galilæus turbas in Populo excitarunt, & eorum conatus dispersi fuere. Vel est à Deo, & sic repugnare non poteritis. His acquiescentes, Apostolos, singulos tamen 39. flagelli ictibus (ut de more) cæsos, repetito præcepto de Jesu non prædicando, dimiserunt. *Et illi quidem* (v.41.) *ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro Nomine Jesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant in Templo, & circa domos docentes & evangelizantes Christum Jesum.* Hoc maximum Spiritus Sancti fuisse prodigium, censet Chrysostomus homil.14. in Acta, quòd Apostoli post flagella gaudentes, nec minis mortis territi, liberiùs publicè annuntiarent Jesum.

X. Non inutile erit quærere, quis fuerit iste Gamaliel, & qui fuerint Theodas & Judas Galilæus, quorum ipse meminit.

Gamaliel ergo, de quo hic S. Lucas, fuit, ut dixi sectâ Pha-

risæus, Legis Doctor, vir lenis, & proinde Populo acceptus, implacabilis Presbyterorum in Jesum odii mitigator, Præceptor S. Pauli (Act.22. v.3.) &, ut aliquibus placet, etiam S. Barnabæ & S. Stephani. Post S. Stephani necem Christiani, Gamaliele juvante, Martyris Corpus noctu sublatum, sepulchro mandarunt in ejus fundo dicto *Caphal-Gamala*, nempè Campus Gamalæ seu Gamalielis. Ejus consobrinus, vel saltem nepos fuisse fertur Nicodemus, ejusque gratiâ pœna mortis in Nicodemum decreta exilio commutata. Ita ex Epist. Luciani, quæ extat tom. 7. Oper. S. Augustin. in Append. Edit. Maurinæ. Eum propterea Christo nomen dedisse ambigendi locus non est, & baptizatum unà cum Nicodemo & Abibone uno ex filiis ejus, omnesque in eodem cum S. Stephano sepulchro collocatos refert etiam Photius in Biblioth. Cod. 171. ex eodem Luciano; qui ex sibi facta à Gamaliele revelatione, hæc narrat: ideòque Ecclesia die 3. Augusti memoriam inventionis Corporis S. Stephani celebrat unà cum inventione Corporum Nicodemi, Gamalielis, & Abibonis. Vide Martyrol. Romanum ad eam diem, & Baronii notas. De quibus infra Tract. de Christi Discipulis c. 1. dicam.

XI. Quoad Theodam seu *Theudam*, duo hujus nominis fuerunt. Unus qui ante eam ætatem magnum de se aliquid jactitabat. Is 400. circiter homines in sui sequelam traxit: sed eo occiso omnes dissipati sunt, ejusque secta evanuit. Alter similiter impostor in Judæa Præside Cuspio Fado apparuit, qui se & Prophetam & divinitùs illustratum venditabat. De hoc Josephus lib. 20. Antiquit. cap. 2. ait: *Fado porrò Procuratore apud Judæam præstigiator quidam nomine Theudas persuasit magnæ Vulgi multitudini, ut assumtis suis facultatibus sequerentur se ad Jordanem fluvium; Prophetam enim se jactabat, pollicens, scissurum se verbo fluvium, & facilem præbiturum transitum, talique promissione permultis imposuit. At Fadus effecit, ut nihil lucrifacerent ex sua insipientia, immissis in eos turmis equitum, qui ex improviso irruentes, ex his multos interemerunt, multos vivos cœperunt, & in his ipsum Theudam, cujus caput abscissum reportarunt Hierosolymam.* Hæc Josephus. De hoc tamen Theuda posteriori non fuisse locutum Gamalielem, sed de priori, ex eo constat, quia Gamaliel verba faciebat anno Christi 33.; Theodas veró posterior à Fado fuit occisus anno 45. De priori ergo locutus fuit, qui mortuus fuit anno Christi 1. circa obitum Herodis.

XII. Judas verò Galilæus, dictus etiam Gaulanites, quia ortus ex Gamala in Gaulanitide, Judæos liberos esse, & neminem Do-

Dominum præter Deum habere posse, dictitabat. De hoc Josephus lib. 18. Antiquit. cap. 1. & 2. Erupit iste anno Christi 10.: ejus sectatores Libertatis adeò amatores erant, ut quælibet supplicia ferre mallent, quàm mortalem aliquem Dominum sustinere. Hunc Judam dicit Gamaliel fuisse *in diebus professionis*, idest diebus, quibus ex Edicto Cæsaris Augusti singuli describi & profiteri debebant in sua Civitate, Lucæ 2. v. 1. &c. Unde iste Judas Cyrino descriptionem exequenti unà cum conjuratorum manu obstitisse dicitur: quæ res multas apud Judæos perturbationes excitavit. Hunc Judam eo tempore, quo Gamaliel loquebatur, adhuc inter vivos fuisse, aliqui existimant; sed ut ut sit, certè ejus secta vel interierat vel saltem languerat: & ideò Chrysost. homil. 14. in Acta ait: *Nec dicit* (Gamaliel) *à quo interemti sint, sed simpliciter quòd sint dissipati*. Quia licèt aliqui ejus errori adhuc subscriberent, turbas tamen excitare, & in publicum prodire non audebant. Ab hoc Juda ortum habuisse Herodianos, sectæ Pharisæorum surculum, censent aliqui. Hi enim censum ab Augusto impositum solvere detrectantes, turbas apud Judæos excitarunt. Unde qui accesserunt ad Christum ab eo petentes: *Licet censum dare Cæsari, an non?* dicunt Matthæus cap. 22. v. 16., & Marcus c. 12. v. 13., quòd erant *ex Pharisæis & Herodianis*. Sed ad propositum redeamus.

§. IV.

De Septem Diaconis.

I. Videns Diabolus, se feritate inimicorum Christi nihil proficere, & numerum Discipulorum ac Fidelium quotidie magis augeri, quò magis in Apostolos operâ Sacerdotum sæviebat, excogitavit inter Fideles ipsos discordias serere. Cùm ergo quotquot Christo nomen dabant, omnia bona sua in commune conferrent; specialis cura adhibenda erat, ut quæ victui quotidiano necessaria forent singulis distribuerentur. Huic muneri Apostoli, utpotè prædicationi Verbi intenti, alios delegaverant, qui fortè aut minùs vigiles aut minùs providi, non ut oportebat, cuique dispensabant. Præcipuè autem cùm Fidelium numero utriusque sexus Græci insererentur, videntes, in ministerio quotidiano Viduas eorum despici, Palæstinas autem præponi, murmurare cœperunt: *Factum est* (Act. 6. v. 1.) *murmur Græcorum adversùs Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum*; Viduis enim cura præparandi, quæ victui quotidiano

no necessaria erant, committebatur. Ad quæ S. Chrysostomus hom. 14. in Acta: *Viden, inquit, quomodo in principio mala non foris tantum sed etiam intus essent?*

Huic malo Apostoli ab initio mederi volentes, multitudine Discipulorum convocatâ, dixerunt: *Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis.* Et datâ eis facultate proponendi septem Viros ex ipsis plenos Spiritu Sancto & Sapientiâ, quos constituerent super hoc opus, *Elegerunt Stephanum virum plenum Fide & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus.* Notat hìc Chrysostomus, quòd *numerum definire, ordinare ad illos* (Apostolos) *pertinebat, eligere autem viros illis permittunt, ne viderentur, ad quorumdam gratiam agere.* Insuper quòd nihil tunc fiebat nisi præviâ oratione, & manus impositione: *Hoc enim est ordinatio. Manus viro superponitur: totum verò Deus operatur, ejusque manus est, quæ tangit caput ordinati, si quemadmodum tangi oportet, ordinetur.* Hìc Apostoli temporalium curæ alios substituentes, ut prædicationi Verbi Dei liberiùs vacarent, secuti fuerunt consilium Jethro datum Moysi Exodi 18. v.19. *Esto tu Populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas, quæ dicuntur ad eum... Provide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum... qui judicent Populum omni tempore* &c.; relinquentes exemplum Episcopis, ne propter temporalium curam ea quæ ad Deum pertinent derelinquant.

II. Post septem Diaconorum electionem, nedum sedatum est murmur Discipulorum, sed ut v. 7. dicitur, *Verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus Discipulorum in Jerusalem valdè: multa etiam Turba Sacerdotum obediebat Fidei;* ex his fortè permota, quæ in Concilio paulò ante Gamaliel dixerat, ut jam iidem, qui ejus mortem à Populo extorserant, Christo se dare inciperent. Iste Evangelii progressus novam excitavit persecutionem, quæ S. Stephano inter Diaconos nedum ordine sed zelo & sapientiâ primo martyrium peperit.

III. Stephanus igitur, Græcè *Stephanos* seu *Corona*, ex Judæorum Hellenistarum (ideft Græcizantium) numero, Fidei nomen dederat: inter Christi Discipulos eum ponit S. Epiphanius de Christo cap.4.; contrarium tamen tenent alii; nam 72. Discipuli à Christo ad annuntiandum Regnum Dei, ut habetur Lucæ 10. v.1., fuerunt missi, sicut Apostoli; non autem ut Stephanus ministerio mensarum destinati. Quia tamen Stephanus etiam Verbum

bum Dei prædicabat, quod ei mortis occasio fuit, ut dicetur; ideò incertum relinquitur à S. Auguft. ferm. modò 316. cap.3., ubi ait: *Incertum est nobis, unde fuerit beatissimus Stephanus, utrum ex iis, qui priùs in Christum crediderant; sicut Nicodemus qui ad eum venit noctè: qui ibi sepeliri meruit, ubi & iste, quia per illum & iste inventus est: utrum ergo in his fuerit, an fortè in illis, qui post Ascensum Domini veniente Spiritu Sancto, quando impleti sunt Discipuli, & loquebantur linguis omnium Gentium, compuncti Apostolis dixerunt*,, Viri fratres, quid faciemus?,, *indicate nobis*. Fuisse unum ex primis, qui Petro concionanti adhæserunt, censet S. Hilarius in cap.17. Matth., idem sentit Ambrosius in c.5. Lucæ. Hoc certum est, quòd *plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in Populo* (v.8.) adeò ut qui erant ex Synagoga Libertinorum & Cireuensium & Alexandrinorum, & ex Cilicia & Asia cum eo disputantes, nec ejus sapientiæ valentes resistere, submiserint calumniatores, qui eum tanquam Mosaicarum Traditionum eversorem ad Synedrium traducerent. Quò vocatus, & Principe Sacerdotum eum interrogante, si res ita se haberet, an verò aliquid pro suî defensione adducere vellet, Stephanus, faciem suam tanquam Angeli gerens, omnia contra se objecta diluit, probans se nihil contra Templum, nihil contra Moysen loquutum suisse. Sed verso ad Judæos sermone reos illos & in Deum & in Prophetas accusans, eorum pervicaciam & infidelitatem, qui Prophetas primùm deinde Jesum Christum supplicio sustulissent, acerrimè perstrinxit. Hæc audientes (Act.7. v.54.) *dissecabantur cordibus suis & stridebant dentibus in eum*. Stephanus interim elatis ad cœlum oculis: *Ecce*, inquit, *video cælos apertos, & Filium Hominis stantem a dextris Dei*: quo tanquam ad blasphemiam horrore commoti *continuerunt aures suas*, & impetu facto eum extra Civitatem ejecerunt, ubi lapidibus confecerunt, Stephano positis genibus invocante & dicente, *Domine Jesu suscipe spiritum meum . . . Domine ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hac dixisset obdormivit in Domino. Saulus autem erat consentiens neci ejus*: quare ut expeditiores essent in jaciendis lapidibus, apud eum vestes deposuerant. De Saulo S. Augustinus citato ferm. 316. cap.3. *Tamen*, inquit, *& Saulus inter illos fuit. Cùm lapidaretur Stephanus agnus, adhuc ille erat lupus, adhuc sanguinem sitiebat, adhuc manus suas quibus lapidaret parum putabat, lapidantium vestimenta servabat*. Hunc tamen Saulum, quem hìc Stephanus habuit lupum, factum Paulum cæteræ oves Christi paulò post amantissimum habebunt Pastorem. De S. Stephano plura habet Augustinus fermonibus

ſequentibus, præter alios Patres. De ejus corporis inventione agit Lucianus, de quo ſuprà, & nos infrà.

IV. De cæteris ſex Diaconis aliqua dicam. Diaconus à ſancto Stephano ſecundus ordine eſt S. Philippus. Cæſaream Palæſtinæ patriam ejus fuiſſe ferunt, ibi enim habebat domum, & quatuor filias. De hoc Lucas Act.21. v.8. & 9. ait: *Alia autem die profecti venimus Cæſaream: & intrantes domum Philippi Evangeliſtæ, qui erat unus de Septem, manſimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes*. Ex quo eruitur, quòd anno Chriſti 58., quo hoc contigit, adhuc inter vivos erat: & corrigendus videtur Clemens Alexandr. lib.3. Strom. p.448., qui dicit quòd Philippus *Filias ſuas viris tradidit*, cùm Lucas dicat, eas Virgines uſque ad illud tempus fuiſſe. Philippi geſta, de quibus in Scriptura mentio fit, infra referemus. Poſtea Palæſtinâ relictâ Trallienſem Eccleſiam in Aſia fundaſſe, ibique in pace occubuiſſe, tradunt Græci in Menologio ad diem 11. Octobris: Latini tamen Cæſareæ, ubi patriam domum habebat, ſanctè obiiſſe volunt, & juxta illum tres filias ejus jacere, quartam autem Epheſi occubuiſſe. Ita Martyrolog. Rom. ad diem 6. Junii his verbis: *Demum* (Philippus) *apud Cæſaream requievit, juxta quem tres Virgines ejus filiæ prophetiſſæ tumulatæ jacent. Nam quarta filia ejus plena Spiritu Sancto Epheſi occubuit*. Temporibus S. Hieronymi anno 386. extabat adhuc memoria Cæſareæ in Palæſtina Philippi Diaconi, & filiarum ejus. Unde Epiſtola 27. modò 86. ad Euſtochium, referens itinera Paulæ ejus matris, dicit, quòd Cæſaream perveniens inter alia vidit *Philippi ædiculas & cubicula quatuor Virginum prophetarum*. Quòd quarta Philippi Filia Epheſi occubuerit (ut ex Adone ſumtum eſt) putatur ortum ex æquivocatione cum S. Hermione, quæ filia S. Philippi Apoſtoli fuiſſe creditur: de quo ſuo loco dicam. Nec ſatis has Philippi Diaconi filias diſtinxiſſe videtur Cajus Romanæ Eccleſiæ vetus Sacerdos, cùm eas Hierapoli obiiſſe dicit: hoc enim de Filiabus Philippi Apoſtoli potiùs dicendum eſt cum Euſebio lib.3. Hiſt. cap.39. Quòd verò Philippus iſte Diaconus à S. Luca vocetur *Evangeliſta*, non eſt quia Evangelium ſcripſerit, ut falsò olim putatum fuit, ſed quia, ut infra dicetur, Evangelium prædicavit, quod Evangeliſtæ actus eſt: unde Paulus Epiſt.2. cap.4., Timotheo v.5. ſcribit *Opus fac Evangeliſtæ*. Ita Baronius ad an. Chriſti 58. n.115.

V. Prochorus inter Diaconos, ordine tertius, primus fuit Nicodemiæ Epiſcopus, ſi Græcis credimus, & Antiochiæ clarus prodigiis die 9. Auguſti Martyrio coronatur. De eo mentio fit in

in Menologio ad diem 28. Julii; in Martyrol. autem Romano ad diem 9. Aprilis his verbis *Antiochiæ Sancti Prochori, qui fuit unus de Septem primis Diaconis, & fide ac miraculis clarus Martyrio coronatus est*. In Opusc. de 70. Apostolis S. Hippolyto Mart. tributo legitur *Prochorus Episcopus Nicomediæ, qui primus diem obiit, fidem cum filiabus suis amplexus*. Quibus huic etiam filiæ tribuuntur. Prochorum Nicomediensibus à Petro fuisse datum, dicit Baron. ad ann. 44. n. 11.

VI. Nicanor ordine quartus succedit. De hoc ferè nihil certum habemus. Martyrium in insula Cypri subiisse die 10. Januarii refert Martyrol. Rom.; Menolog. autem ad diem 28. Julii unà cum Prochoro ejus certamen consignat. Dorotheus in Synopsi ipsum aliosque plurimos ipsâ die, vel saltem in persecutione excitata post necem Stephani, interemtos fuisse. Quo admisso non in Cypro, sed Hierosolymis Martyrium subiit.

VII. Succedit quinto loco inter primos Diaconos Timon. Ejus patria ignota est, & gesta omnino latent. De eo Martyrol. Rom. ad diem 19. Aprilis hæc habet, *Natalis Sancti Timonis Diaconi de Septem Primis, qui primò apud Beroœam Doctor resedit, ac deinde Verbum Domini disseminans venit Corinthum, ibique à Judæis & Græcis, ut traditur, flammis injectus, sed nihil læsus, demum Cruci affixus Martyrium suum implevit*. Idem sentiunt Beda, Usuardus, & Ado. Unde corrigendus videtur Dorotheus, qui in Synopsi hunc non Beroœnsem sed Bostrensem fuisse Episcopum autumat: ei tamen consentit S. Hippolytus Opusc. supra citato dicens: *Timon Bostræ Episcopus*. Petrus de Natal. in Cathal. lib. 4. cap. 67. hunc Episcopum, sive Beroœæ sive Bostræ, alium fuisse censet à Timone uno ex Septem Diaconis.

VIII. Sextus occurrit Parmenas. De hoc nihil certi habemus. Menologium Græcorum ad diem 2. Martii dicit: *Ministrans Parmenas, & operam suam Sanctorum indigentiis fideliter religiosèque navans, ac Deo ejusque Discipulis & Apostolis placens, morbo correptus, & sub oculis Apostolorum vitâ functus, ad Christum quem concupierat migravit*. Quibus, naturali morte eum vitam citò, & quidem sub oculis Apostolorum finisse, indicat. Martyrologium verò Romanum ad diem 23. Januarii facit eum Philippis mortuum, ac ob Fidei prædicationem Martyrio coronatum sub Trajano his verbis: *Philippis in Macedonia S. Parmenæ, qui fuit unus ex septem primis Diaconis. Hic traditus gratiæ Dei injunctum sibi à fratribus officium prædicationis plenâ fide consummans sub Trajano Martyrii gloriam est adeptus*. Hippolytus prælato loco facit Parmenam Episcopum Solorum. Scriptura postquam

quam Act.*6*. v.*6*. eum inter Septem Diaconos recensuit, nullam Parmenæ mentionem ullibi ampliùs facit.

IX. Septimus ex primis Diaconis fuit *Nicolaus Advena Antiochenus*, hoc est Antiochiæ proselytus, seu à Paganismo ad Judæorum Religionem traductus. Christianæ Catholicæque Fidei deinde addictus eâ morum integritate vivebat, ut idcircò inter primos Hierosolymitanæ Ecclesiæ Diaconos fuerit cooptatus, quòd inter cæteros Fideles vitæ sanctitate emineret. Hujus clara quidem fuerunt initia, progressu tamen temporis ejus nomen tantâ labe infectum evasit, ut omnino purgari nunquam potuerit. Nicolaitæ Hæretici hâc labe eum infecerunt. An verò ab eo tantùm nomen, vel ad summum occasionem sui erroris sumserint, an etiam ipso præeunte ac docente errorem didicerint, res est à primis usque seculis usque ad præsentia sub lite posita, nunquam tamen hactenùs decisa. Ex Veteribus alii ipsum excusant, alii damnant, alii dubitant: unde ex Recentioribus nemo sententiam ferre audet; quidam mitiùs quidam graviùs de eo loquuntur.

X. Nicolaitarum errorem Auctorem eum faciunt S. Irenæus lib. 1. contra hæref. cap. 27., modò 26. dicens: *Nicolaitæ Magistrum habent Nicolaum, unum ex septem, qui primi ad Diaconatum ab Apostolis ordinati sunt*. Tertullianus lib. de Præscript. cap. 46. *Alter hæreticus Nicolaus emersit: hic de Septem Diaconis, qui in Actis Apostolorum allecti sunt, fuit*. Epiphanius hæref. 25. ejus errorem ita describit: *Nicolaum, cùm uxorem haberet eleganti specie, ab ea sibi aliquandiù temperasse, ut eos imitaretur, quos Deo addictos cerneret, sed non intemperantiam suam perpetuò coercere potuisse... Cùm uxore sua consuetudinem rursùs habuisse: & jactare illud ausum, neminem salutem æternam consequi posse, nisi singulis diebus luxuriæ vacet*. Philastrius hæref. 33., S. Hilarius c. 25. in Matth. ad illa verba: *Et falsi Prophetæ erunt*, subjungit *ut Nicolaus unus ex Septem Diaconibus fuit*. S. Hieronymus Epist. 1. modò 5. ad Heliodorum: *Non omnes*, inquit, *Episcopi Episcopi sunt. Attendis Petrum, sed & Judam considera; Stephanum, sed & Nicolaum respice, quem Dominus in Apocalypsi suâ damnat sententiâ, qui tam turpia & nefanda commentus est, ut Nicolaitarum hæresis ex illa radice nascatur*: similia dicit Epist. 48. modò 93. ad Sabinianum lapsum. Idem sentiunt alii, quibus consentit Nicephorus lib. 3. Hist. Eccl. cap. 15.. S. Augustinus verò videtur rem hanc proponere tanquam non adeò certam lib. de hæres. cap. 5., dum ait: *Nicolaitæ à Nicolao nominati sunt, uno ex Septem, quos Apostoli Diaconos ordinaverunt. Iste cum de zelo pul-*

pulcherrimæ conjugis culparetur, velut purgandi se causâ, permisisse fertur, ut eâ qui vellet, uteretur. Quod ejus factum in sectam turpissimam versum est, quâ placet usus indifferens feminarum.

XI. Eum à labe, saltem hæresis, purgare conantur, primò Clemens Alexandrinus tum lib.2. Stromat. pag.411., ubi agens contra quosdam, qui fræna incontinentiæ laxantes dicebant tamen, se ab ea non vinci, unde quidam Aristippus Sophista, *cùm probro ei daretur, quòd cum meretrice Corinthia assiduè versaretur: habeo, inquiebat, Laidem, sed ab ipsa non habeor*, subjungit: *Tales autem sunt etiam, qui dicunt se sequi Nicolaum, adducentes ejus viri aliquid litterarum monumentis mandatum, sed ab eis detortum, nempè* oportere carne uti: *Sed ille quidem vir præclarus significabat oportere voluptates arcere & cupiditates, & hac exercitatione marcidas flaccidasque reddere carnis appetitiones & insultus* &c. Inde arguit Nicolaitas, qui distortè Nicolai dictum exponentes, & *decretum ipsius voluptatis, non autem viri Apostolici* sequentes, ubi iste dixit oportere carne uti, carnem arcendo & cupiditates edomando, illi ad voluptates eum detorquebant, non arcendas non domandas sed effrænatè laxandas. Tum lib.3. Strom. pag.436., ubi ad supradicta revertens: *Cùm autem*, inquit, *de dicto Nicolai loqueremur, illud prætermisimus. Cùm formosam, inquiunt, haberet uxorem, & post Servatoris assumtionem ei fuisset ab Apostolis exprobrata zelotypia, in medium adductâ muliere, permisit cui vellet eam nubere. Ajunt enim hanc actionem illi voci consentaneam, quæ dicit, quòd carne uti oporteat: ejusque factum & dictum absolutè & inconsideratè sequentes, qui ejus hæresim persequuntur, impudenter effusèque fornicantur. Ego autem audio, Nicolaum quidem nullâ unquam aliâ, quàm eâ, quæ ei nupserat, uxore usum esse, & ex illius liberis filias quidem consenuisse virgines, filium autem permansisse incorruptum. Quæ cùm ita se habeant, vitii erat depulsio atque expurgatio, in medium Apostolorum circumactio uxoris, cujus dicebatur laborare zelotypiâ, & continentia à voluptatibus, quæ magno studio parantur, docebat illud*, uti carne, *hoc est exercere carnem*. His Clemens ostendere conatur, Nicolaum hæresim dictam Nicolaitarum non invexisse, imò potiùs facto & dicto suo oppositum demonstrasse: sed Nicolaitas factum & dictum ejus ad sui libidinem pravè detorquentes, hæresim formasse; eique viri Apostolici ab ea alieni nomen indidisse.

Clementi subscribunt Eusebius lib.3. Hist. cap.29., ubi de Nicolaitis: *Hi*, inquit, *Nicolaum quemdam, unum ex illis, qui ad curam inopum gerendam unà cum Stephano ab Apostolis constituti*

tuti fuerant Ministri, sectæ suæ auctorem jactabant. Et mox laudatum Clementis testimonium refert. Jactabant ergo Nicolaum auctorem, non habebant. Theodoritus etiam lib. 3. Hæretic. Fabul. cap. 23., postquam Clementis Alexandrini locum protulit ait: *Ex quibus liquidò convincitur* (Nicolaitas) *falsò sibi de ejus appellatione nomen arrogare, qui supradictam intemperantiam exercent.* Nec quòd cuique suam uxorem permiserit, arguit eum fuisse erroris Nicolaitarum Magistrum. Nam primò non permisit, eâ, quisque vellet, *uti* sive *abuti*, *sed cuiquam vellet eam nubere*, & hoc ex simplicitate vel inconsideratione fecit. Secundò, ut Theodoritus loco citato dicit, Nicolaum hoc egisse, *non lege aliquâ decernentem; sed ut accusatorum calumniam redargueret. Inde nonnulli id, quod ab illo prædictâ de causa gestum fuerat, pessimè accipientes communes habere uxores sanxerunt. At Nicolaum Clemens temperantiâ insignem fuisse, liberosque supernaturalem castitatem docuisse refert;* quod cùm Nicolaitarum hæresi directè contrarium sit, validum pro Nicolai causâ format argumentum.

XII. In hanc benigniorem sententiam propendunt ex Recentioribus non pauci: Baronius ad ann. 68. n. 1. addens in confirmationem, Nicolaum Diaconum, ut virum Fide Catholica probatissimum, angustiori auctum honore, factumque ab Apostolis Episcopum Samaritanorum, ut sub Hippolyti nomine fert Liber de 72. Discipulis: cui consentit Dorotheus in Synopsi. Natalis etiam Alexandre in Hist. Eccl. seculi 1. dissert. 9., qui præter supradicta in favorem Nicolai, movetur; quòd incredibile sibi sit, eum, quem Scriptura Sacra annumerat Viris boni testimonii plenis Spiritu Sancto & Sapientia, & quem nullibi damnat aut perstringit, fuisse Caput & Auctorem nefariæ hæresis. Atqui Scriptura Nicolaum advenam Antiochenum Septem Diaconorum unum annumerat Viris boni testimonii, plenis Spiritu Sancto & Sapientia (Act. 6. v. 3.) & nullibi indicat, eum tam præclaras dotes hæresi aut libidine maculasse: nam etsi Apocal. 2. v. 6. & 15. facta Nicolaitarum execretur, Nicolai tamen nomini nullam notam inurit. Verisimile igitur est, eum talis hæresis non fuisse Auctorem. Quare, inquit Cassianus Collat. 18. cap. 16., quidam Nicolaum Nicolaitarum Patrem & Caput alium voluerunt fuisse à Nicolao uno ex Septem Diaconis. Unde Auctor Constit. Apostolic. lib. 6. cap. 8. asserit, Nicolaitas injustè sibi Nicolai hujus nomen usurpasse.

Probabile ex dictis apparet, Nicolaum Antiochenum unum ex septem primis Diaconis non fuisse reverà Caput hæresis Nico-

colaitarum; quamvis isti ad suum errorem auctoritate Viri Apostolici muniendum ejus nomine abuterentur. Quid autem reverà fuerit, alii statuendum relinquo. Mihi scrupulum facit, quòd nullam Ecclesiam noverim, quæ, sicut aliis sex Diaconis, huic Nicolao cultum aliquem exhibuerit, vel ejus nomen in sacris Diptychis adnotaverit.

XIII. Si quæras, in quo sita fuerit hæresis Nicolaitarum. Dicam cum S. Augustino lib. de Hæres. cap. 5., quòd factum prænarratum Nicolai, qui *cum de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, ejus purgandi se causâ permisisse fertur, ut eâ qui vellet uteretur, in sectam turpissimam versum est, quâ placet usus indifferens feminarum. Hi nec ab iis, quæ idolis immolantur, cibos suos separant, & alios ritus Gentilium superstitionum non aversantur. Narrant etiam quædam fabulosa de Mundo, nescio quæ barbara Principum nomina miscentes disputationibus suis, quibus terreant auditores, quæ prudentibus risum potiùs faciunt, quàm timorem. Intelliguntur etiam isti non Deo tribuere creaturam, sed quibusdam potestatibus, quas mirabili vel fingunt vanitate vel credunt.* Hæc de Nicolaitis Augustinus, quæ cùm ad rem præsentem non faciant, sufficit indicasse.

§. V.

De Fidelium post necem Stephani dispersione, de Simonis Magi, & Eunuchi Baptismo.

I. NUnc ad ea, unde digressi fuimus, revertamur. Tantum abfuit, ut Stephani morte Judæorum furor mitesceret, quin potiùs in apertam & generalem Fidelium Christi persecutionem eruperit, sic disponente Deo, qui voluit, Ecclesiam suam persecutionibus, quibus suffocari debuisset, in dies magis augeri; ut disceremus, hoc fuisse opus non humanum sed prorsùs Divinum. Refert igitur S. Lucas Act. 8., quòd curaverunt Corpus S. Stephani viri timorati, & fecerunt planctum magnum super eum: *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ præter Apostolos... Saulus autem devastabat Ecclesiam, per domos intrans & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam.* Quis ex hac Fidelium dispersione ex hac Sauli devastatione extremam Ecclesiæ perniciem non timuisset? Utramque intendebat Diabolus, qui eas excitabat, sed neutram volebat Deus, qui utramque permittebat. Imò ex dispersione Fidelium volebat

Evangelii disseminationem per Judæam & Samariam, & ex Saulo devastatore Ecclesiæ destinabat Paulum Ecclesiæ Apostolum, & Fidei ad Gentes propagatorem, ut suo loco dicam, cùm de Paulo sermo erit.

II. Primum autem evenisse, ostendit Lucas cap.3. v.3. dicens: *Igitur qui dispersi erant, pertransibant evangelizantes Verbum Dei*, ideft, *absque metu cum Samaria se commiscent, qui audierant* Matth.10. v.15. *In viam Gentium ne abieritis*, ut observat Chrysost. Homil. 18. in Acta: qui addit, solos Apostolos remansisse, & *ut sic Judæos adducerent, Civitatem non reliquisse, sive etiam ut aliis fiduciæ auctores essent*. Adderem etiam quia, Apostolis specialiter Matth.10. v.5. dictum fuerat: *In civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potiùs ite ad oves, quæ perierunt domus Israel*.

III. In Evangelii tamen prædicatione Philippus Diaconus, de quo §. præcedente, maximè emicuit. Is, ut habetur v.5., *Descendens in civitatem Samariæ* (postea ab Herode dictam Sebastem) *prædicabat illis Christum*. Turbæ autem audicentes ea, quæ à Philippo dicebantur, ac videntes insuper signa quæ faciebat, Dæmones clamoribus ab obsessis exeuntes, paralyticos claudosque sanatos, ad eum gaudio magno confluebant, & credentes baptizati sunt viri ac mulieres. Aderat ibi vir quidam nomine Simon, qui ante fuerat in Civitate Magus seducens Gentes Samariæ, & esse aliquid magnum se venditabat: hic præstigiis suis Populum adeò dementaverat, ut crederet, eum esse Virtutem Dei, & à minimo usque ad maximum omnes sequerentur. Ad prædicationem tamen Philippi & iste credidit, & baptizatus, videns etiam signa & virtutes maximas, quas faciebat, stupens Philippo adhærebat.

Cùm ergo pervenisset fama ad Apostolos, qui erant Hierosolymis, quòd recepisset Samaria Verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem: qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in Nomine Domini Jesu. Cùm ergo imponerent super illos manus, accipiebant Spiritum Sanctum, & cum eo visibilia Gratiarum Dona. Videns hoc Simon, obtulit Apostolis pecuniam dicens v.19. *Date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum*. Exhorruit ad hanc vocem Petrus, eique dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam Donum Dei existimasti pecuniâ possideri. Non est tibi pars neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age*
ab

ab hac nequitia tua &c. Ex his apparet, Simonem Fidem nec sincerè nec propter Christum suscepisse, sed simulatè propter signa, quæ à Philippo fieri videbat, & ad quæ arte suâ pertingere nondum potuerat. Quare videns, ab Apostolis hæc Dona impositione manuum conferri, putavit esse opus hominis, ideòque obtulit eis pecuniam, ut ei darent hanc potestatem. Ita S. Augustinus serm. 99. (aliàs homil. 23. ex 50.) *Quia tunc sic dabatur Spiritus Sanctus, ut etiam appareret datus. Qui enim eum accipiebant, linguis omnium Gentium loquebantur, ut significarent, Ecclesiam in Gentibus linguis omnium locuturam. Acceperunt ergo Spiritum Sanctum, & in eis evidenter apparuit. Quod cùm vidisset Simon, putans hoc esse hominum, voluit esse & suum. Quod hominum putavit, ab hominibus emere voluit. Quantam, inquit, vultis à me pecuniam sumere, ut per impositionem manuum mearum detur Spiritus Sanctus? Tunc eum detestatus Petrus ait, non est tibi pars neque sors in hac Fide; donum enim Dei putasti pecuniâ comparandum? Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Ad hæc Simon visus est quidem pœnituisse, sed ejus pœnitentiam ex corde non fuisse ostenderunt ejus gesta & exitus, de quo infra. Hic fuit primus Petri cum Simone congressus. Videatur idem S. August. in Psal. 130., ubi ait: *Volebat ergo* Simon *emere Columbam, & vendere Columbam: accessit Dominus Jesus Christus, qui habitabat in Petro, & flagello resticulæ* (idest funiculi) *expulit foràs malum mercatorem*. Illum, ut Ananiam & Saphiram, non occidit, quia, ut ait Chrysost. homil. 18. in Acta, Deus semel tantùm has visibiles punitiones exercere solet, ut aliis sint in exemplum.

IV. Unde autem, & quis fuerit Simon, Justinus Martyr in Apolog. 2. pro Christianis ita refert: *Simon quidam Samaritanus in vico, cui* Gnitton *nomen est, natus, qui sub Claudio Cæsare efficacium Dæmonum arte in imperiali Urbe vestrâ Roma propter Magicas, quas exhibuit virtutes, Deus habitus est, & statuâ apud vos veluti Deus honoratus: quæ statua in amne Tiberi inter duos pontes est erecta, Latinam hanc habens inscriptionem*, Simoni Deo Sancto: *ac Samaritani propè omnes, ex aliis autem Nationibus etiam perpauci, illum quasi primum Deum esse confitentes adorant quoque: & Helenam quandam professionis ejus eo tempore comitem, quæ priùs pudicitiam in propatulo habuerat, & in lupanari prostiterat, principem ab illo Notionem & Intelligentiam factam esse narrant.* Hæc Justinus. Sed de Simone plura infra §. 11. num. 4. 5. 6.

V. Cur autem Apostoli rescientes Samaritanorum Conversionem & Baptismum eis à Philippo collatum, miserint Petrum & Joannem, ut eis manus imponerent & conferrent Spiri-

ritum Sanctum, ratio fuit, quia Philippus utpotè simplex Diaconus, poterat quidem baptismate credentes tingere, sed per manuum impositionem Spiritum dare non poterat: hoc enim solis Apostolis reservabatur; sicut modô solis Episcopis tanquam Apostolorum in Ecclesia successoribus dare Spiritum Sanctum per impositionem manuum in Sacramento Confirmationis reservatur: unde Chrysost. homil. 18. citata: *Eccur*, inquit, *hi baptizati non acceperunt Spiritum Sanctum? Vel quia Philippus dare ausus non erat, hunc reservans Apostolis honorem: sive quia hoc charisma non habebat; erat enim ex illis septem; id quod magis videtur dicendum. Puto certè hunc Philippum ex septem illis esse secundùm à Stephano. Quare cùm baptizaret Spiritum baptizatis non dabat. Neque enim potestatem habebat. Hoc quippe Donum duodecim illorum tantùm erat.* Ex hoc facto contra Acatholicos duo infero. Unum quòd Sacramentum Confirmationis, in quo datur Spiritus Sanctus, sit distinctum à Baptismo. Alterum, quòd soli Episcopi illud conferendi charisma habeant. De utroque egi tom. 2. in 3. p. Tract. de Confirm. q. 1. dub. 1. & q. 2. dub. 1.

VI. Interea dum Petrus & Joannes Simone Mago correcto, annuntiantes Samaritis, ad quos in itinere accedebant, Hierosolymam revertebantur, Philippo adhuc probabiliter Samariæ commoranti apparuit Angelus præcipiens ei v. 26. *Surge & vade contra meridianum ad viam, quæ descendit ab Jerusalem in Gazam; hæc est deserta.* Philippus nec quærens causam talis missionis *surgens* abiit. Quò cùm pervenisset, obvium habuit Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum, & Præfectum Regii Ærarii, qui *venerat adorare in Jerusalem, & revertebatur sedens super currum suum, legensque Isaiam Prophetam.*

VII. Ad hunc ergo, jubente Sancto Spiritu, accedens Philippus & audiens eum legentem Isaiam Prophetam: *Putasne*, inquit, *intelligis quæ legis?* Qui respondit: *Et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi? Rogavitque Philippum, ut ascenderet & sederet secum.* Cùmque locus quem legebat esset iste (Isaiæ 53. v. 7.) *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut Agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum* &c. Tunc Eunuchus ad Philippum: *Obsecro te*, inquit, *de quo Propheta dicit hoc? De se, an de alio aliquo?* Tunc occasionem nactus Philippus, ostendit ei, sub illa littera, quæ ei obscura videbatur, præfiguratum fuisse Jesum, quem tanquam Agnum paulò ante Judæi occiderant, omniaque alia, quæ necessaria erant ad eum de veritate illuminandum aperuit, & præcipuè Baptismum. Ad hæc commo-

motus Eunuchus, cùm venissent ad quandam aquam dixit: *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* Et respondente Philippo: *Si credis ex toto corde, licet*: ei Eunuchus: *Credo*, inquit, *Filium Dei esse Jesum Christum*, jubensque *stare currum descenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum*. Quo facto, Spiritus Domini rapuit Philippum, nec ampliùs eum vidit Eunuchus, qui tamen viam suam gaudens prosequebatur: *Philippus autem inventus est in Azoto* (Hebraicè Asdod Urbe in sorte Tribus Juda, quam tamen Philistiim diu detinuerant habentem portum ad Mediterraneum) *& pertransiens evangelizabat Civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream*. Hujus Philippi ampliùs Scriptura non meminit ab anno Christi 34., quo hæc contigisse feruntur, usque ad ann. 58. Act.21. v.8., ubi, ut dixi §. præced., Paulus Cæsaream veniens in domo Philippi moratus dicitur.

VIII. In hac Eunuchi Conversione manus Dei evidenter apparuit, qui ad hunc finem Philippum misit, Eunuchum absque ullo visibili signo statim ad Fidem traxit, & repentè Philippum ab eo rapuit. Quod observans S Chrysost. Homil. 19. in Acta, ait: *E re autem rapuit illum Spiritus; alioquin rogasset Eunuchus, ut secum veniret, quem ille fortè contristasset negando, cùm nondum tempus esset*. Quòd autem ab eo rapto Philippo non doleret Eunuchus, sed iret per viam gaudens, arguit, eum cum Baptismo, etsi non impositione manuum (hoc enim ut vidimus Philippus facere non poterat) divinitùs tamen accepisse Spiritum Sanctum, ut sciretur, hoc non esse opus hominis, ut perversè cogitaverat Simon Magus. Unde S. August. serm.99. (aliàs 23. ex Homiliis 50.) cap.11. *Impleto*, inquit, *baptismatis Mysterio & Sacramento, ne hominum putaretur Donum Spiritus Sancti, non expectatum est, sicut tunc ut venirent Apostoli, sed continuò venit Spiritus Sanctus. Soluta est Simonis cogitatio, ne in tali cogitatione haberet imitatores*.

IX. Eunuchum istum fuisse primum Æthiopiæ Apostolum, seu primum, qui Æthiopibus prædicavit Christi Fidem, sentiunt Veteres: Irenæus lib.3. contra hæres. cap.12. de Eunucho dicit: *Qui & missus est in regiones Æthiopiæ prædicaturus hoc quod ipse crediderat*. Cyrillus Hierosol. Catech.17. de Philippo ait: *Docuitque Æthiopem, & baptizavit, inque Æthiopiam Christi præconem misit, juxta illud, quod scriptum est* (Psalm.67. v.32. „Æthiopia præveniet manum suam Domino„ *Et raptus ab Angelo reliquis ex ordine Civitatibus Evangelium prædicabat*: quibus videntur asserere, Eunuchum istum ad prædicandum Æthiopibus

bus Evangelium à Philippo fuisse missum. Idem sentit Eusebius lib.2. Hist. cap.1., & Hieronymus in cap.53. Isaiæ. Abyssini fidei suæ auctorem eum agnoscunt. Dorotheus in Synopsi, & alii putant, eum Apostolum fuisse Arabiæ Felicis & Taprobanæ, quippe qui Reginam Candacem in Arabia Felice regnasse autumant. Vulgó tamen creditur hæc Regina, cui Eunuchus serviebat, in Peninsula Meroe ad meridiem Ægypti ditionem obtinuisse: ibi enim feminas regnasse constat, è quibus nonnullæ Candaces appellabantur. Fertur (addit Baronius ad diem 6. Junii) Martyrium gloriosè tulisse, ejusque monumentum Barbaros sceleftos fugare, morbos pellere & mirabilia edere, quæ ex Dorotheo sumuntur.

X. Quæri potest, an Eunuchus ille Judæus fuerit, an Gentilis?

Pontius Diaconus in vita S. Cypriani facit eum Judæum: *Ille enim*, inquit, *& Judæus erat, & de Templo Domini veniens Prophetam legebat Isaiam, & sperabat in Christo, etsi nondum eum venisse crediderat*. Et sanè hoc difficile creditu non est, cùm Judæi tunc ubique forent expansi; tum quia hoc suadere videntur iter Hierosolymam ad Deum adorandum, lectura Isaiæ, non curiositatis studio, sed tanquam Prophetæ. Eusebius tamen lib.2. Hist. cap. 1., Cyrillus etiam Hierosf. Cath.17., dum Eunuchum illum vocant locis citatis quasi primitias Fidei Æthiopum, videntur velle eum Gentilem fuisse. Baronius tamen ad ann. 35. num. 27. advertens, nondum Gentibus ad Christi Ecclesiam fuisse tunc aditum reseratum, qui primo omnium patuit Cornelio, de quo infra, censet hunc Eunuchum Æthiopem fuisse proselytum ex Gentibus ad Judæorum Religionem adductum: & propterea Hierosolymam se contulisse Deum Hebraico Ritu adoraturum. Cui opinioni adhærendum probabiliùs existimo.

§. VI.

De Calumniis Judæorum contra Christianos.

I. QUamvis ex iis, quæ de Christo ad Tiberium Cæsarem Pilatus scripserat, de quo aliqua supra dixi, illius Principis animus in Christum ejusque asseclas potiùs propensus esset, adeòut, ni Senatus obstitisset, Christum Deorum numero accensuisset: ideòque à Gentibus nullam tunc persecutionem paterentur: Judæorum tamen rabies in dies magis magisque efferve-

vebat, ut post ejectionem Fidelium eorumque dispersionem, ad delendum ex orbe sibi invisum Christi nomen totos conatus converterint. Quare cùm non haberent potestatem in Christianos, ubique locorum sparsos, per se ipsos necem inferendi, propter Romanos, qui tunc rerum potiebantur, communi consilio viros selegerunt, qui calumnias contra Christum, ejusque doctrinam ubique terrarum evulgarent. Ita eis improperat Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo pag.234. *Cùm*, inquit, *eum cognovissetis resurrexisse à mortuis, atque in Cœlum conscendisse, pro eo atque futurum vaticinia præmonstraverant: tantum abest, ut resipiscentes pœnitentiâ de malis commissis duceremini, ut etiam viros eximios Hjerosolymis delectos in terram omnem tum legaveritis, dicentes, hæresim sectamque Christianorum nullius numinis cultricem extitisse; atque ea contra nos sermonibus spargentes, quæ cuncti, qui nos norunt, jactant. Itaque non ipsi modò vobis iniquitatis estis causa, sed aliis quoque prorsùs mortalibus universis.* Hoc idem indicat Eusebius l.2. hist. c.13., Origenes l.6. contra Celsum.

II. Ex hac à Judæis evulgata Christianorum diffamatione originem traxere crimina, quibus eorum Religio ubique etiam à Paganis onerabatur. Christiani igitur traducebantur primò, quòd essent athei, hoc est nullius Numinis cultores, ut ex Justino dictum est. Secundò, quòd essent polythei quasi Trinitatem personarum in Deo admittentes plures Deos colerent. Tertiò, quòd caput asini adorarent, ut Tertullianus refert in Apologet. contra Gentes c. 16. Quartò quòd humanam libertatem everterent, dum actiones humanas Deo submitterent, sicut alii eas submittebant fato (ex Minutio felici). Quintò quòd nihil agentes vitæ humanæ inutiles essent. (Tertull. Apolog. c.42.) Sextò quòd rei læsæ humanæ majestatis essent, nec debitos honores Principibus persolverent; quòd ut publici hostes habendi essent, utpote novam contra Romanos Monarchiam molientes (Tertull. apol. c.35., Justinus apol.1. pag.58.) eò quòd Regnum mundanum non curarent, sed cœleste. Hæc & alia Gentes, suadentibus fortè Judæis, Christianis impingebant.

III. Judæi autem Christianos accusabant primò: Quòd Legem despicerent. (Origen. l.3. contra Celsum) Quòd hæreses detestabiles proferrent (l.6. contra Celsum) quòd arte magicâ miracula ederent (idem Orig. l.1.) rursùs quòd in suis mysteriis carnem infantis ab ipsis occisi manducarent: de hoc Origenes l.6. contra Celsum, Tertullianus in Apolog. c.2. & 7., Justinus in Dial. cum Tryphone sic dicens; *An vos etiam de nobis cre-*

creditis, homines nos vorare, & post epulum lucernis extinctis, nefario promiscuo concubitu involvi? Quibus ultimis verbis indicat aliam calumniam Christianis impositam, quòd nimirùm videntes Christianos mutuo se amore ut fratres & sorores diligere, dicebant, in secretis eorum mysteriis, post voratam carnem infantis vel hominis, fœdis Thyestis, aut Œdipi congressibus invicem commisceri: & Tertullianus dicto c.7. *Dicimur*, inquit, *sceleratissimi de sacramento infanticides, & pabulo inde: Et post convivium incesto, quòd eversores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum & libidinum impiarum inverecundiâ procurent*. Cùm enim mysteria Corporis & Sanguinis celebrarent, & quidem secretò invicem communicantes, putabant, ut olim Capharnaitæ, eos infantem vel hominem occidere, manducare, & fœdis postea libidinibus commisceri. Quos tamen sic Tertullianus aggreditur. *Unde hoc nostis? Quis unquam taliter vagienti infanti supervenit?... Quis vel in uxoribus aliqua immunda vestigia deprehendit? Quis talia facinora cùm invenisset celavit?.... Si semper latemus, quomodo proditum est quod admittimus?*

IV. Eos insuper insimulabant, quasi homines à toto Orbe sejunctos, tertiam hominum speciem, qui nec Romani essent, nec Judæi: Eos despiciebant, quòd cùm essent indocti, ac conditione viles, se antiquis Philosophis præferrent, ac viros doctrinâ & dignitate præclaros à suo cœtu excluderent, solùmque ad se trahere Populum rudem, quem vanis & absque fundamento terroribus implebant. Rursùs dum eos videbant externas pompas despicere ac ab epulis temperare, avaritiâ damnabant: dum verò Agapes mutuæ caritatis festa eos celebrare audiebant, ut prodigos traducebant. Eorum in ferendis tormentis constantia obstinatæ temeritati modò, modò insulsæ stupiditati tribuebatur. Demum tanquam publicæ pacis eversores, novi Regni fabricatores, suspectos atque invisos Regibus atque Principibus eos reddere conabantur. Quos tamen ab omni ejusmodi suspicione purgat Justinus Martyr. Apolog.2. pag.58. &c. ostendens, Regnum quod affectant Christi non esse humanum; *Si enim humanum expectaremus Regnum, inficiaremur utique, ne occideremur; ac latere contenderemus, ut expectationis compotes fieremus. Sed quia spes nostras non in rebus præsentibus fixas habemus, percussores nihil moramur; præsertim cùm moriendum esse nobis sciamus*. Huic forti exponebantur, qui primi Christo nomen dabant, à Judæorum furore, Gentium etiam adjutorium exposcentium. Quis ergo non existimasset, Christianum nomen vel in ipsis exordiis suffocandum? Ita planè, si opus hominum fuisset,
sed

ſed quia opus Dei, tantum abfuit, ut inter perſecutiones periret, quin potius è perſecutionibus robur & incrementum acciperet. S. Auguſt. de Catechizandis rudibus c. 23. *Cum*, inquit, *viderent Judæi tanta ſigna fieri in ejus nomine, quem partim per invidiam partim per errorem crucifixerunt, alii irritati ſunt ad perſequendos prædicatores ejus Apoſtolos; alii verò idipſum ampliùs admirantes, quòd in ejus nomine, quem veluti à ſe oppreſſum & victum riſerant, tanta miracula fierent, pœnitendo converſi crediderunt in eum millia Judæorum. Non erant jam illi temporalia beneficia terrenumque Regnum deſiderantes à Deo, nec promiſſum Regem Chriſtum carnaliter expectantes, ſed immortaliter intelligentes, & diligentes eum, qui pro ipſis ab ipſis tanta mortaliter pertulit, & eis uſque ad ſui ſanguinis*(effuſionem)*peccata donavit, & immortalitatem à ſe ſperandam, & deſiderandam exemplo ſuæ reſurrectionis oſtendit... Deinde etiam ipſi à Judæis carnalibus civibus carnis ſuæ perſecutionem paſſi atque diſperſi ſunt, ut latiùs Chriſtus eorum diſperſione prædicaretur; & imitarentur etiam ipſi patientiam Domini ſui, quia qui eos manſuetus paſſus fuerat, manſuefactos pro ſe pati jubebat. Ex ipſis ſanctorum perſecutoribus fuerat etiam Apoſtolus Paulus, & in Chriſtianos maximè ſæviebat: ſed poſtea credens & Apoſtolus factus, miſſus eſt, ut gentibus Evangelium prædicaret, graviora perpeſſus pro nomine Chriſti, quàm fecerat contra nomen Chriſti*. His Auguſtinus oſtendit ex perſecutionibus gloriam nominis Chriſti, & ex ipſis etiam perſecutoribus illuſtriorem evaſiſſe. De Paulo ſuo loco dicam. Nunc ad Petrum, à quo digreſſi ſumus, revertamur.

§. VII.

Petrus ſanat Æneam, excitat Tabitham, & Cornelium convertit.

I. NArratâ c. 9. Sauli ex perſecutore in Paulum Apoſtolum converſione, S. Lucas v. 31. dicit, quòd Eccleſia per totam Judæam, Galilæam, & Samariam pace fruebatur, & ambulans in timore Domini ædificabatur, & conſolatione Sancti Spiritus replebatur. Petrus ergo, qui Hieroſolymis durante perſecutione, ut Eccleſiam ibi exiſtentem in fide ſuâ præſentiâ contineret, permanſerat, pace reſtitutâ, ſui muneris partes exiſtimavit cæteras Eccleſias viſitatione perluſtrare, & ſi quid opus eſſet ad ordinem redigere. *Factum eſt autem* (ait Lucas c. 9. v. 32.) *ut Petrus dum pertranſiret univerſos, deveniret ad Sanctos,*

qui habitabant Lyddæ. Super quæ Chrysostomus homil. 21. in Acta, *Quasi*, inquit, *dux circuibat, ordines considerans, quæ pars esset coaduunata, quæ ornata, quæ sui præsentiâ egeret. Vide illum ubique circumcursantem, & primum inventum, ubi eligendus erat Apostolus; hic primus fuit, cùm dicendum erat Judæis non esse ebrios Apostolos, cum claudus sanandus fuit, quando concionandum erat: Sic ante alios erat, quando agendum cum Præfectis, quando cum Anania, cùm ex umbra sanationes fierent. Ubi periculum est, hic adest, & ubi quædam dispensanda sunt. Ubi verò tranquillæ res sunt, in communi omnes; hic majorem non appetit honorem. Rursùs cum miracula edere oportebat, ille prosiliebat. Et hic iterum ipse per se laborat, & iter agit.* His zelum ac vigilantiam Petri tanquam Ecclesiæ Ducis ac Pastoris commendat Chrysostomus.

II. Pervenit ergo Lyddam seu Diospolim ad Tribum Ephraim pertinentem, secus viam, quæ Hjerosolymâ Cæsaream Philippi ducit, sitam, & ab Urbe Joppes, quam quatuor vel quinque leucis occidentalem habet, distantem. Hic invenit quendam Æneam nomine ab octo annis jacentem in lecto, quia erat paralyticus. Hunc intuitus dixit ei Petrus: *Ænea, sanat te Dominus Jesus Christus: Surge, & sterne tibi. Et continuò surrexit.* Non ab eo quæsivit, an vellet sanus fieri, an fidem haberet, sed statim *sanat te Dominus: Surge*: erat enim (observat Chrysostomus ibidem) primum signum, quod ibi faciebat, nec tantùm ad consolationem credentium, sed ad nondum conversorum. Et ita contigit: nam *& viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ, & Saronæ* (Urbs est inter Joppen Antipatridem & Lyddam) *qui conversi sunt ad Dominum*.

III. Erat autem eo tempore in Joppe urbe Lyddæ proxima, ut dictum est, quædam discipula Christi fidelis nomine Tabitha vidua, alio nomine dicta *Dorcas*. Hæc anno 35. lethali ægritudine correpta cum decessisset, atque defunctæ corpus de more lotum super tabulam in superiori Cœnaculo mox sarcophago imponendum collocassent, audientes Discipuli, quòd Petrus esset Lyddæ, *miserunt duos Viros ad eum rogantes: Ne pigriteris venire usque ad nos* (v. 38. &c.) *Exurgens autem Petrus venit cum illis. Et cùm advenisset, duxerunt illum in Cœnaculum: & circumsteterunt illum omnes Viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas & vestes, quas faciebat illis Dorcas* (aliàs Tabitha) His ergo facessere jussis, *Petrus ponens genua oravit*, confidens fore, ut ad pietatis opera, quæ Tabitha faciebat, & viduarum ac pauperum lacrymas Deus respiceret. *Inde conversus ad corpus dixit: Ta-*

Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro resedit. Dans autem illi manum erexit eam. Et cùm vocasset sanctos & viduas, assignavit eam vivam. Prodigiosum hoc factum per universam Joppen evulgatum multos traxit ad fidem. Petrus autem dies multos in Joppe moratus est *apud Simonem quemdam coriarium.* Super quæ Chrysostomus ibi: *Vide*, inquit, *modestiam, & mansuetudinem Petri: quomodo non apud illam* (Tabitham) *nec apud alium quempiam insignem maneat, sed apud coriarium, per omnia ad humilitatem inducens, non sinens viliores erubescere, nec majores extolli.* Deinde post multa advertens, ad lacrymas viduarum, ad preces Petri, ad eleemosynas quæ vivens fecerat, Tabitham fuisse revocatam ad vitam, addit: *Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra eleemosynæ. Hæc omnia spiritus disposuit, ut nos mutuò juvemus.*

IV. Petro in Joppe moras adhuc trahente, narrat Lucas c.10. Act. v.1.&c., quòd Cæsareæ erat vir quidam Cornelius nomine, Centurio Cohortis quæ dicitur Italica (Centurio autem erat Dux centum militum) genere Gentilis, sed Deum cum tota familia timens, faciens eleemosynas multas, & deprecans Deum semper. Hìc quamvis non Judæus, nec viveret secundùm Legem, tamen præoccupaverat institutum vitæ nostræ (Chrysost. hom.22.) cùm ergo quâdam die his exercitiis pietatis ac jejunio vacaret, *videt in visu manifestè, quasi hora diei nonâ Angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi: Corneli. At ille intuens eum, timore correptus dixit: Quis es tu Domine? Dixit autem illi: orationes tuæ & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei; & nunc mitte viros in Joppen, & accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur apud Simonem quemdam coriarium, cujus est domus juxta mare: hic dicet tibi, quid te oporteat facere.*

V. Quæret hìc aliquis: Quomodo dicere potuit Angelus Cornelio viro Gentili, ac fidem non habenti, quòd orationes ejus & eleemosynæ ascenderint ad Deum, eique fuerint acceptæ; cum dicat Paulus Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo: credere* enim *oportet accedentem ad Deum?*

Respondet S. Th. 2. 2. q.10. a. 4. ad 3. *Quòd per infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus ratio naturalis, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, per quam facere possunt aliquod opus de genere bonorum. De Cornelio tamen sciendum est, quòd infidelis non erat, alioquin ejus operatio accepta non fuisset Deo, cui sine fide nullus potest placere. Habebat autem fidem implicitam, nondum manifestatâ Evangelii veritate. Unde ut eum in fide pleniùs instru-*

F 2

*struere*t, *mittitur ad eum Petrus*. Idem sentit S. August. L. de Prædest. sanct. c. 7. dicens. *Solet enim dici, ideo credere meruit, quia vir bonus erat & antequam crederet: quod de Cornelio dici potest, cujus acceptæ sunt eleemosynæ & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodò invocabat, in quem non crediderat? ..... Quidquid igitur, & antequam in Christum crederet & cùm crederet & cum credidisset, benè operatus est Cornelius, totum Deo dandum est, ne fortè quis extollatur.*

VI. Discedente igitur Angelo, qui loquebatur illi, Cornelius *vocavit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant: quibus cùm narrasset omnia, misit illos in Joppen. Posterâ autem die, iter illis facientibus & appropinquantibus Civitati, ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam, & cùm esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis cecidit super eum mentis excessus: et vidit cœlum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre occide & manduca. Ait autem Petrus: Absit Domine, quia numquam manducavi omne commune & immundum. Et vox iterum secundò ad eum: Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris. Hoc autem factum est per ter: & statim receptum est vas in cœlum.*

Mirabilis hujus visionis mysterium exponit S. Augustinus in Psalm. 103. serm. 3., ubi postquam dixit, hoc fuisse præfiguratum in Arca Noe, in qua omnia genera animalium fuerant inclusa, ne diluvio perirent, ait: *Cùm ergo venit tempus, ut illud, quòd in arca erat præfiguratum, jam in Ecclesia compleretur, Petrus Apostolus dubitans dare Sacramentum Evangelicum Gentibus incircumcisis; imò non dubitans, sed omninò dandum esse non putans, quodam die esuriens cùm prandere vellet ascendit, ut oraret ... Illo igitur orante facta est illi mentis alienatio, quam græcè exstasim dicunt: idest aversa est mens ejus à consuetudine corporali ad visum quemdam contemplandum, alienata à præsentibus. Tunc vidit vas quoddam veluti linteum quatuor lineis submitti de cœlo, ubi erant omnia animalia, omnis generis bestiæ; & sonuit ei vox: Petre, macta & manduca. Ille autem qui in Lege fuerat eruditus, & in consuetudine Judaica creverat, præceptumque per Moysen Dei famulum retinebat, totamque vitam suam fideliter custodierat, respondit „ Absit à me Domine, numquam commune aliquid intravit in os meum„. Commune autem immundum dici à Judæis, & à Lege, benè no-*

noverunt, qui Ecclesiasticas litteras didicerunt. Et vox ad illum: Quæ Deus mundavit, tu immunda ne dixeris. Hoc autem factum est ter, & ablatus est ille discus, qui demonstrabatur ter de cœlo submissus. Deinde expositionem subjiciens. *Discus*, inquit, *qui quatuor lineis continebatur, Orbis terrarum erat in quatuor partibus. Has quatuor partes sæpè Scriptura commemorat, Orientem, & Occidentem, Aquilonem, & Meridiem. Ideo quia totus Orbis per Evangelium vocabatur, quatuor Evangelia conscripta sunt. Ter autem submissum de cælo vas hoc significat, quia dictum est Apostolis: Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Inde colligitur, sicut jam nostis, duodenarius etiam numerus Discipulorum.... Quare duodecim Apostoli? Quia enim sunt quatuor Orbis partes, & totus Orbis in Evangelio vocabatur, unde quatuor Evangelia conscripta sunt, & totus Orbis in nomine Trinitatis vocatus, ut congregetur Ecclesia, quatuor ter ducta, duodecim fiunt.* Hæc S. Augustinus. Quæ repetit ser. 203. (aliàs 64. de diversis cap. 3.) *Sic totus Orbis ex partibus quatuor Trinitatis gratiâ vocatur in fidem. Secundùm quem numerum cùm quatuor ter ducuntur duodenarius numerus Apostolicus consecratus est, tanquam Universi Orbis salutem ex quatuor Mundi partibus in Trinitatis gratiam præfigurans. Hunc enim numerum etiam discus ille significavit, qui demonstratus est Petro plenus omnibus animalibus, tanquam omnibus gentibus. Nam & ipse quatuor lineis suspensus è cælo ter submissus assumptus est, ut quaterni duodecim facerent.*

VII. Dum tamen mysterii adhuc ignarus *intra se hæsitaret Petrus, quid nam esset visio, quam vidisset: Ecce viri qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad januam. Et cum vocassent, interrogabant, si Simon qui cognominatur Petrus illic haberet hospitium. Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: ecce viri tres quærunt te; surge itaque descende, & vade cum eis nihil dubitans: quia ego misi illos. Descendens autem Petrus ad viros, dixit: ecce ego sum quem quæritis; quæ causa est, propter quam venistis?* Et respondentibus illis, se missos fuisse à Cornelio viro justo ac timente Deum, & testimonium habente ab universa gente Judæorum, qui monitus fuerat accersire Petrum in domum suam, & audire verba ab illo: Petrus jam visionis mysterium intelligens, introduxit eos, & hospitio recepit. *Sequenti autem die surgens profectus est cum illis, & quidam ex fratribus ab Joppe comitati sunt eum.* Et sequenti die introivit Cæsaream.

Interim Cornelius convocatis cognatis & intimis amicis suis

suis expectabat Petrum. Cùm autem resciviſſet, Petrum domum introire, occurrit ei, *& procidens ad pedes ejus adoravit*. Petrus verò majori humilitate eum elevavit dicens, *ſurge, quia & ipſe homo ſum*: ubi Auguſt. ſerm. 266. ait: *Occurrit humiliter, proſternitur humiliter, levatur humiliùs*: timebat enim, ne utpote gentilis more gentium illum ut Deum adoraret, & ideò dixit: *Surge, & ego ipſe homo ſum*. Ingreſſus Petrus Cornelii domum videnſque tantam multitudinem proteſtatus eſt dicens: *Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Judæo conjungi, aut accedere ad alienigenam: ſed mihi oſtendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem. Propter quod ſine dubitatione veni accerſitus. Interrogo ergo, quam ob cauſam accerſiſtis me?* Tunc Cornelius expoſuit illi hiſtoriam apparitionis Angeli; addens, quotquot cum ipſo ibi erant congregati, paratos eſſe, audire omnia, quæ illi præcepta eſſent à Domino. Quibus auditis aperiens Petrus os ſuum, admiratus eſt bonitatem Dei, qui non eſſet acceptor perſonarum. Deinde cœpit eis exponere, quòd Deus miſit pacem filiis Iſrael per Jeſum, qui eſt Dominus omnium, qui univerſam Judæam pertranſiit benefaciendo, & quem tandem, ut ipſi norunt, Judæi occiderunt ſuſpendentes in ligno; Hunc Deus ſuſcitavit tertia die. Cujus reſurrectionis teſtes ſunt non ſolùm ipſe, ſed & alii præordinati à Deo, qui cum illo manducaverunt & biberunt, poſtquam reſurrexit à mortuis. Hic præcepit ipſi & aliis prædicare & teſtificari populo, quia eſt conſtitutus à Deo judex vivorum & mortuorum: *Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum*.

VIII. Dum hæc loqueretur Petrus, Spiritus Sanctus, qui jam purificaverat per fidem corda eorum, cecidit ſuper omnes, qui audiebant verbum, & cœperunt loqui variis linguis, ſtupentibus ex circumciſione Fidelibus, qui venerant cum Petro, quòd & in Nationes Gentium gratia Spiritus Sancti effuſa ſit. Voluit hìc Spiritus Sanctus oſtendere, ſe eſſe ſuarum gratiarum Dominum, & licèt ordinariè eas conferat per homines, ſcirent tamen, ſe eas non propriâ poteſtate, ſed ejus dono conferre. Propterea non ſolùm ante impoſitionem manuum, ſed etiam ante baptiſmum voluit hos, etſi Gentiles, ſuis gratiis repleri, ut obſtrueret os iis, qui dicebant non eſſe admittendos incircumciſos. *Evangelizante Petro* (inquit S. Auguſt. ſerm. 266.) *Cornelius, & omnes qui cum illo erant, gens, hoc eſt Gentiles, crediderunt, & ſubitò antequam baptizarentur impleti ſunt Spiritu Sancto. Quid hic reſpondet humana præſumptio? Non ſolùm ante im-*

imposuit manus, sed etiam ante ipsum baptismum venit Spiritus Sanctus; de potestate, non de necessitate. Venit ante baptismi ablutionem, ut auferret controversiam circumcisionis. Et clariùs serm. 99. (aliàs 23. ex hom. 50.) cap. 12. *Adhuc loquente Petro, non dico, nondum imponente manum, sed nondum etiam baptizante, & cùm dubitarent qui erant cum Petro, utrum incircumcisi baptizandi essent....; ut hanc Deus tolleret quæstionem, cùm loquitur Petrus, venit Spiritus Sanctus, implevit Cornelium, implevit illos, qui cum illo erant. Et ipsâ attestatione rei magnæ quasi clamatum est ad Petrum: Quid de aqua dubitas? Jam ego hìc sum.*

IX. Reverâ non dubitavit ampliùs Petrus, sed statim respondit: *Numquid aquam quis probibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos? Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi.* Hoc factum, ut observat S. August. L. 4. de Bapt. c. 21. & 22., perenne documentum Ecclesiæ reliquit, quòd quantâcumque scientiâ, ac pietate quispiam ornatus sit, imò etsi per fidem gratias S. Spiritus adeptus, adhuc Sacramento Baptismi se subjicere debet, ut in Regnum cœlorum intrare possit. Nam licèt aliquando sine Baptismo visibili impleatur invisibiliter, cùm articulus necessitatis Sacramenti ministerium excludit, cùm tamen hoc non excludit necessitas sumendum est. Unde S. August. citato loco conferens Latronem, qui sine Baptismo salvus factus est, cum Cornelio, ait: *Nam multò magis in Cornelio & in amicis ejus, quàm in illo Latrone posset videri superfluum, ut aquâ etiam tingerentur, in quibus jam donum Spiritus Sancti, quod nonnisi baptizatos alios accepisse sancta Scriptura testatur, certo quoque indicio, quod illis temporibus congruebat, cùm linguis loquerentur, eminuerat. Baptizati sunt tamen; & in hoc facto Apostolica extat auctoritas.* Ex quo concludit, neminem, etsi ante Baptismum sic corde profecerit, debere contemnere Sacramentum, quod ministrorum opere corporaliter exhibetur.

X. Hisce ergo prodigiosis declaravit Deus, mysterium hoc unionis Gentilium & Judæorum in unam fidem non esse opus hominis, sed suum: ipse enim est qui Judæos & Gentes tanquam duos parietes conjungit in Christo Jesu, ut ait Paulus ad Ephes. 2. *Qui fecit utraque unum.* Unde August. in Psal. 96. *Sic ergo*, inquit, *restituta est terra ejus, uno pariete veniente de Judæis, altero pariete veniente de Gentibus, quibus duobus parietibus de diverso venientibus ipse esset lapis angularis, ubi ambo copularentur.* Ad hoc autem Petrum ministrum elegit, utpote quem in sua Ecclesia ædificanda architectum præsignaverat, & Petram insuper,

qua

quâ parietes illi in uno lapide angulari convenirent. Porrò in Cornelio & amicis suis agnoscenda esse initia generalis coadunationis Gentium in fide, constat ex visione, quam habuit Petrus, & mandato ei injuncto, de quo supra. Tum etiam quia; licèt aliqui antea ad fidem venerint, ut Eunuchus; non est adeò certum, eum fuisse Gentilem & incircumcisum; sed potiùs proselytum, supra asseruimus: ideoque ejus conversione auditâ, nulla admiratio apud Fideles ex circumcisione excitata est, ut de Cornelio dicam.

XI. Cùm ergo hujus rei fama ad Apostolos & Fratres qui erant in Judæa pervenisset (Act. 11. v. 1. &c.) *quoniam & gentes receperunt verbum Dei; tanquam ad rem novam commoti sunt*. Cùm autem Petrus, qui aliquot diebus apud Cornelium manserat, ascendisset Hjerosolymam; *disceptabant adversùs illum, qui erant ex circumcisione, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* Adeò ut necesse fuerit, ut Petrus eis exponeret secundùm ordinem omnia, quæ sibi acciderant. Quibus auditis *tacuerunt, & glorificaverunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*. Poterat hic Petrus murmurantes auctoritate compescere; sed, ut observant Chrysost. Homil. 24. in Acta & Gregorius L. 11. epist. ep. 39. modò 45., quamvis omnium Caput, tot gratiis ac prodigiis celebre moderationis & humilitatis exemplum voluit dare tanquam bonus Pastor, oves edocendo non increpando. *Si enim*, inquit, Gregorius citatus, *cùm à fidelibus culparetur, auctoritatem, quam in Sancta Ecclesia acceperat, attendisset; respondere poterat, ut Pastorem suum oves, quæ ei commissæ fuerant, reprehendere non auderent; sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profectò Doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placavit .... Si ergo Pastor Ecclesiæ, Apostolorum Princeps, signa & miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere; quantò magis nos peccatores cùm de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus?* Ita Gregorius Petri in auctoritate successor. Et eò magis Petri humilitas emicuit, quòd, ut ait Chrysostomus ibi, reprehensores non erant Apostoli, sed simplices fideles, inter quos putat S. Epiphanius Hæres. 28. fuisse Cerinthum, imò seditionis auctorem, qui postea Hæresiarcha factus est, cujus particularis error fuit, omnes debere circumcidi.

XII. Hujus Cornelii reliquum vitæ tam prodigiosæ vocationi respondisse, extra dubium est. Æquè tamen ejus gesta incerta sunt. Martyrologium Romanum ad diem secundam Februarii dicit,

dicit, eum fuiſſe à S.Petro Epiſcopum Cæſareæ inſtitutum, ibique in pace quieviſſe. Domus, in qua Cæſareæ habitaverat Cornelius, adhuc tempore S. Hjeronymi extabat in Eccleſiam converſa & hanc anno 385. S.Paulam devotionis ergo viſitaſſe, ſcribit (Epiſt.27. modò 86.). Auctor Conſtit. Apoſtolic. L.7. c.46. inter Epiſcopos Cæſareæ recenſet poſt Zachæum Cornelium, ſed de quo Cornelio loquatur iſte dubiæ fidei Auctor, non exprimit.

Græci in Menologio Baſilii Imper. ad diem 20. Octobris, hæc habent: *Cornelius Centurio ex Cæſarea Palæſtinæ fuit, centum militum Princeps, temporibus Sanctorum Apoſtolorum, qui omnium Gentilium primus in Chriſtum credidit.... Deinde Epiſcopus Scamandriæ* (Urbis Aſiæ minoris in Myſia, ſeu Troadis ad Scamandrum fluvium) *ordinatus, cùm fidem Chriſti diſſeminaret, comprehenſus à Demetrio Præſide, compulſuſque Idolorum Templum ingredi, atque ibi unà cum populo & uxore & filio immolare, oravit ad Deum: & ſtatim facto terræmotu, collapſoque cum idolis Templo, uxor & filius Præſidis obruti fuerunt: quibus ſub ruina vociferantibus, & magnum eſſe Cornelii Deum inclamantibus, rogatus à Præſide Cornelius, precibus à Deo impetravit, ut inde incolumes evaderent. Quamobrem Demetrius cum uxore & filio & aliis ducentis ſeptuaginta ſeptem in Chriſtum credidit. Ipſe verò Cornelius in pace quievit.* Alii tamen præcipuè recentiores Græci eum faciunt Epiſcopum Illii, alii Sceplis, quæ duæ Urbes parum diſtant, eique addunt titulum Martyris. Quid revera fuerit, eſt incertum. Certè ſilentium Euſebii, qui Cæſareæ Epiſcopus fuit, non modicum indicium eſt, hunc Cornelium Cæſareæ Epiſcopum non fuiſſe.

§. VIII.

Petrus Eccleſiam Antiochiæ fundat, & ab Herode Carceri traditur.

I. POſt Cornelii Baptiſmum tot prodigiis illuſtratum, cognoſcentes Apoſtoli, voluntatem Dei eſſe, ut Evangelium etiam Gentibus annuntiaretur; credibile eſt, Apoſtolos relictâ Judæâ ſingulos ad eas nationes, ad quas Spiritu Sancti inſtinctu deſignati erant, perrexiſſe. Cùmque in totius Univerſi diviſione Petrus omnium Caput deſtinatus fuiſſet ad Evangelium Romæ totius Romani Orbis capitis inferendum, eò ſtato tempore ſe contuliſſe, infra dicetur.

Quia verò, ut Patrum fert traditio, priùs à Petro fundata fuerat Ecclesia Antiochiæ (decuit enim ut illa, in qua *Christiani* nomen primùm effulsit, (Act. 11. v. 26.) primum etiam inter Apostolos haberet Magistrum, & Pastorem) propterea oritur quæstio de tempore, quo Petrus Ecclesiam Antiochiæ regendam assumsit; & præcipuè, an ante Baptismum Cornelii, an post, & quo anno, ac demum quamdiù eam rexit. Quamvis S. Lucas de S. Petri adventu Antiochiam, & Episcopatu ibi ejusdem, nihil dicat (sicut nec de aliis, quæ tamen aliunde colligimus) utrumque tamen certum est. Hoc enim attestantur Patres, Concilia, & Innocentius I. epist. 14. de Antiochena Ecclesia, & ep. 18. ad Alexandr. Ant. Episc.; vocans eam *primam Petri Sedem*. Quod confirmat S. Hjeron. tum L. de Script. Eccl. in Petro, tum in cap. 2. ad Galatas dicens: *Primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse, accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitùs omisit*; S. Leo serm. 80., & Patres omnes. Quo factum fuit ut Episcopus Antiochenus titulo Patriarchali insignitus plurimæ auctoritatis apud Ecclesias Orientales olim fuerit.

II. An verò, antequam baptizaret Cornelium, Antiochenam Ecclesiam regendam Petrus suscepisset; affirmat Baronius, qui Ecclesiæ Antiochenæ institutionem ad annum Christi 39. recenset, eo intervallo, quo S. Petrus cessante persecutione, ut diximus, cœpit lustrare Provincias: de quo Lucas art. 9. v. 32. *Factum est autem*, inquit, *ut Petrus dum pertransiret universos, deveniret ad Sanctos, qui habitabant Liddæ*: in hac enim visitatione Antiochiam perveniens ibi Ecclesiam fundasse creditur: Quod Lucas, intentus enarrandis miraculis insignioribus à Petro editis, silentio præterivit: *Nec mirum esse* (inquit Hieron. in c. 2. ad Galat.) *si Lucas hanc rem tacuerit, cùm & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentiâ prætermiserit: & non esse contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cætera dereliquit*. Baptismum verò Cornelii ad annum 41. refert, nimirùm post biennium. Hic tamen oriri posset scrupulus. Nam cum idem Baronius Petri martyrium dicat contigisse anno Christi 69. die 29. Junii, si Ecclesiam Antiochenam fundasset solùm anno Christi 39., cum in ea federit septem annis, & postea in Romana viginti quinque, fieret ut non anno 69., sed anno 71. martyrio vitam clausisset. Scio responderi, S. Petrum non integris 25. annis, sed solis 24. & mensibus 5. Romæ sedisse, nec statim ac Romam venit, sed solùm post annum Ecclesiam Antiochenam dimisisse. Hoc tamen ultimum verisimile non vi-

videtur. Nam si S. Petrus statim ac Ecclesiam Romanam fundavit, Antiochenam non dimisit, sed per annum eam retinuit; ergo simul eodem tempore duas Ecclesias retinuit; & polygamiæ spiritualis exemplum reliquit, quod non est dicendum.

III. Alii propterea Ecclesiæ Antiochenæ fundationem à Petro factam fuisse putant anno à Christi Passione quarto, seu anno Christi 38. ineunte. Ita Alexandre Hist. Eccl. Sec. 1. c. 6. & Dissert. 13. circa finem his verbis „ Sanctus Petrus Antiochenam „ fundavit Ecclesiam anno Tiberii ultimo à Christi Passione „ quarto, ut constat ex Chronico Eusebii, & ex Chronico Alexandrino: sed Ecclesiam illic videtur fundasse ex Judæis dumtaxat, nondum ex Gentibus congregatam. Evangelium enim „ Gentibus in ea Urbe nonnisi post aliquod temporis intervallum prædicatum est à Discipulis, qui dispersi fuerant in persecutione Ecclesiæ, in qua lapidatus Stephanus Protomartyr. „ Ex hoc autem quod dicit, Ecclesiam Antiochenam initio fundatam fuisse pro Judæis tantùm, colligitur eam fundatam à S. Petro ante prænarratam visionem lintei, & conversionem Cornelii postea secutam: nam antea solis Judæis Christi Fides annuntianda putabatur; quare, ut diximus, cùm auditum fuisset, Petrum ex Gentibus baptizasse Cornelium & Domum ejus, factum est murmur contra Petrum: hoc enim indicat Lucas Act. 11. v. 19. his verbis: *Et illi quidem, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque Phœnicem & Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes verbum nisi solis Judæis*. Hic creditur fuisse primus Status Ecclesiæ Antiochiæ, antequam per conversionem Cornelii innotesceret Fidelibus, prædicandum esse Evangelium etiam Gentibus. Cùm autem hoc innotuisset, mandante ipso Petro, etiam Gentibus prædicari cœpit. Unde v. 20. subjicitur: *Erant autem quidam ex eis viri Cyprii & Cyrenæi, qui cùm introissent Antiochiam loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum*: adeòque operante in eis manu Domini, numerus credentium augebatur, ut, rei fama cùm pervenisset Hierosolymam, missus illuc fuerit Barnabas, qui credentes in fide confirmavit, & alia ab eo facta narrat Lucas, quæ tamen successivis temporibus contigerunt.

IV. Ad rem ergo præsentem, quamvis Lucas de Petro nihil ampliùs dicat, nisi usque ad annum Christi 44., seu à Christi Passione undecimo, quo ab Herode in carcerem conjectus fuit, multa tamen ex antiquis historiis eum hoc medio tempore egisse didicimus. Antiochenam ergo Ecclesiam, quam anno quarto à Christi passione fundaverat, septem tenuit annis rexitque.

 Quod

Quod non ita intelligendum est, quasi toto illo septennio Antiochiæ pedem fixerit: nam vicinas interim Provincias Pontum Galatiam Asiam Cappadociam Bythiniam prædicatione peragravit. Ita S. Hjeron. L. de Script. Eccl., Eusebius L. 3. Hist. Eccl. cap. 1.; & constat ex Ejus Epist. 1. Romæ data, quam sic exorditur: *Petrus Apostolus Jesu Christi Electis advenis dispersionis Ponti Galatiæ Cappadociæ Asiæ & Bythiniæ*. In quo Apostolico cursu plures insumsisse annos credendum est. Tillemontius art. 18. de S. Petro ex Bolland. 26. Apr. refert, Ecclesiæ Amaseæ in Ponto traditionem esse, S. Petrum dum iret Romam ibi primùm Christi Fidem annuntiasse, multos ad eam traxisse, & locum sanctificasse, postea dictum Cathedram Apostolorum, ac deinde aliquo elapso tempore ibi ordinasse Episcopum quendam Nicetam nomine, singularis sanctitatis ac puritatis virum. Sinopenses etiam (alterius Ponti Urbis cives) traditionem habere, Petrum diu apud illos mansisse unâ cum S. Andrea, & ostendere Cathedras lapideas, ex quibus Evangelium annuntiaverant. Scio, aliquos, inter quos Pearsonius, contendere, S. Petrum in nulla ex Provinciis, ad quas suam primam dedit Epistolam prædicasse: sed non video, quomodo horum Recentiorum opinio infirmare valeat auctoritatem Eusebii L. 3. Hist. c. 1., Hjeronymi L. de Script. Eccles., & aliorum Veterum oppositum attestantium.

V. S. Petrum permisisse, ut in suis itineribus piæ mulieres ipsum sequerentur, quæ ministrarent ei victui quotidiano necessaria, sentiunt multi. Is enim mos erat apud Judæos, ideoque scandalo esse non poterat: sic enim Paulus 1. Cor. 9. v. 5. *Numquid*, inquit, *non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli & Cephas?* & Lucæ 8. v. 3. Christum multæ sequebantur, *quæ ministrabant ei de facultatibus suis*. Hanc ergo consuetudinem permisit cum cæteris Apostolis etiam Petrus, dum tamen apud Judæos prædicaret. Volunt tamen aliqui ex l. 2. Constit. Apost. c. 63., Apostolos, dum annuntiabant Evangelium interdum manualem operam exercuisse, alios nimirùm piscationem, alios agriculturam, alios (sicut Paulus) tentoriis conficiendis: Plerumque tamen modicum ad vitam sustentandam de Evangelio sumebant secundùm illud Pauli 1. Cor. 9. v. 13. *Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt edunt: & qui altari deserviunt cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*. S. Petrus tamen in cibo adeò parcus fuit, ut Gregorius Nazianz. Orat. 16. dicat: *Petrus lupinis unico asse* (vi-

(vilissima moneta Hispanico Maravedis respondente) *emtis alebatur*.

VI. Præfatis Provinciis suâ prædicatione lustratis, volunt aliqui, S. Petrum iter Romam suscepisse, eòque Claudio imperante anno Christi 42., Claudij verò 2.: deinde anno 44. relictâ Româ Hierosolymam ad Paschalem Solemnitatem petiisse, ubi excitatâ ab Herode Agrippa in Apostolos persecutione, primò Jacobum majorem Joannis fratrem gladio occidit, deinde Petrum, ut dicam statim, in Carcerem detrusit, à quo per Angelum ereptus, iterum Romam petiit. Quare in hac opinione Petrus ter Romam petiit, primò ante vincula anno 42. Christi, Caii 4; secundò post vincula anno 44. Christi, Claudii 2.; tertiò sub Nerone paulò ante Martyrium.

VII. Mihi tamen plausibilior videtur Sententia Baronii & Natalis Alexandre supra citati: quòd scilicet Petrus, quasi toto septennio peragràtis Provinciis Ponti Asiæ minoris Bythiniæ, Cappadociæ, anno 44. à Passione Christi undecimo redierit Hierosolymam, ibique ab Herode in vincula conjectus, sed ab Angelo erutus, eodem anno, qui fuit Claudii secundus, Romam primò se contulerit. Sic enim optimè salvatur, quòd septem annis Ecclesiam Antiochenam rexerit, reliquis verò vigintiquinque suæ vitæ Romanam tenuerit, cùm anno Christi *69.* ejus martyrium contigerit. In hac Sententia

VIII. Dico, quòd Petrus percensitis præfatis Provinciis, anno à Passione Christi undecimo, venit Hierosolymam occasione Paschatis; ubi illi accidit quod Lucas narrat Act. c. 12., nimirùm quòd cùm eo tempore Hierosolymis & Palæstinæ imperaret Herodes Agrippa (nepos Herodis magni, sub quo Christus natus est) volens pro Judaica Lege zelum suum demonstrare, in Ecclesiam, quæ aliquot annis pace fruebatur, persecutionem movit. Hæc secunda persecutio gravior fuit, tum quia non ab aliquorum particularium violentia, sed à suprema dominantis auctoritate promota. Tum quia ad ipsorum Apostolorum, & eorumdem Capitis Petri, ac proinde ad totius Ecclesiæ necem ordinata. Cùm ergo Herodes Jacobum fratrem Joannis gladio sustulisset, *videns quia placeret Judæis, apposuit, ut apprehenderet & Petrum*. Quia autem tunc erant dies azymorum (Pascha enim eo anno die 2. Aprilis celebraverant) dierum solemnium rationem (quæ in Occisione Christi habita non fuit) habere voluit; ideoque eum sexdecim militibus in quatuor quaterniones divisis, ut sibi invicem succedere possent, tradidit in carcere custodiendum, volens diebus Paschalibus elapsis producere eum

po-

populo interficiendum. Has præcautiones in custodiendo Petro, nedum eum vinciendo catenis duabus, sed duobus militibus ad latera ejus, & aliis duobus ad ostium carceris excubantibus, adhibuit Agrippa, ne contingeret quod alia vice, quâ scilicet & Petrus & alii Apostoli carceri inclusi insperatò evanuerant: sed hujusmodi præcautiones replicando miraculo inservierunt, ut dicam.

IX. Petrus ergo *servabatur in carcere*: *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo* (v. 5.). Cùm enim ageretur de periculo capitis, æquum erat, ut totum corpus de eo esset sollicitum. Cùm autem producturus eum esset Herodes (utique ad necem) nocte præcedente *erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & custodes ante ostium custodiebant carcerem: & ecce Angelus Domini astitit: & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitavit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circumda tibi vestimentum tuum, & sequere me*. Petrus, qui ad ancillæ vocem timuit & Christum negavit, hic Herodem eum morti pro Christo traditurum adeo contemnit, ut catenis vinctus placidissimè dormiat, & sopore adeo gravi, ut ad eum excitandum opus fuerit Angelo latus ejus percutere. Pergit S. Lucas: *Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quia verum est, quod fiebat per Angelum; existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad Portam ferream, quæ ducit ad civitatem, quæ ultrò aperta est eis. Et exeuntes processerunt vicum unum; & continuò discessit Angelus ab eo*.

X. Ex præfatis verbis *Venerunt ad Portam ferream, quæ ducit ad civitatem*, arguunt aliqui, Carcerem ex quo eductus fuit ab Angelo Petrus, fuisse extra Civitatem in Suburbiis. Sed falluntur (putat Baronius ad ann. 44. n. 5.) nescientes, quòd Hierosolymitana Civitas usque ad illa tempora cincta erat duplici muro, cui & tertium addere Agrippa Rex aggressus fuit, sed non absolvit. Et quod in utroque muro primo & secundo, Josepho teste L. 6. de bello Judaico c. 6., erectæ erant munitissimæ Turres, in quibus delinquentes coercebantur, & in unam istarum detrusus fuerat S. Petrus. Quamquam fortè veriùs dici posset, Portam ferream fuisse ostium Carceris, non Portam Civitatis, ex quo pateret aditus ad Civitatem, non quasi Carcer ille esset extra Civitatem, sed quòd; sicut Josephus frequenter appellare solet Civitatem eam Hierosolymorum partem, quæ sita est media

dia inter Montem Sion & Templum ; ita Lucas eodem sensu dicat, Portam ferream ducere ad Civitatem, hoc est in eam Civitatis ampliorem Regionem, quæ communi loquendi usu propriè Civitas diceretur: ac proinde Carcerem fuisse situm vel in munitissima Turri dicta Antonia, vel in alio loco extra Civitatem modo dicto. Sed de hoc non est laborandum.

XI. Cùm ergo Angelus discessisset ab eo, tunc cognovit Petrus, non per visum sed reverà, se è Carcere divinitùs fuisse eductum: & dixit v. 11. *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum. Inde venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati, & orantes. Pulsante autem eo ostium januæ.* (moris quidem fuisse tunc, sicut nunc apud nos, Antiquis appendi malleum januis ad signum dandum, testis est Plutarchus L. de curiositate) *processit puella ad audiendum, nomine Rhode. Et ut cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intrò currens nuntiavit, stare Petrum ante januam. At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat, sic se habere. Illi autem dicebant: Angelus ejus est. Petrus autem perseverabat pulsans. Cùm autem aperuissent, viderunt eum, & obstupuerunt. Annuens autem eis manu, ut tacerent, narravit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitque: Nuntiate Jacobo & fratribus hæc. Et egressus abiit in alium locum.* Hactenus Lucas. Hoc singulare prodigium perpendit Chrysostomus homil. 26. in Acta, & præcipue ad illa verba „ *Et egressus abiit in alium locum*,„ ait: *Neque enim tentabat Deum, neque se in tentationes injiciebat. Illud jussi tantum faciebant.* „ Ingressi, *inquit*, (Act. 5. v 20.) in Templum loquimini populo „ : *audierunt & statim obsecuti sunt. Hoc verò jam non dicit Angelus: Sed ut silenter abscedat, & noctu educta dedit facultatem secedendi. Hoc autem factum est, ut discamus multa humano more dispensata fuisse, ut ne ille iterum periclitaretur.* Quo monemur, Deo quidem jubente, pericula contemnenda esse, sed eo non jubente, vitandas & oppositum esse Deum tentare.

XII. Abscessit ergo Petrus, & in secreto loco se abscondit: ubi autem, ignoramus. Scimus quidem ex Luca v. 18. quòd *factâ autem die non erat parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. Herodes autem cum requisisset eum, & non invenisset, inquisitione factâ de Custodibus, jussit eos duci*, ad supplicium scilicet: eos enim fuisse jussu Herodis suffocatos, auctor est Petrus Martyr Alexandrinus Can. 13. apud Theodor. Balsam., addens: *propter quos nulla culpa in Petrum refertur, licebat enim, eis*

cis, viso quod est factum, effugere, sicut nec imputatur Christo mors infantium. Et Chrysostomus Homil. 27. in Acta causam horum militum defendens, *Ita*, inquit, *sensu destitutus fuit, ut etiam injustè punire aggrederetur. Ecce causam illorum defendo. Vincula erant, custodes intus, carcer clausus, nusquam perfossus paries, omnes eadem dicebant: homo ille raptus non est, cur illos condemnas? Si solvere voluissent, vel ante solvissent, vel simul exissent. Sed pecunias acceperunt? Quomodo qui neque pauperi erogare poterat, his dedisset? Neque enim fractæ catenæ, neque solutæ sunt. Oportebat videre rem esse divinam, non humanam.* Ita Chrysostomus.

XIII. Patrati tamen sceleris non diu post pœnas luit Herodes. Interfectis ergo militibus tanquam eorum culpâ Petrus è carcere evasisset, ut refert S. Lucas, *descendens à Judæa in Cæsaræam, ibi commoratus est. Erat autem iratus Tyriis & Sidoniis. At illi unanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat super cubiculum Regis, postulabant pacem, eo quòd alerentur Regiones eorum ab illo. Statuto autem die Herodes vestitus veste Regiâ, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quòd non dedisset honorem Deo, & consummatus à vermibus expiravit.* Hunc infelicem Herodis exitum narrat etiam Eusebius Lib.2. Hist. cap.10.; & quod magis est, Josephus etiam L.19. Antiqu. c.7. amplioribus verbis illum describit. Herodis hujus mors pacem attulit Ecclesiæ. Unde Act.12. v. 24. subjicit Lucas: *Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur.* Et extremæ Judæorum ruinæ initium fuit. Nam, ut refert Josephus citato loco, voluit quidem Claudius successorem paterni Regni Agrippam juniorem, quem apud se retinebat, mittere, sed Libertis & amicis dissuadentibus, & negantibus, tutum esse admodum adolescenti & vixdum egresso pueritiâ, annum enim agebat decimum septimùm, tantùm Regnum committere, mutato consilio Præsidem Judææ totiusque Regni Cuspium Fadum delegavit; quod eodem Josepho teste Judæorum exitii seminarium fuit, dum Vespasianus victor eos è Judæa depulsos ac vagantes aliò transtulit. Et in hoc infelici statu misera Judæorum Gens ubique dispersa ubique mancipium perseverat.

***

§. IX.

§. IX.

De generali Fame.

I. PEtrum, quem ab Herodiano Carcere per Angelum ereptum & in secreto loco absconditum diximus, tantisper relinquamus, mox eum Romam ad triumphum evocatum iterùm visuri. Hoc eodem anno Christi 44. Claudii 2., censet Baronius n.62., contigisse famem super universum ferè orbem, quam Agabus Propheta unus ex 72. duobus Discipulis prædixerat anno præcedente, ut habetur Act.11. v. 27. *In his autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis Prophetæ Antiochiam, & surgens unus ex eis nomine Agabus significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio.* Aliqui tamen non pauci volunt, famem hanc evenisse anno 4. Claudii, Eusebio duce in Chronico, quem sequitur Orosius L.7. cap.6., & adhæret Abbas Urspergensis in Chron.: Baronius tamen dicit, quòd re accuratè perspectâ secundo potiùs anno quàm quarto eam contigisse deprehenditur. Nam Dio Cassius, qui ex Urbis fastis Romanam Historiam per singulos annos contexuit, nullam aliam sub Claudii Imperio factam esse famem recenset, nisi hoc secundo anno, quo egregiam ab Imperatore navatam esse operam dicit, ne Urbs fame periret; tunc enim Romanum Portum extruendi initum ab eo fuisse consilium tradit, cujus etiam in annona procuranda solertiam commendat Svetonius in Claudio c.18.: & cum iis quæ dicit Lucas magis concordare videtur. Fortè tamen hæc conciliari possent dicendo, famen anno quidem secundo Claudii inchoasse, sed usque ad quartum continuasse, sicut olim in Ægypto septem annis duravit Gen. 41.: maximè, quia ut dicetur, ad famem sublevandam Helena quoque Adiabenorum Regina magnam ex Ægypto frumenti copiam egenis distribuendam adduxit, præter collectas undique pro Fidelibus conquisitas: quæ famem plus quàm uno anno perdurasse demonstrant.

II. Generalis hujus famis meminere etiam Scriptores Ethnici. Unde Eusebius L.2. hist. cap.8. *Claudii*, inquit, *temporibus universum prope Orbem terrarum fames oppressit, quam quidem Scriptores à nostra Religione alienissimi in suis etiam historiis commemorarunt. Atque ita Agabi Prophetæ prædictio de imminente fame, cujus in Actibus Apostolorum fit mentio, exitum sortita est*: & cap.12. idem repetit. Josephus etiam L.20. Antiqu. cap.2. de

memoratæ Reginæ Helenæ adventu Hierosolymam differens, hæc dicit: *Accidit autem peropportunè ejus adventus civibus. Cùm enim per id tempus Civitas gravi fame premeretur, & multi perirent alimentorum inopiâ, Regina Helena ex suis alios misit Alexandriam comparaturos vim magnam tritici, alios in Cyprum, qui copiam ficuum passarum inde adveherent, quibus omnibus brevi reversis cibos egenis distribuit; atque hoc beneficio memoriam immortalem sibi apud nostram gentem peperit. Filius quoque ejus Izates, comperto quantâ fame laboraret ille populus, multum pecuniæ misit Hierosolymitanorum Primatibus.* Hæc Josephus de ista Helena, quam dicit fuisse conjugem Monobazis Adiabenorum Regis, quæ filium habuit Izatem, & Patri in Regno successorem. Adiabene autem Assyriæ Regio dicitur, quàm Lycus in Tigrim influens alluit, de qua Strabo L.16. & Plinius L.5. c.12.

III. De ista Helena & Izate filio scribit Josephus, quòd ad Religionem Judaicam transierunt, & causam fusè narrat. Izatem verò circumcisum non statim fuisse, ne suis populis scandalo esset, dum alienos ritus servaret, sic ei suadente quodam Ananiâ Judæo, nimirùm *Licere ei etiam absque circumcisione Deum piè colere, si Judæorum instituta placeant. In hoc enim magis situm Religionem, quàm in circumcisione corporis: daturumque Deum veniam, si necessitate coactus signaculum id omitteret, metu, ne qua exoriatur subditorum defectio.* Verùm cum alter Judæus nomine Eleazarus in Regem incidens sacra volumina Moysis legentem, ei dixisset, *Nescis, o Rex, quantam injuriam Legi, & per hanc Deo facias. Nec enim satis est decreta ejus nosse, sed præstat imperata ejus facere. Quamdiù manebis incircumcisus? Si nondum legisti legem circumcidi jubentem, nunc lege, ut scias, quanta sit impietas hæc omittere. His auditis Rex non distulit negotium, sed secedens in aliud cubiculum, & accito Chirurgo, fecit quod jussus est.* Hæc Josephus. Quæ an vera sint, dubitare me facit quia disceptatum quidem fuit inter Christianos, ut infra dicam, an ad salutem necesse sit circumcidi; sed apud Judæos unquam vocatum fuisse in quæstionem, non auditum.

IV. Paulus Orosius verò L.7. c.6. & alii eum secuti, Helenam & Izatem filium non Judaicam Legem sed Christianam Fidem suscepisse affirmant. Sed cùm, unde id acceperit, Orosius non dicat, cùm etiam Eusebius L.2. Hist. cap.12. nil de hoc addat præter id quod dicit Josephus, sicut nec Petrus Comestor Hist. Scholast. in Acta c.80. ; idcircò res manet ambigua. Hoc quidem certum est, Helenam hanc tanto studio Religionem fuisse profecutam, ut Hierosolymis sedem fixerit, ibique magni-

gnificas ædes, & sepulchrum pro se & filio erexerit, ut indicant Josephus L. 6. de Bello Jud. cap. 6. & 7., & apertiùs Eusebius L. 2. Hist. cap. 12. his verbis: *Cæterum Helenæ illius, cujus mentio fit à Josepho, illustres etiamnum extant cippi* (columnæ sepulchrales) *in suburbiis Hierosolymorum, quæ mutato nomine nunc Ælia appellatur, eamque Adiabenorum Reginam fuisse perhibent*. Ejus etiam meminit Hieronymus ep. 27. modo 86. ad Eustoch. tanquam rei suo tempore adhuc extantis, vocans *Mausoleum Helenæ* Adiabenorum Reginæ. Porrò hoc Helenæ Sepulchrum mirabili arte extructum fuisse, testis est Pausanias in Arcadicis. Cùm enim plura sepulchra memoratu digna à se visa esse affirmet, duo tamen præ cæteris admiratur, *Mausoli* scilicet in Caria, & *Helenæ* in Judæa.

V. Fami, quâ in Judæa præsertim Fideles angebantur, præter Helenæ munificentiam, subvenire conati sunt etiam, qui Antiochiæ erant, Christiani. Nam generalis quidem erat penuria, sed majori inopiâ tenebantur Fideles, qui in Palæstina erant: nam in ea, quæ post necem Stephani facta fuerat, persecutione loco pulsi, bona etiam, si quæ habebant, amiserant, & alii ea jam vendiderant, & pretium eorum ad pedes Discipulorum pro communi utilitate tulerant. Æquum ergo erat, ut eis in necessitate constitutis fraternitatis officio specialiter subveniretur. Hoc præ cæteris Antiochenos præstitisse, narrat S. Lucas Act. 11. v. 29., ubi post relatam ab Agabo prænuntiatam famen, *Discipuli autem*, inquit, *prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus: quod & fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli*. Quod repetit ex Luca Eusebius L. 2. Hist. cap. 8. Advertit tamen Baronius ad an. 44. num. 67. quòd estò post narratam famem subjiciat Lucas Historiam de Jacobi nece & Petri Carcere, non est sic accipiendum, quòd ante evenerit fames illa, sed quòd cùm retulisset Agabi prophetiam de illa, per anticipationem adjunxit eventum illius tanquam secutum, quod tamen sequenti anno erat secuturum.

VI. Hinc exordium sumsit pia consuetudo in Ecclesia, ex multorum caritate eleemosynas pro fidelibus indigentibus colligendi, quæ postea *Collectæ* nomen acceperunt. De his præcipuè sollicitus fuit Paulus; qui non solùm eleemosynas Antiochiæ collectas unâ cum Barnaba ad fratres in Judæa morantes detulit, sed ad hoc pium officium continuandum fideles, ad quos perveniebat, adhortabatur: unde 1. Cor. 16. v. 1. *De Collectis*, inquit, *quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita &*

 vos

vos facite : Ordinaverat autem, ut *per unam Sabbati* ideſt unâ ſeptimanæ die, vel primâ die poſt Sabbatum, nempè Dominicâ, quia jam inoleverat conſuetudo, ut fideles eâ die ad Eccleſiam convenirent (ut S.Thomas ibi Lect.1.) quiſque pro ſua poteſtate & voluntate aliquid erogaret, & apud ſe retineret, donec ipſe veniens omnia collectim Hieroſolymam vel ferret vel per alios mitteret. Laudabilem hunc uſum eleemoſynas mittendi ad eos, qui Hieroſolymis eſſent, egeni, perduraſſe uſque ad Theodoſii tempora, teſtis eſt S.Hieronymus, qui Lib. v. ad Vigilantium, contra eas quaſi indebitè profuſas oblatrantem, ait : *Hac in Judæa uſque hodie perſeverante conſuetudine, non ſolùm apud nos, ſed & apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, & partem non habent in terra niſi ſolum Deum, Synagogarum & totius orbis foveantur miniſteriis*. Hunc morem fuiſſe etiam in Romana Eccleſia de Collectis die præſertim Dominico faciendis, aſſerit S. Leo, qui de Collectis varios ſermones habuit, & præcipuè ſerm.5., ait : *Ventura igitur Dominica dies Collectarum futura eſt*, & ſerm.9. poſtquam dixit, hoc eſſe *Apoſtolicæ Traditionis inſtitutum*, ſubdit: *& ideo dilectiſſimi ſatisfiat Apoſtolicis inſtitutis ; & quia die Dominicâ prima eſt futura Collectio, omnes vos devotioni voluntariæ præparate, ut unuſquiſque ſecundùm ſufficientiam ſuam habeat in ſacratiſſima oblatione conſortium*.

VII. Ut piam hanc conſuetudinem Conſtantinopoli penè collapſum Chryſoſtomus reſtitueret, prolixam homiliam habuit, quæ extat tom. 3. novæ Editionis, ubi pro Collecta facienda diem Dominicam ſtatuit, & locum, in quo eleemoſynæ erant reponendæ *Gazophylacium* appellat : Cyprianus verò L. de opere & eleemoſynis *Corbonam* etiam vocat dicens, *Locuples & dives es, & Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis*. (Sic enim alloquitur Matronam divitem) Gazophylacium enim apud Hebræos erat arca excipiendis collationibus in ingreſſu Templi deſtinata, ut habetur Marci 12. v. 43. & Lucæ 21. Corbona ſimiliter (Matth. 27. v. 6.) Hunc ergo morem ab Hebræis acceptum Chriſtiani veteres ex Apoſtolica traditione retinuere, arcas ſeu menſas in Eccleſiis pro eleemoſynis in ſubſidium egenorum, vel alia pietatis opera retinendi. Hoc ante omnes expreſſit Juſtinus Apolog. 2. ad Antoninum Pium : ubi poſtquam deſcripſit ea, quæ tunc Chriſtiani in Eccleſia agebant circa Euchariſtiæ confectionem ac diſtributionem, ſubjungit: *Cæterum qui copioſiores ſunt & volunt, pro arbitrio quiſque ſuo quod viſum eſt contribuunt ; & quod ita colligitur, apud Præpoſitum deponitur : atque inde ille opitulatur pupillis & viduis, & his qui propter*

pter morbum aut aliquam aliam causam egent, quique in vinculis sunt, & peregrè advenientibus hospitibus; & ut simpliciter dicam, indigentium is omnium curator est. Hic mos erat seculo Apostolis proximo ideft secundo. Idem fuisse etiam tertio, habetur ex Tertulliano Apologetic. adv. Gentes c. 39., ubi dicit: *Neque enim pretio ulla res Dei constat, etiamsi quod arcæ genus est, non de ordinaria summa quasi redemtæ Religionis congregatur: modicam unusquisque stipem menstruá die, vel quum velit, & si modò velit, & si modò possit, apponit: Nam nemo compellitur, sed spontè confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt, nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, si qui in insulis vel in custodiis dumtaxat ex causa Dei sectæ alumni confessionis suæ fiunt.* Hæc Tertullianus: Quæ regulariter quidem fieri consueverant. Cæterùm si quæ nova necessitas emersisset, cui eleemosynis quotidianis in arca depositis satisfieri non posset, tunc Episcopus novam inter Fideles collectam indicebat; quod exemplo Pauli & Apostolorum fecit Cyprianus., qui præter eleemosynas quotidianas in Corbona asservatas, superveniente casu de Christianis à Barbarorum captivitate redimendis, novam Collectam indixit; cujus exemplo alii Africani Episcopi idem præstitere: ex qua ingentem summam sestertiorum centum millium mittere se, scribit Epist. 60. ad Episcopos Numidas. Huic officio, languescente tractu temporum Fidelium pietate, successere præclari Religiosorum Ordines S. Mariæ de Mercede, & SS. Trinitatis, quibus pro instituto est collectas pro redimendis Fidelibus à Maurorum captivitate inquirere, & in voto est, si opus fuerit se ipsos pro fidelium libertate in pignus tradere. Infirmis autem per S. Joannem de Deo providit Deus, instituendo Religiosorum cœtum ægrotantibus caritatiuè in Xenodochiis inservientium, & necessaria ministrantium. Sed hæc ad rem præsentem non sunt, ideoque dimittenda.

§. X.

De Itinere S. Petri Romam, & ejus Episcopatu ibi.

I. Cùm S. Lucas, postquam dixit, quòd S. Petrus è carcere Herodis per Angelum ereptus suâ præsentiâ fideles in domo Mariæ matris Joannis Marci congregatos, & orantes consolatus fuit, eis injungens, ut hoc nuntiarent fratribus suis, & egref-

egressus abiit in alium locum (Act.12. v. 17.), de Petro altum silentium teneat ab anno 44. Christi usque ad annum 51., quo eum præsentem statuit Concilio Hierosolymis habito Act. cap.15.: quid Petrus toto isto temporis intervallo gesserit, & ubi fuerit, Ecclesia prorsùs ignoraret, nisi quod apud Lucam non reperit, ex Historiis colligeret.

II. Credibile ergo est, S. Petrum, audito quòd Herodes relictâ Hierosolymâ Cæsaream perrexisset (Act. 12. v. 19.) & consequenter cessasset periculum sibi iterum imminens, è latebris, quibus sese absconderat, egressum aliò se contulisse. Quò autem, incertum. Si credimus Metaphrasti ad diem 29. Junii, dicere possumus, eum Antiochiam divertisse, ac in ea sui Successorem Evodium destinasse, deinde aliis Provinciis, in quibus jam Evangelium prædicaverat, iterum perlustratis, & in Fide Christianis ibi existentibus confirmatis, Romam, quò divinæ præordinationes illum anteibant, iter direxisse. Ita habet Eusebius in Chronico *Anno secundo Claudii Petrus Apostolus, cùm primum Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans, vigintiquinque annis ejusdem Urbis Episcopus perseverat.* Idem asserit Hieronymus de Scrip. Eccles. in Petro dicens *Simon Petrus, filius Joannis, Provinciæ Galilææ è vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & Princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de Circumcisione crediderant in Ponto Galatia Cappadocia Asia & Bithynia, secundo Claudii Imperatoris anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique annis vigintiquinque Cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum annum Neronis, id est decimum quartum, à quo & affixus Cruci martyrio coronatus est.* Consensit Cassiodorus in Chronico. Hi autem cùm mentionem non faciant anterioris adventus Petri Romam, colligitur, hunc anno secundo Claudii, & post Herodianum Carcerem, fuisse primum adventum, & sine fundamento asseri, eum ante Romam advenisse. Hæc circa tempus: quod infra stabilietur magis.

III. Cæterùm S.Petrum Romam aliquando perrexisse ibique Ecclesiam fundasse, res adeò certa apud antiquos fuit, ut omnes uno ore eam confirmarint & monumentis illustrarint. Hoc ostendi in Vera Ecclesia tom.2.p.1. a.2.§. 13.: quæ dixi huc revocanda sunt. Aliqua tamen hic repetam & adjiciam. Et quidem primò, id ostenditur ex ipsius Petri Epist.1. cap.5. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus,* ubi Babylonis nomine Petrum intellexisse Romam, testes sunt Pa-

Papias apud Eusebium L. 2. Hist. cap.15. his verbis: *Porrò Marci mentionem fieri ajunt in priore Epistola, quam Romæ scriptam esse contendunt: idque Petrum ipsum innuere, qui Romam figuratè Babylonem appellat*: cui subscribens S. Hieronymus L. de Viris illustr. *Petrus*, inquit, *in Epistola prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans „Salutat vos*, inquit, *Ecclesia, quæ est in Babylone collecta*,„ Preterea nomine Babylonis designare Romam S.Joannem,constat ex ejus Apocalypsi c.17., ubi dicitur Babylon magna sedere super septem montes & habere Regnum terræ. Nulla autem nisi Roma tempore S.Joannis Civitas fuit, quæ super septem montes erecta esset, ac Regibus terræ dominaretur. Ita hunc locum intelligunt Tertullianus L. adv. Judæos cap.9.,& S.Augustinus L.18. de Civit. Dei cap.22. Porrò si S.Joannes Babylonis nomine intellexit Romam, cur non eodem nomine eam S. Petrus indicavit?

IV. Dicunt Novatores, S. Joannem in Apocalypsi scribere visiones, quibus multa sub allegoriis revelantur; S. Petrum verò scribere Epistolam, quæ stylo simplici & naturali scribi solet. Sed ad hoc respondi citato loco à num.63., quæ Lector adeat. Nunc breviter dico, S. Petro fuisse causam, cur Romæ nomen, unde scribebat, sub nomine allegorico tegeret. Nam ex Herodianò carcere fugâ lapsus commorationis suæ locum omnibus notum esse nolebat, & Christianorum, qui Romæ erant maximè ex Judæis saluti cupiebat esse consultum, ne fortè Epistola illa ad manus inimicorum Christi perveniens occasionem præberet excitandi persecutionem. Quo exemplo usus S. Paulus 2. ad Timoth. 4. v. 17. scripsit: *Liberatus sum de ore Leonis*: quo nomine Neronem designat ob animi crudelitatem, inquit Eusebius L.2. Hist. cap.22.. Specialis autem causa locum ubi degebat occultandi aderat Petro: cùm enim Claudius impensè faveret Agrippæ, qui nuper eum carceri tradiderat mox occidendum, jure timere poterat, ne si Agrippa rescivisset eum esse Romæ, & à Claudio peteret, ut sibi traderetur, vel necaretur, Claudius petenti annueret. Alia etiam ratio esse potuit: cùm enim scriberet ad Judæos ad Fidem conversos, & proindè ad allegoricas & figuratas voces ab ineunte ætate assuetos, qui per Sodomam intelligebant Urbem vitiis corruptam, per Chanaam Populum maledicto obnoxium: sic Romam omnium Gentium errores adoptantem nomine Babylonis eis indicare censuit: quo nomine etiam ab iis ad quos scribebat appellari consueverat, uti vocatur à Joanne in Apocalypsi citato. Nam sicut à Regibus Babylonis olim Gens Judaica fuerat in captivitatem re-

redacta, ita ab Imperatoribus Romanis ad extremam desolationem redigenda; & qui Christum secuturi erant, acerrimis persecutionibus vexandi erant.

V. Verùm qui pertinaciter volunt, nomine Babylonis S.Petrum intellexisse non Romam, sed Babylonem veram, dicant, quæso, unde didicerint, S. Petrum Babylone fuisse, & ex ea Epistolam scripsisse? Ex Scriptura nequaquam: quæ sicut non dicit apertè Petrum fuisse Romæ, ita nec dicit, eum fuisse Babylone. Si ergo negant, Petrum fuisse Romæ, quia Scriptura non dicit, quamvis hoc omnium seculorum ferat traditio; cur volunt eum fuisse Babylone, quod nec Scriptura dicit, nec firmat traditio? Rursùs in Babylone, de qua S. Petrus, erat Ecclesia collecta: peto, in vera Babylone fuisse tunc Ecclesiam collectam, unde probant? Duplex eo tempore Babylon erat, una Assyriorum, Ægyptiorum altera. In priori Urbe celeberrima Ecclesia ex Judæis collecta esse non poterat: nam Caii Augusti tempore Judæi omnes ab ea fuerunt expulsi, & ad internecionem deleti: unde refert Josephus L. 18. antiquit. cap. 12. Græci & Syri, conjuratione in Judæos facta, *eos ex improviso aggressi occiderunt supra quinquaginta virorum millia, nec ullus evasit, nisi si quem amici aut vicini servavit misericordia*. Quomodo ergo Petrus paulò post Ecclesiam ex Judæis potuit colligere, vel jam collectam invenire? aut quo documento hoc probant? Altera verò nempè Egyptiaca, per quam ajunt, Petrum postquam Alexandriæ Ecclesiam constituerat, transisse, obscurus planè locus erat, nec Civitatis nec Oppidi dignus nomine, Castellum à Strabone L. 17. dictus, à quibusdam Babyloniis erectum: ideoque de illâ Petri verba intelligi non possunt, cùm nulla in eo erecta Ecclesia legatur, nec usque ad quintum seculum ullus dictæ Urbis Episcopus Conciliis subscripsisse inveniatur. Credibile ne fuerit, Ecclesiam à S. Petro erectam tamdiù incognitam remansisse? Ecce dum Novatores Romam in Babylone nosse detrectant, nec de qua Babylone locutus sit S. Petrus inter se conveniunt, verè in Babylonem hoc est confusionem incidunt.

VI. Pro adventu S. Petri Romam clamat omnium ab initio Ecclesiæ seculorum Traditio, cujus testes sunt Patres: Irenæus, qui secundo seculo floruit, & Apostolorum Discipulos agnovit L.3. c.1. & 3. Ecclesiam Romæ, à Petro & Paulo evangelizantibus ibi fundatam asserit & successores recenset. S.Clemens Alexandr. (apud Eusebium L.2. Hist. cap.14. & 15.) in sexto hypotyposeon seu Institutionum libro, divino consilio factum esse
asse-

asserit, ut Simone Mago à Dæmone Romam deducto, Petrus eò adventaret, ut quidquid deceptor ille struxerat, Apostolus hic everteret. Idem apud Eusebium L.2. Hist. cap.25. asserunt Dionysius Corinthiorum Episcopus, & Cajus Romanæ Ecclesiæ Presbyter, secundi seculi auctores; & apud eundem Eusebium L.3. cap.1. Origenes tom. 3. explanat. in Genesim dicit, quòd Petrus postquam Evangelium enuntians, Pontum Galatiam Bithyniam Cappadociam & Asiam perlustraverat, Romam tandem venit.

Tertullianus item de Præscript. cap.32. originem Ecclesiæ Romanæ ducit à Petro, cujus describit successores. Idem præstat Optatus Milevitanus L. 2. contra Parmenianum. *Cathedra unica est*, inquit, *quæ est prima de dotibus. Sedit prior Petrus &c.* S. Augustinus Ep.165. modò 53. ad Generosum *Si ordo*, (inquit de Ecclesia Romana) *Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quantò certiùs & verè salubritèr ab ipso Petro numeramus... Petro enim successit Linus &c.* & L. 2. contra litteras Petiliani cap. 51. sic Donatistas alloquitur, ac si recentiores Pseudoreformatores alloqueretur. Cùm enim & ipsi dicerent, omnes Ecclesias apostatasse, ait: *Verumtamen si omnes per totum Orbem tales essent, quales vanissimè criminaris, cathedra tibi quid fecit. Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodiè Anastasius sedet, vel Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Jacobus sedit, & in qua hodie Joannes sedet, quibus nos in Catholica unitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separastis? Quare appellas Cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolicam?* Et S. Prosper in Carmine de Ingratis ait:

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta Caput Mundo, quidquid non possidet armis
Religione tenet.

VII. Quibus testimoniis apertè evincitur, Petrum Romam ivisse, ibi Ecclesiam fundasse, & Cathedram erexisse. Hoc pulchrè explicat S. Jo:Chrysostomus Homil. in Script. Act.2., quæ extat tom.3. novifs. edit., ubi pag.70. de Ecclesia Antiochena ait: *Hæc enim est una etiam nostræ Civitatis prærogativa dignitatis, quòd Principem Apostolorum ab initio doctorem acceperit. Æquum enim erat, ut ea, quæ nomine Christianorum ante universum Orbem terrarum ornata fuit, primum Apostolorum Pastorem acciperet. Sed cùm eum Doctorem accepissemus, non in perpetuum retinuimus, sed Regiæ Civitati Romæ illum concessimus: imò verò in perpetuum ipsum retinuimus. Nam corpus quidem Petri non retinemus: porrò dum Petri fidem retinemus, ipsum Petrum habemus.*

His colligitur, Petrum primò fuisse Antiochiæ Episcopum, postea eâ relictâ Romam se contulisse, ibique Episcopum ad mortem usque extitisse.

S. Leo pariter serm. 80. in Natali Apost. cap. 3. *Cùm*, inquit, *duodecim Apostoli acceptâ per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio Mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur Imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium Gentium revelabatur salutem, efficaciùs se ab ipso capite per totum Mundi corpus effunderet.* Deinde cap. 5. ad Petrum conversus, *Jam*, inquit, *Populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras, jam Antiochenam Ecclesiam, ubi primùm Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras; jam Pontum Galatiam Cappadociam Asiam atque Bithyniam legibus Evangelicæ prædicationis impleveras, nec aut dubius de profectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quò te divinis præordinationibus anteibant & honor potestatis & gloria passionis.*

VIII. Hinc Romanæ Ecclesiæ, quia fuit Cathedra, in qua usque ad mortem Petrus sedit, Concilia, Patres, & omnia secula primam super omnes dignitatem tribuerunt, eamque ut unitatis centrum agnoverunt. Irenæus L. 3. cap. 3. ei tribuit *potiorem principalitatem*; Cyprianus Ep. 55. ad Cornelium vocat eam *Petri Cathedram, Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*; Ep. 45. ad eundem *Ecclesiæ Catholicæ radicem, ac Matricem*: S. Hieronymus Ep. 57. ad Damasum *Ego*, inquit, *nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ idest Cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* Uno verbo, Romanam Sedem Petri Cathedram fuisse, veteres omnes adeò certum existimarunt, ut non soli Catholici id faterentur, sed nec Hæretici inficiari auderent. Quare Donatistæ, qui reliquum Ecclesiæ apostatasse, & apud ipsos solos veram Ecclesiam remansisse effutiebant, ut simplicibus fucum facerent, Episcopum in Urbe Roma ex suis unum habere volebant, qui suis præsideret, ut refert S. August. Ep. 53. aliàs 165., & L. de Hæres. cap. 69.: qui cùm Romæ in quodam monte habitarent, ideò *Montenses* dicti fuere. Soli novi prætensi Ecclesiæ Reformatores, ut suam secessionem aliquo titulo tegerent, Romæ Petrum unquam fuisse, & Romanam Ecclesiam aliquâ super cæteras præeminentiâ frui, negare cœperunt. Quia autem viderunt, contra se stare perpetuam traditionem & Patres, ad hoc asylum confugiunt, quòd de hoc nihil in Scriptura ha-

habeatur, & Babylonis nomine, ubi scripta legitur prima Petri Epistola, non Romam sed veram Babylonem vel Chaldeæ vel Ægypti, designari contendunt.

IX. Videntes tamen ex eorum sectâ eruditiores aliqui non sinè aperta temeritate unanimem veterum consensum sperni; quem utique permaximè & ipsi facerent, si eorum sententiæ faverent, Petrum verè fuisse Romæ ultrò fateri cœperunt. Propterea Grotius in 1. Ep. Petri cap. 5. *De Babylone*, inquit, *diffident veteres, & novi Interpretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo verus Christianus dubitabit; Novi Babylonem in Chaldæa. Ego veteribus assentior.*

Pearsonius, à veteribus nunquam in dubium revocatum asserit, vel quòd Petrus Romanam Ecclesiam erexerit, vel quòd Pontifices eidem succedant. Usserius ad ann. Christi *66.* & *67.* asserit, Petrum & Paulum imperante Nerone Romæ obiisse, & primam Petri Epistolam, sicut & secundam, Romæ fuisse datam. Chamierus & Blondellus sentiunt, unanimem Patrum consensum de Romana Ecclesia à Petro & Paulo fundata, & confirmata tanti esse faciendum, ut ei vel levissimè adversari non deceat. Franciscus Junius, Casaubonus, Petrus Molinæus, Samuel Petitus, Seldenus & alii idem cogente veritate testantur. Veritatem hanc confirmat Traditio de Simone Mago Romæ à Petro expugnato, quod infrà expendam, & de Evangelio à Marco Romæ scripto prout ibi audierat à Petro prædicatum, quod ostendi tom. 1. de Verit. Relig. Christ. Tract. de Auct. Lib. Relig. Christ. c. 1. de Evangeliis §. 3.

X. Pro complemento addi potest, quòd, ut habetur. Act. 28. & ad Rom. 1. constat, Ecclesiam amplam & florentem Romæ fuisse, antequam S. Paulus eò veniret, ut ipse testatur. Quis porrò tantam multitudinem Christianæ Religionis præceptis imbuit, nisi Petrus? Ita, inquit, Chrysostomus in c. 1. ad Rom. *Petrus illic prædicavit.*

Dicunt aliqui ex Heterodoxis, S. Barnabam antevertisse suâ prædicatione, ac Romanis Fidem annuntiasse. At unde hoc colligunt? Scriptura certè hoc non dicit. Si ergo quia Scriptura non dicit, nolunt Petrum prædicasse Romanis, quamvis dicat Traditio; cur volunt eis prædicasse Barnabam, quòd nec Scriptura dicit nec Traditio? Prætereà nemo ausus esset prædicare Gentibus Evangelium, antequam S. Petrus cœlesti visione, de qua supra, ad id muneris obeundum invitaretur. Postea Barnabas Apostolo Gentium Paulo individuus comes adhæsit. Quomodo igitur potuit Barnabas prædicasse Romanis ante adventum Petri Romam?

XI. Superfunt refutandæ ratiunculæ, quibus moventur ad negandum, quòd fuerit S. Petrus Romæ. Prima eft, quòd Auctores non concordant in anno, quo Romam adventarit; cùm quidam dicant, hoc contigiſse in exordio Regni Claudij, ut Orofius; quidam anno fecundo ejufdem, quidam anno quarto; quidam jam Nerone Imperante, ut Lactantius L. de mort. Perfecutorum. Dubia eft ergo hujus Hiftoriæ fides. Refpondeo, quòd fi valeret hæc illatio, quot deberent revocari in dubium, de quorum veritate certò conftat? Quid enim certius Chrifti Nativitate & Morte? Quid autem incertius de Epocha, quâ natus eft, de anno ætatis quo mortuus eft, fi Veterum difcordes fententiæ audiantur? Sicut ergo nemo Chriftianus de Chrifti Nativitate & Morte dubitat, quia in hoc omnes conveniunt, quamvis in circumftantiis temporis aliqui difcordent: ita nec de adventu Petri Romam dubitandum, quia iidem, qui difcordant in tempore, in adventu tamen concordes funt. Addo, inter celebriores Auctores, Hieronymum Eufebium in Chronico Adonem Viennenfem in Martyrologio, nullam efse difcordiam, qui omnes ponunt adventum Petri Romam anno fecundo Claudii; à quibus non difsentit Orofius, dum ait venifse Romam in exordio Regni Claudii; annus enim fecundus ad exordium Regni ipfius pertinet. Lactantius verò dum ait, S. Petrum venifse Romam, cùm jam Nero imperaret, loquitur non de primo, fed de fecundo adventu; fub Nerone enim cruci affixus fuit, ut Lactantius ibi dicit; de quo infra dicam.

XII. Secunda eft, S. Paulus fcribens ad Romanos multis nomine fuo falutem dici jubet cap. 16., Petri autem ne meminit quidem; cui fanè, fi Romæ fuifset, falutem primo loco dixifset.

Refpondeo primò, quòd fi hæc conjectura valeret, probaret nec Timotheum fuifse Ephefi Epifcopum, quando Paulus ad Ephefios fcripfit, quia Paulus ad Ephefios fcribens ejus non meminit; neque Jacobum fuifse Hierofolymorum Epifcopum, quia in Epiftola ad Hebræos fcripta, dum Jacobus adhuc in vivis ageret, filetur prorsùs illius nomen.

Refpondeo ergò fecundò, Epiftolam Pauli ad Romanos ideò Petri non meminifse, quia eo tempore fcripta fuit, quo Petrus cum Judæis Româ exulare coactus fuerat, nempè ab anno nono Imperii Claudii, ut refert Svetonius in Claudio cap. 25. & habetur Act. 18. v. 2. Ab eo enim anno Petrus ad partes Orientis profectus, fucceffivè Concilio Hierofolymitano interfuit, nec nifi poft mortem Claudii Romam reverfus eft. Scripta enim fuit Co-

Corinthi, cùm illac transivit S. Paulus, ultimò profecturus Hierosolymam, ut Act. 19. Quo medio tempore licèt Aquila & Priscilla aliique minoris notæ Judæi Romam rediissent; Petrus tamen, sive quia auctor Conversionis Judæorum, quæ causa fuerat exilii, sive quia prædicatione in Oriente detentus, reditum suum Romam differre decrevit.

XIII. Tertia est: S. Lucas, qui Apostolicam Historiam conscripsit, de profectione S. Petri Romam nec verbum facit. Rursùs S. Paulus, qui suam cum S. Petro Hierosolymis & Antiochiæ conversationem (Galat. 1. & 2.) describit, nusquam indicat, se S. Petro Romæ convixisse aut eum vidisse.

Respondeo, mirum non esse, quòd de adventu S. Petri Romam S. Lucas nihil scripserit, sicut nec de aliorum Apostolorum itineribus, quia intentum ejus fuit acta & itinera S. Pauli magistri sui enarrare. Unde iis exceptis, quæ ab Ascensione Domini ad conversionem S. Pauli gesta sunt, ubi Apostolorum Historiam quasi in communi texuit, tanquam fundamentum historiæ singularis S. Pauli; & excepto sermone de Cornelii conversione, quam refert, quia fuit initium conversionis Gentium, ad quam specialiter S. Paulus mittebatur, vix unquam de cæteris Apostolis meminit, nisi in quantum in historia S. Pauli partem habent. Imo nec omnium gestorum S. Pauli meminit, nam de profectione S. Pauli Hierosolymam ut videret Petrum, de convictu Petri & Pauli Antiochiæ, & dexterâ societatis à Sanctis Petro Jacobo & Joanne Beato Paulo datâ, ejusque itinere in Galatiam, nec verbum facit. Ex quibus S. Hieronymus in Caput secundùm ad Galatas infert, silentium Lucæ de Antiocheno & Romano Petri Episcopatu nihil obesse veritati, cùm alia multa omiserit. Loquens enim de dissensione, quæ inter Petrum & Paulum circa observantiam Legalium Antiochiæ contigit, de qua nihil apud Lucam in Actis, ait: *Nec mirum esse, si Lucas hanc rem tacuerit, cùm & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, Historiographi licentiâ prætermiserit; & non statim esse contrarium, si quod alius ob causam dignum putavit relatu, alius inter cætera dereliquit. Denique primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitùs omisit.*

Ad id quod additur, dico, S. Paulum dum scriberet ad Galatas non meminisse congressûs sui cum Petro Romæ, quia dum illam dedit Epistolam nondum Romam profectus fuerat; conscripta quippè fuerat (ut ait Chrysostomus præfat. in Epist. ad Rom.) ante Epistolam ad Romanos, in qua ardentissimum illos vi-

videndi exprimit desiderium Rom. 1. v. 10.: *Semper in orationibus meis observans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. Desidero enim videre vos.*

XIV. Quarta ratio dubitandi est: Paulus in Epist. ad Philippenses Romæ datâ cap. 2. queritur, quòd *omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*, & in 1. ad Timoth. Romæ pariter scriptâ cap. 4. *In prima*, inquit, *mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt*. Aut igitur S. Petrus Romæ non erat, aut S. Paulus gravem ei irrogat injuriam, dum eum è numero eorum non excipit, qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, & qui ipsum in angustiis positum deseruere.

Respondeo, id quod opponitur ex Epist. ad Philippenses non esse ad rem. Nam Paulus ibi loquitur de illis, quos ad eos mittere poterat, & qui ei in Evangelio serviebant, inter quos solum Timotheum sperat se mittere, quia sincera affectione pro ipsis sollicitus erat, cæteri autem quærebant, quæ sua sunt. In numero autem istorum non erat S. Petrus, qui Paulo in Evangelio non serviebat, nec ab eo mitti poterat, cùm esset in Apostolatu primus & major illo. Cùm verò in Epist. ad Timotheum queritur, neminem ei in defensionem adfuisse, de iis loquitur, qui poterant eum apud Cæsarem juvare, inter quos certè non erat Petrus, qui æquè ac ipse Cæsari invisus erat.

XV. Quinta ratio dubitandi est: Ut Romam pervenit S. Paulus Act. 28. v. 15. *Accurrerunt ei fratres usque ad Appii forum, ac tres tabernas*; ubi nihil de Petro, quem certè ut Principem omnium non subticuisset, si Romæ fuisset. Rursùs ibi v. 22. Qui Paulo occurrerunt Judæi dicebant Paulo: *Rogamus à te audire quæ sentis; nam de secta hac* (Christianorum) *notum est nobis, quia ubique ei contradicitur*. Ita sanè locuti non fuissent, si S. Petrum prædicantem audissent.

Respondeo. Putant ne, advenienti Paulo Romam omnes omnino de Ecclesia, quasi processione initâ, ut nullus defuerit, occurrisse? Tanta & tam publica lætitiæ signa Romæ, sub Nerone Christianos persequente, promere potuisse Christianos qui ibi erant, nemo sanus judicabit. Iverunt ergo aliqui aliorum nomine, inter quos Petrum caput esse non oportebat; si tamen Petrus tunc Romam post exilium à Claudio redierat, vel etiamsi rediisset; Romæ tunc præsens erat, & non potiùs relictis ibi Vicariis constitutâ jam Ecclesiâ ad alias Provincias à Spiritu Sancto missus esset. Nec enim Romanæ Cathedræ ita fixum ponimus Petrum, ut Prometheum saxo, sed potiùs ab ea identidem

dem exiisse, ut Apostolicum petebat ministerium, & ad eam identidem rediisse existimamus. Ita sentit etiam S. Epiphanius hæres. 27.

Ad id quod subjungitur dico, Judæos S. Paulum non rogasse, ut eos de secta Christianorum instrueret, sed ut de ea suam proferret opinionem. Cùm enim audirent, ei ferè ubique contradici, ut Legi Mosaicæ opposita, à Paulo, quem in Lege Mosaica eruditissimum esse noverant, audire cupiebant, quomodo cùm Lege eam conciliaret; quod ille præstitit *suadens eis de Jesu ex Lege Moysi & Prophetis à mane usque ad vesperam* Act. 28. v. 23.

XVI. Sexta dubitandi ratio est: S. Petrus interfuit Concilio Hierosolymitano pro finienda Legalium controversia coacto anno à Passione Domini circiter vigesimo, & Cruci affixus fuit anno 14. Neronis, idest anno à Christi morte trigesimo septimo: igitur Romanam Ecclesiam 25. annis regere non potuit.

Hæc objectio non tangit præsentem casum. Hìc enim solùm defendimus adventum S. Petri Romam, ejus prædicationem ibi, & Episcopatum. De tempore quo eam rexit, alia quæstio est. Nihilominus dico, optimè cohærere, & quòd Petrus Concilio Hierosolymitano interfuerit, & quòd Romæ Episcopus 25. annis fuerit. Nam ex dictis supra S. Petrus anno secundo Claudii seu à Passione Christi undecimo Romam venit, & Romæ Ecclesiam constituit, & Episcopatum relicto Antiocheno ibi assumsit. Post septem annos, idest Claudii 9. & à Passione Christi 18., Româ cum cæteris Judæis Claudii edicto exulare coactus fuit. Hoc medio tempore in Judæam reversus Concilio Hierosolymitano circa annum à Passione Christi propè vigesimum seu Christi 51. interfuit. Coactum hoc Concilium fuisse durante exilio constat ex Act. 18., ubi S. Lucas scribit, quòd, cùm Paulus post præfatum Concilium Corinthum venisset, *Inveniens quendam Judæum nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia & Priscillam uxorem ejus (eò quòd præcepisset Claudius discedere omnes Judæos à Roma) accessit ad eos*. Sedatâ autem persecutione contra Judæos per mortem Claudii, Petrus Romam rediit, Ecclesiamque ibi usque ad martyrium, quod 14. Neronis anno contigit, gubernavit. Si ergo computentur anni septem ante exilium, quatuor exilii, ac tredecim & aliquot menses post exilium, habebimus annos 25. quibus Petrus Romanam Ecclesiam rexit.

XVII. Demum Salmasius ex cap. 2. ad Galat. v. 2. 8. & 9. contendit, S. Petrum numquam prædicasse Romæ, quia S. Paulus

lus ibi afferit, Apostolatum Circumcisionis traditum esse Petro, sibi verò Gentium.

Hanc difficultatem longè ante prævenit & solvit S. Hieronymus in cap. 2. ad Galatas. *Occulta*, inquit, *hic oritur quæstio: Quid igitur Petrus si invenisset ex Gentibus, non eos adducebat ad Fidem? Aut Paulus si ex Circumcisione aliquos reperisset, non eos ad Christi Baptismum provocabat? Quæ ita solvetur, ut dicamus, principale singulis in Judæos & Gentes fuisse mandatum, ut qui defendebant Legem, haberent, quem sequerentur: Qui Legi Gratiam præferebant, non deesset eis Doctor & prævius. In commune verò hoc habuisse propositi, ut Christo ex cunctis Gentibus Ecclesiam congregarent. Legimus enim & à Sancto Petro Gentilem baptizatum fuisse Cornelium, & à Paulo in Synagoga Judæorum Christum sæpissime prædicatum.* Hæc Hieronymus. Et certè Sanctus Petrus in Concilio Apostolorum Act. 15. v. 7. *Viri fratres*, inquit, *vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii & credere*. Quibus alludit ad Visionem sibi factam lintei omni genere animalium pleni, de qua supra.

Dato tamen (quamvis falsum sit) quòd Petrus ad solos Judæos specialiter missus fuerit, non proinde inferretur, eum Romam non venisse, ut vult Salmasius: Romæ enim viveute Petro multi erant Judæi, & quidem in tanto numero, ut ex dictis Claudius timens, ne tumultus excitarent Judæi, qui Christianam Fidem amplectebantur, anno Imperii nono eos Româ ejecerit, & cum eis & S. Petrum; quamvis posteà Nerone Imperante reversi fuerint.

XVIII. Vidisti Lector, quàm inanibus conjecturis & cavillis, constantem omnium seculorum Traditionem de S. Petri Romam adventu ac ejus Romano Episcopatu evertere vel saltem obscurare conantur Novatores; existimantes hac arte Romanum Pontificem tanquam spurium è Sede ac Primatu dejicere. Sed eos incassum blaterare, præter dicta, quisque vel mediocriter prudens judicabit.

Primò, quia factum publicum, cui Fideles omnes imò & Hæretici & Schismatici per quindecim secula Fidem adhibuerunt, pro certo tenendum est; etiamsi præter hanc traditionem & consensum nihil ei opituletur, cùm præsertim nullum certum monumentum in contrarium asseratur.

Secundò, ut factum publicum Historiis coævis seu ferè coævis probatum, consensui unanimi, & vetustissimæ tot seculorum Traditioni, innumeris publicis monumentis, sepulchris, ædi-

ædificiis privilegiis omniumque fidei innixum, evertatur, demonstratio, vel historica probatio adeò evidens opponenda est, quæ ad oculum ostendat, omnes, qui aliter usque nunc crediderunt, deceptos, vel nimiùm credulos fuisse. Nisi hæc offeratur, jus Gentium petit, ut publica fides adhibeatur cuilibet Urbi de ijs, quæ ad ejus historias & jura pertinent.

Igitur cùm adventus S.Petri Romam, & Sedes Episcopalis ibi constituta sit factum publicum à Scriptoribus Apostolorum tempori ferè coævis acceptum, seculorum succedentium communi constantique consensu firmatum; Cùm vetustissima plura monumenta, quæ Romæ adhùc extant, S. Petrum fuisse Romæ testentur, Apostolorum item sepulchra, martyrii locus, Ecclesiæ eorum nomini erectæ vel à primis seculis ostendantur, ac Romano Episcopo à SS. Petro & Paulo usque ad hanc diem, princeps in Ecclesia dignitas, & primatus prærogativa sit adjudicata: nec Adversarii in contrarium ullum proferant positivum ac evidens documentum, sed mera argumenta negativa, conjecturas, cavillos, nemo prudens vel suspicari poterit, his antiquam traditionem de Ecclesiæ Romanæ jure ac dignitate ob S. Petri in ea sessionem vel minimum infirmari. Quare in re tam certa non expedit diutiùs immorari, de qua egi in vera Ecclesia tom.2. p.1. a.2. §.13.

§. XI.

Gesta S. Petri cum Pudente, Philone, Simone Mago &c.

I. ROmam appulsum S. Petrum ad contribules suos Judæos divertisse censet Baronius ad ann. Christi 44. num. 61. Ab Augusti enim temporibus incolebant Judæi regionem seu partem Romæ Transtyberinam, ubi etiam ritus suos exercere Augustus eis permittebat. Unde Philo L. de legatione ad Cajum pag. 1014. commendans moderatum Augusti animum, qui se nec Deum nec Dominum appellari volebat, & propterea non dissimulans probari sibi Judæos, qui tales honores dari hominibus aversabantur: *Alioquin*, inquit, *non passus fuisset trans Tyberim bonam urbis partem teneri à Judæis, quorum plerique erant libertini, quippe qui belli jure in potestatem redacti, ab heris suis manumissi fuerant, permissi ritu majorum vivere*; quod confirmat Martialis L.2. Epigramm. Esto autem, ut refert Tacitus sub Tiberii principatus anno sexto ob eis conficta à Sejano crimina, Senatus consulto, partim in Sardiniam exules missi fuerint, partim

tim ex Italia excedere jussi, nisi certam ante diem ritus suos exuissent; post Sejani tamen interitum, & præcipuè initio regni Claudii, qui eis favebat, Romam reversi sunt non mediocri numero, adeò ut scribat Dio L.9. de primis Claudii institutis: *Cùm Judæi adeò iterum Romæ frequentes essent, ut difficulter sine tumultu propter multitudinem urbe possent arceri, non ejecit quidem eos, patriis legibus vitam tolerantes, vetuit convenire.* Licèt autem anno sui imperii nono ex dictis eos Româ expulerit Claudius; quia tamen S. Petrus initio regni sui idest anno secundo Romam advenit, ideò multitudinem Judæorum ibi invenire potuit, ad quos veniens diverteret, & quibus Christum primò annuntiaret.

II. Prosequitur Baronius, quòd ubi Petrus Evangelium prædicans Gentilibus Romanis innotuit, non ampliùs apud Judæos permissus est agere, sed à Pudente Senatore, qui Christo credidit, in domum suam exceptus est: hanc domum, inditio est, fuisse primam Ecclesiam, ad quam Fideles conveniebant, ut Verbum Christi à Petro audirent, & in qua Sacrum primò Romæ celebravit, antiquitùs titulo Pudentis, deinde Pastoris, hodie S. Pudentianæ appellata. Hunc Pudentem suscepisse domi suæ hospitio S. Paulum, vel saltem ejus discipulum fuisse, habetur ex 2. Epist. ad Timotheum Romæ data, in qua c.4. v.2. S.Paulus dicit, *salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes.* Pudentem virum Senatorium facit Martyrol. Rom. ad diem 19. Maii, ac S. Pudentianæ Patrem, & etiam S. Praxedis, ut volunt alii ex Claudia ejus uxore. Menologium Basilii ad 15. Aprilis dicit Pudentem unum ex 72. Discipulis fuisse, secutum fuisse Paulum, & unâ cum Aristarcho & Trophimo sub Nerone martyrio vitam finisse. Quæ à Dorotheo (fonte non adeò puro) se accepisse dicit. Suspicantur tamen aliqui, Pudentem Senatorem, & Pudentianæ ac Praxedis parentem non esse hunc, qui Petrum, & Paulum hospitio recepit, sed alium posteriorem sub S. Pio Papa, nempè centum annis post scriptam à Paulo Epistolam. Res ergo est incerta.

III. S. Petrum dum Romæ sub Claudio ageret, familiarem cum Philone Judæo consuetudinem habuisse, veluti rem veritati consonam refert Eusebius L.2. hist. c.17. ubi ait: Quem quidem Philonem fama est Claudii Augusti temporibus Romæ cum Petro, qui verbum Dei illic prædicabat, familiarem congressum habuisse. Et hoc colligit ex ejus scriptis postea elaboratis, ubi de multis Ecclesiasticis regulis, quas Ascetæ & Therapeutæ sub S. Marco in Ægypto servabant, nimirùm, de omnium bonorum alienatione, multa dicit, quæ non ab aliis, quàm à viris Evan-

Evangelicis, & præcipuè à Petro, cum quo eodem tempore Romæ fuit, rescire potuit (quamvis controvertatur, an Ascetæ & Therapeutæ essent Christiani, an Judæi) Idem confirmat S. Hieronymus de Script. Eccles. in Philone dicens: *Quum secundâ vice venisset ad Claudium, in eadem Urbe loquutum esse* (ajunt) *cum Apostolo Petro, ejusque habuisse amicitias, & ob hanc causam Marci discipuli Petri apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus suis* (quos Christianos non Judæos fuisse Hieronymus putat.) Idem sentit Photius Biblioth. cod. 105. addens: *Ferunt, eundem Christianis etiam sacris initiatum, ab his tandem dolore quodam atque iracundia descivisse*. Sed unde hoc hauserit, non dicit.

IV. Quia tamen præcipuus finis, propter quem S. Petrus à Spiritu Sancto directus Romam se contulit, fuisse creditur, ut ibi Simonem Magum confunderet, de hoc specialiter agendum est. De Simone isto aliqua supra diximus §. 5. à num. 3. quæ huc revocanda sunt. Postquam igitur Simon Act. 8. v. 20. fuit à S. Petro acriter objurgans, quòd Spiritus Sancti gratiam pecuniâ emere tentasset, tantum absfuit, ut eum nequitiæ suæ, ut Petrus monuerat, pœniteret, quin potiùs exasperatus suo instigante dæmone ad deteriora præceps ruerit. *Statim ergo*, ut refert Eusebius L. 2. hist. c. 14. *præstigiator ille .... simul atque in Judæa à Petro Apostolo convictus est, omniaque ejus maleficia patefacta, longissimè trans mare fugam arripuit ab Orientis partibus ad Occasum profectus: neque aliter se liberè, & ex animi sui sententiâ victurum esse speravit*. Intereà teste Theodoreto L. 1. hær. fab. cap. 1. pertransiens, si quam Provinciam invenisset, quam Evangelii præcones nondum excurrissent, eò se conferens, erroribus suis incautos populus præoccupabat. Cùm Tyrum Phœniciæ venisset, prostitutam feminam nomine Selenem, sive Helenam sibi adjungens omnium itinerum suorum comitem adhibuit. Et hanc Helenam ipsissimam esse stultis imponebat, ex qua Trojanum bellum olim excitatum fuit.

V. His igitur sparsis erroribus, pergit Eusebius: *Tandem ad urbem Romam delatus, ope atque adjumento subsidentis ibidem Dæmonis brevi conatus suos tantoperè promovit, ut illius Civitatis homines ei tanquam Deo statuam collocarint*. Hanc fuisse statuam, de qua supra dixi ex Justino Apol. 2. pro Christianis, quem refert Eusebius citato loco cap. 13. communis sententia est. Jussu namque Senatus statua trans Tyberim Simoni erecta fuerat cum epigraphe *Simoni Deo Sancto*, sive *Simoni Sancto, & Deo*; quòd narrant etiam Irenæus L. 1. cap. 23. Tertullianus in Apologet. cap. 13. Cyrillus Hier. Catechesi 6. Augustinus, aliique. Qui-

K 2 dam

dam recentiores critici, Justinum cæterosque Patres hallucinari potuisse suspicati sunt ex statuâ quâdam erectâ *Semoni Sanco* vel *Sango* Paganorum Numini. Huic suspicioni occasio fuit, quia Gregorio XIII. Pontifice in insula Tyberina inter duos pontes è ruderibus extracta fuit epigraphe, seu lapis tali inscriptione notatus:

Semoni Sango Deo fidio sacrum
Sex. Pompejus S. P. E. Col. Mussianus
Quinquennalis Decur. Bidentalis
Donum dedit.

Sed, ut benè notat Baronius ad ann. 44. num. 55. hæc omnino diversa est ab ea, quam subtus statuam Simoni Mago positam dicunt Justinus & cæteri veteres. Primò, quia hæc adeò exiguæ latitudinis est, ut capax non sit sustentandi simulacrum humanæ staturæ simile. Secundò, quia ista est dicata non *Simoni*, sed *Semoni*, non *Sancto*, sed *Sango*, vel *Sanco*; Semones autem apud Romanos erant Dii, quos nec cœlo dignos ob meritorum inopiam reputabant, sicut Priapus, Vertunnus, nec terrenos volebant ob reverentiam. Sangus verò, vel Sancus Sabina lingua Hercules dicebatur teste Varrone L.4. de lingua Latina. Tertiò, Justinus Martyr temporibus Apostolorum vicinus in Apologia 2. pro Christianis ad Antoninum Imperatorem & Romanos datâ hac de statua Simoni Mago erecta cum epigrape *Simoni Deo Sancto* eis de Simone Mago præter alia objicit: *Et statuâ apud vos veluti Deus honoratus* (est) *quæ statua in amne Tyberi inter duos pontes est erecta, latinam hanc habens inscriptionem*, Simoni Deo Sancto: *& Samaritani propè omnes, ex aliis autem nationibus etiam perpauci illum quasi primum Deum esse confitentes adorant quoque*. Num ergo si Justinus in hoc deceptus fuisset, Gentiles tacuissent, non potiùs de sua deceptione redarguissent? Num Irenæus L. 1. cap. 20. modò 23. ejusdem seculi auctor, & Tertullianus sequentis seculi scriptor Apologet. adv. Gentes, idem impunè exprobrare potuissent, si vana deceptio esset, & *Semoni*, non *Simoni* erecta statua fuisset?

VI. His ergo honoribus auctus Simon Romanos præstigiis suis ad se trahebat: *Sed hæc non diù* (pergit Eusebius citato loco cap. 14.) *ex voto illi fluxerunt: confestim enim ipsis Claudii Augusti temporibus benigna & clementissima Dei providentia fortissimum, & maximum inter Apostolos Petrum principem, ac Patronum Romam adversùs illum humani generis labem ac pestem perducit. Qui tanquam strenuus divinæ militiæ ductor cœlestibus armis munitus, pretiosam illam hujus intelligibilis mercem ab Oriente ad eos,* qui

qui versùs occasum habitabant, detulit: *lucem ipsam & salutarem mentibus doctrinam, regnum scilicet Cœlorum eis annuntians*. Et cap. 15. subdit: *Igitur cùm Dei doctrinâ Romanos adventu suo illustrasset, Simonis quidem vis ac potentia cum ipso simul auctore brevì extincta, ac deleta est*. His posterioribus Eusebii verbis moti putarunt aliqui, Simonis per aera volatum, & ad Petri vocem lapsum, & interitum in primo adventu & sub Claudio contigisse, sed communiùs & veriùs existimatur, hoc in secundo Petri accessu Romam & sub Nerone evenisse, de quo infra. Interea detectâ Petri prædicatione Simonis fraude, publico honore impostor excidit, qui vel Romam ad tempus deseruit, vel Romæ apud suos discipulos occultus mansit.

VII. Hoc intervallo temporis, nempè Petro morante Romæ sub Claudio, scriptum creditur à Marco Evangelium. Cùm enim audissent Romani Petrum prædicantem, & parum haberent semel audisse, nec contenti essent cœlestis verbi doctrinam vivâ voce nullis traditam scriptis accepisse, rogarunt Marcum, qui Petro comes Romam venerat, ut eam scripto eis traderet. Quod Marcus fecit, & Petrus auctoritate suâ comprobavit. Hoc ex Eusebio L. 2. hist. cap. 14. vel 15. S. Hieronymo L. de Script. Eccl. in Marco, & Irenæo L. 3. cap. 1. ostendi to. 1. de Ver. Relig. Christ. tract. de Lib. cap. 1. de Evangeliis §. 3. num. 17. &c. quæ videri possunt.

Eodem etiam tempore scripta creditur Petri prima Epistola, de qua supra, & quidem Romæ sub Babylonis nomine. Illi scribendæ uti & phrasibus suggerendis operam Marcus præstitisse creditur. Tabellionem fuisse constat Silvanum, eundem fortasse ac Silam in Actibus Apost. celebrem. Inscripta autem fuit ad Fideles Bithyniæ Ponti Galatiæ Asiæ & Cappadociæ, potissimum ex Judæis, Fideles tamen etiam ex Ethnicis comprehendit. Græco sermone, & energiâ Principe Apostolorum dignâ exarata est.

VIII. Anno à Christi nativitate 46. Claudii vero 4. putat Baronius ad dictum annum, quòd Petrus stabilitâ jam Romæ Ecclesiâ, ut universi gregis sui Pastor à Christo delegatus, cogitarit muneris sui partes esse, ut ad cæteras Occidentalis Orbis partes oculos admovens, illas discipulis, qui cum ipso erant, partiretur, & quisque sibi concreditam evangelicâ luce perfunderet. Ab hoc enim fonte ad Occidentis Ecclesias Evangelicam fidem manasse significavit anno 400. Innocentius I. epist. 1. ad Decentium Episcopum Eugubinum his verbis: *Quis enim nesciat, aut non advertat, id quod a Principe Apostolorum Petro Romanæ Ec-*

Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci, aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præsertim cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerint Sacerdotes? Aut legant, si in his Provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam invenitur, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est: ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Hæc Innocentius.

IX. Quinam autem fuerint, quos S. Petrus misit, ex Martyrologio Romano colligi potest. Pro Sicilia ad Tauromenii urbem missum fuisse Pancratium. Ita ad diem 3. Aprilis: *Tauromenii in Sicilia Sancti Pancratii Episcopi, qui Christi Evangelium, quod à S. Petro Apostolo illuc missus prædicaverat, martyrii sanguine consignavit*: de quo eâdem die Beda, Usuardus, & Ado. Græci etiam in Menolog. ad diem 9. Febr. ubi addunt, quod Pancratius patriâ Antiochenus Petro amicitiâ junctus: *Secutus est eum, & ab ipso ordinatus est Tauromenii Episcopus, & cùm in Christi nomine doceret, clam ab infidelibus interfectus est*. Eâdem etiam die mentionem faciunt alterius S. Petri discipuli in Siciliam missi *Marciani* nomine, de quo Martyr. Rom. hæc habet 14. Junii: *Syracusis S. Marciani Episcopi, qui à Beato Petro ordinatus Episcopus, post Evangelii prædicationem à Judeis occisus est*.

Catanam quoque misisse Beryllum testantur tum Martyrol. Rom. ad diem 21. Martii: *Catanæ Sancti Berylli, qui à Beato Petro ordinatus Episcopus, cùm multos Gentilium convertisset ad Fidem, in ultima senectute quievit in pace*: Tum Menolog. Græcorum ad eandem diem his verbis: *Sanctus Pater noster Beryllus ex Antiochia Syriæ oriundus Sancti Petri Apostoli discipulus factus, ab eo Episcopus Catanæ in Sicilia ordinatus est. Qui cùm præclarè gregem rexisset, & in pascua salutaria deduxisset, multosque ex infidelibus ad Christi Fidem adduxisset, dono plurimorum miraculorum dignus effectus est, ex quibus unum hìc commemorari oportet. Fons erat circa illum locum amarissimam habens aquam, quam fusis ad Deum precibus in dulcem potum transmutavit. Quod cùm vidisset quidam Græcus idololatriæ acerrimè addictus, Christo credidit, & cum eo plures alii. Cum verò alia eaque non pauca miracula perpetrasset, & ad profundam senectutem pervenisset, ad Dominum migravit, æternam ab eo vitam consecutus*.

X. Nea-

X. Neapolim in Campania misit Aspren, *qui*, ut in Martyrol. 3. Augusti, *à Sancto Petro Apostolo ab infirmitate curatus, & deinde baptizatus, ejusdem Civitatis Episcopus ordinatus fuit*. Tarracinam misit Epaphroditum, de quo ad diem 22. Martii. Romulum ad varia Italiæ loca misit, qui Fesulis in Tuscia martyr occubuit (ad diem 6. Julii) Paulinum Lucam (12. Julii) Ravennam Apollinarem, de quo 23. Augusti: *Hic ab Apostolo Petro Romæ ordinatus, & Ravennam missus, pro Fide Christi diversas & multiplices pœnas perpessus est; postea in Æmilia Evangelium prædicans plurimos ab idolorum cultu revocavit: tandem Ravennam reversus sub Vespasiano Cæsare gloriosum martyrium consummavit*. De hoc Menol. ad eundem diem; Ado, Beda, & alii omnes. Veronam Euprepium (in notis Baron. ad die 24. Augusti) Patavium Prosdocimum (Martyr. ad diem 7. Novembris) Trevirim Maternum, *qui* (ut in Martyr. ad diem 14. Septemb.) *Tungrenses, Colonienses, & Trevirenses, aliosque finitimos populos ad Christi Fidem perduxit*. Ad Rhemenses Xystum, de quo (1. Septemb.) dicitur: *Rhemis in Gallia Sancti Xysti discipuli Beati Petri Apostoli, qui ab eo primus ejusdem Civitatis Episcopus consecratus sub Nerone martyrii coronam accepit*. Ad Cenomanos Julianum, de quo 27. Jan. dicitur: *Apud Cenomanos depositio S. Juliani primi ejusdem urbis Episcopi, quem Sanctus Petrus illuc ad prædicandum Evangelium misit*. Catalaunum in Gallia misit Memmium, de quo 5. Augusti legitur: *Catalauni in Gallia Sancti Memmii civis Romani, qui à S. Petro illius Civitatis Episcopus consecratus, populum sibi commissum ad Evangelii veritatem perduxit*. Alios in Hispaniam, cæterasque Occidentis Provincias à S. Petro missos prætereo, ne molestus sim; ex his enim abundè patet, quantâ sollicitudine Princeps Apostolorum Evangelio Christi per Occidentem promulgando incumberet. Hæc ab eo gesta existimo ab anno Claudii secundo, quo Romanam erexit Ecclesiam usque ad annum ejusdem nonum, quo Judæis Româ exulare jussis, eam Petrus quoque ad tempus, ut dicetur, reliquit.

§. XII.

De Concilio Hierosolymitano, & de reprehensione facta à S. Paulo.

I. Refert Baronius ad ann. 51. num. 3. ex Metaphraste ad diem 29. Junii, Petrum cùm Româ recessisset, in Africam navigasse, & Carthaginensem erexisse Ecclesiam, ac ibidem

dem reliquisse Crescentem discipulum, qui illam admiuistraret, indeque Alexandriam profectum: Alexandrinâ fundatâ Ecclesiâ, ibique Marco constituto Episcopo, ac Thebis Rufo, Hierosolymam profectum esse. Sed, ut benè notat Baronius, cùm de itiuere Petri in Africam, Thebas, & Alexandriam, & fundatione Ecclesiarum ibi majorum auctoritatem non afferat Metaphrastes, res in incerto est. Marcum, scripto Evangelio, Alexandriam perrexisse, & fortè etiam à S. Petro, cujus discipulus erat, missus, certum est, sed quòd Petrus Alexandriam se contulerit, ibi Ecclesiam ipse erexerit, & ad eam regendam Marcum reliquerit, desunt probata documenta.

II. Hierosolymam jam advenerat Petrus, cùm (ut refert S.Lucas Act. 15.) *Quidam descendentes ex Judæa docebant fratres: quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis salvari. Factá ergo seditione non minimâ, Paulo & Barnabæ adversùs illos, statuerunt, ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alii ex aliis ad Apostolos & presbyteros in Jerusalem super hac quæstione.* Cùm enim Ecclesia non ex solis Judæis, sed etiam ex Gentibus coalescere cœpisset, ac Judæis contendentibus, oportere ad salutem omnes circumcidi, Paulo verò & Barnabâ ex adverso negantibus, ad hoc dissidium tollendum impletum est, quod præceperat Deus Deuter. 18. & ex utraque parte missi sunt Jerosolymam, ubi erant Ecclesiæ præsides, ab eis expectantes judicium, quod ad partes deferretur, cuique omnes parerent. Quem morem iu rebus dubiis præsertim Fidem tangentibus semper servavit Ecclesia.

III. Hujus seditionis incentorem fuisse hæresiarcham Cerinthum, scribunt Epiphanius hæres. 28. asserens, eam movisse antequam suam in Asia hæresim spargeret: semel quidem Hierosolymis, cùm Petrus à Cornelio baptizato illuc esset reversus Act. 11. v. 283. Deinde perturbatis Antiochenis, ad quos Apostoli ex Concilio Hierosolymitano rescripserunt Act. 15. v. 24. Tertiò Hierosolymis adversus Paulum Act. 21. v. 28. Philastrius item hæres. 36. *Hic*, inquit, *sub Apostolis quæstionem seditionis commovit, dicens, debere circumcidi homines: cujus causá contra illum & hæresim ejus decreverunt in suis Actibus Apostoli sententiam non debere jam homines Judaismo, idest circumcisioni, aliisque talibus superstitionis vanæ parere carnalibus, qui de gentibus venientes credebant in Christum Dominum nostrum Salvatorem.*

IV. *Illi ergo* (nempè Paulus Barnabas & alii missi Act. 15. v. 3.) *deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicem & Samariam narrantes conversionem Gentium: & faciebant gaudium magnum* omni-

omnibus fratribus. Cùm autem venissent Hierosolymam suscepti sunt ab Ecclesia & ab Apostolis & Senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. Ibi autem excitatâ rursùs seditione à quibusdam de hæresi Pharisæorum, Cerintho duce, dicentibus oportere circumcidi eos, præcipere quoque servare Legem Moysi, convenerunt Apostoli & Seniores videre de Verbo hoc. Ecce convocatum Concilium. An huic omnes omnino Apostoli interfuerint, incertum. Scriptura de solis Petro, Paulo, Joanne, Jacobo, & Barnaba commemorat. Imò nec Paulus ad Galat. 2. v. 9. qui hâc occasione Hierosolymam venerat, ullum alium nominat; ait enim *Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteram dederunt mihi & Barnabæ societatis*. Et hoc mihi quasi certum videtur. Tum quia cùm dissensio non esset de hac re inter Apostolos, non oportebat, ut omnes convenirent. Tum quia cùm essent jam per totum Orbem dispersi cæteri, non poterant sine miraculo nec vocati adeò distantes simul Hierosolymis adesse: nisi fortè diceretur, quòd sicut Paulus Galat. 2. v. 2. revelatione præmonitus Hierosolymam stato tempore ascendit, *Ascendi autem secundum revelationem*: ita alii spiritu Dei præmoniti illuc accesserint. Agebatur enim de re gravissima, & totius Christianæ Fidei fundamento. Aderant impugnatores acerrimi, unde videbatur pleno Apostolorum cœtu definienda, & omnium consensu firmanda sententia; & hoc Epistola decretoria omnium Apostolorum nomine data testari videtur Act. 15. v. 22. *Tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam, qui cognominatur Barsabas, & Silam, viros primos in fratribus, & scribentes per manus eorum: Apostoli & Seniores fratres his qui sunt Antiochiæ* &c. Titulus autem iste *Apostoli* plenum Apostolorum collegium, sicut titulus *Senatus* præpositus alicui Edicto plenum Senatum indicare videtur. Hæc probabiliter dici possunt; sed cùm Scriptura nonnisi quatuor recenseat, res in ambiguo est relinquenda.

V. Convocato igitur Concilio, dicit Lucas v. 7.: *Cùm magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire Gentes Verbum Evangelii, & credere: & qui novit corda Deus testimonium perhibuit dans illis Spiritum Sanctum sicut & nobis: & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari,*

 quem-

quemadmodum & illi. Ac si diceret: Si Deus testimonio suo hoc ostendit, dans Gentibus incircumcisis Spiritum Sanctum sicut & nobis, & nihil discrevit inter nos & illos, fide purificans corda eorum, quid ultra tentatis, addendo circumcisionem & alia onera Legis importabilia, cùm sine istis nos & illos ad gratiam suam per fidem acceptet Deus? Hæc Petri Sententia fuit, quam primus & Princeps Apostolorum dixit, & in quam, veluti prærogativâ sui suffragii rem definitam, *Jacobus Apostolus & omnes simul Presbyteri transierunt* (inquit Hieronymus Epist.89. modò 74. ad Augustinum) Unde hâc auditâ subdit Lucas v.12. *Tacuit autem omnis multitudo*. Quòd si Jacobus postea locutus est; hoc non fecit, nisi Sententiam Petri suscipiens, eamque Prophetis conformem esse demonstrans.

VI. Ut ergo statuta sententia omnibus nota fieret, placuit Apostolis & Senioribus per Paulum Barnabam & alios selectos viros litteras dare ad Fideles Antiochenos, inter quos præcipuè orta erat contentio, tenoris sequentis *Apostoli & Seniores fratres: his qui sunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex Gentibus salutem .... Visum est Spiritui Sancto & nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine & suffocato & fornicatione: à quibus custodientes vos, benè agetis. Valete*. His clausum est Concilium.

VII. Difficultas est de illis ultimis verbis: *Ut abstineatis ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocato & fornicatione*, quæ Jacobo suggerente decreto addita sunt. Nam abstinentia à sanguine & suffocato præceptum legale est, abstinentia verò ab immolatis & fornicatione naturale est æquè obligans Gentiles ac Judæos.

In hac difficultate ait S. Th. 1. 2. q. 103. a. 4. ad 3. *Quidam dixerunt, quòd illa prohibitio Apostolorum non est intelligenda ad litteram, sed secundùm spiritualem intellectum: ut scilicet in prohibitione sanguinis intelligatur prohibitio homicidii: in prohibitione suffocati intelligatur prohibitio violentiæ & rapinæ: in prohibitione immolatorum intelligatur prohibitio idololatriæ: fornicatio autem prohibetur tanquam per se malum .... Sed quia homicidium & rapina etiam apud Gentiles reputabantur illicita, non oportuisset super hoc speciale mandatum dari his, qui erant ex gentilitate conversi ad Christum*. Rejectâ insuper aliorum opinione dicentium, præfata comestibilia fuisse prohibita ad gulam comprimendam, quia sunt alia cibaria delicatiora, & gulam magis provocantia, quàm sanguis & suffocatum; ideo

VIII. Re-

VIII. Respondet S. D. *Dicendum secundùm tertiam opinionem, quòd ad litteram ista sunt probibita, non ad observandum Caeremonias Legis; sed ad hoc, quòd posset coalescere unio Gentilium & Judaeorum simul habitantium. Judaeis enim propter antiquam consuetudinem sanguis & suffocatum erant abominabilia. Comestio autem immolatorum simulacris poterat in Judaeis aggenerare circa Gentiles suspicionem reditus ad Idololatriam: & ideò ista fuerunt probibita pro tempore illo, in quo de novo oportebat convenire in unum Gentiles & Judaeos. Procedente autem tempore, cessante causâ cessavit & effectus, manifestatâ Evangelicae Doctrinae veritate, in qua Dominus docet, quòd,,* nihil quod per os intrat, coinquinat hominem,, *ut dicitur Matth.* 15.& *quòd,,* nihil est rejiciendum, quod cùm gratiarum actione percipitur,, *ut* 1. *ad Timoth.*4. *dicitur. Fornicatio autem probibetur specialiter, quia Gentiles non reputabant eam esse peccatum.* Ita S. Thomas. Decretum ergo quoad substantiam controversiae, nimirùm Legalia de rigore praecepti non esse ampliùs observanda, fuit à D.Petro prolatum, & à Jacobo & Concilio solùm quoad circumstantias & modum quâdam oeconomiâ pro illo tempore explicatum.

IX. Superesset quaestio de anno, quo hoc Concilium celebratum fuit. Juxta communiorem sententiam jam dixi celebratum fuisse anno 9. Claudii & Christi 51. de eodem enim anno, quo celebratum est Concilium Hierosolymis, loquitur Paulus ad Galat. 2. cùm ait: *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cùm Barnaba assumto Tito. Descendi autem secundùm revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod praedico in Gentibus, seorsum autem ab illis qui videbantur aliquid esse.* Causam adventus sui fuisse controversiam de Legalibus, ostendit ipse ibi v. 4. & 5., ubi ait, se venisse *propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierant explorare libertatem, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent.* Cùm autem de controversia Legalium nullus alius legatur habitus Conventus, nisi ille, de quo Lucas ut supra Act.15., fit ut de eodem loquatur Paulus ad Galat. 2.. Verùm est hìc examinandum, à quo tempore numerandi sint illi quatuordecim anni, post quos Paulus dicit se ascendisse iterum Hierosolymam, an à tempore suae Conversionis, de qua cap.1. meminerat, an post triennium suae vocationis, quando, ut ait eodem c.1. v.18., *Post tres annos veni Hierosolymam.* Communiùs creditur, illos quatuordecim annos numerandos esse ab anno suae conversionis, & in illis includi tres annos, de quibus supra dixerat. Aliter tamen sentit S.Hieronymus in cap.2. Ep. ad Galat. nimirùm quatuordecim illos

annos numerandos esse ab illis tribus; ita ut decimoseptimo à sua conversione anno Jerusalem iterum venerit ad Concilium, quod propterea celebratum fuerit anno Christi 54. & Claudii 12. In hoc aliquas difficultates elevat Baronius ad ann.51. num.8., quas Lectoris judicio relinquit. Probabiliorem tamen censeo primam opinionem, quâ & salvatur, Petrum 25. annis Romanam Cathedram tenuisse, & anno Christi 69. ineunte, qui 13. Neronis fuit, martyrium consummasse.

X. Dissoluto concilio Hierosolymis habito, S. Petrus Antiochiam se contulit, ubi consuetudine initâ cum Fidelibus ex Gentibus ad Christum conversis nullam in cibis discretionem observabat: mox verò supervenientibus è Judæa ex Hebræis Fidelibus, veritus, ne illis scandalo esset, à Gentilium consortio & mensis se subducebat. Porrò cum eò venisset Paulus, hoc animadvertens, metuensque ne eo exemplo Ethnici ad legalia observanda crederent se teneri contra recentem Concilii Hierosolymitani definitionem, liberioribus verbis Petrum objurgavit. Hoc Paulus ipse ad Gal.2. v.11. &c. his verbis expressit: *Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo cùm Gentibus edebat: Cùm autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus: Si tu cùm Judæus sis Gentiliter vivis & non Judaicè, quomodo Gentes cogis judaizare?*

XI. Non defuerunt, qui existimarint, hunc Cepham à S. Paulo reprehensum, non fuisse S. Petrum Principem Apostolorum, sed unum ex 70. Discipulis. Ita Eusebius L.1.Hist. c.12. refert ex Clemente Alexandrino L.5.Hypotyposeon his verbis: *Cepham illum, cui Antiochiam ingressus palam se Paulus restitisse dicit, quoniam reprehensione dignus erat, unum, ait, fuisse ex septuaginta Discipulis Petro Apostolo cognominem.* Omnes tamen tum veteres tum novi Interpretes Cepham illum fuisse Petrum Apostolum consentiunt. S.Hieronymus in cap.2. ad Galat. contrarium opinantes rejicit, dicens, in Evangeliis & Epistolis alium Cepham non legi nisi Petrum, quem nos Latinè & Græcè Petrum Hebraicè verò & Syriacè *Cepham*. Imo Porphyrius ipse Christianorum hostis infensissimus ex hoc facto Paulum procacitatis arguit, quòd Principem Apostolorum ausus sit in faciem arguere, ut ex Hieronymo Ep. 89. modò 74. ad Augustinum.

Por-

Porphyrio tamen pejor fuit Julianus Apoſtata, nam ubi ille, ut Petri ſervet dignitatem, objurgat Paulum, hic ex præſenti facto invehitur in Petrum. De eo S.Cyrillus L.9. contra Julian. propè finem *Ad hæc*, inquit, *audax ille & confidens, Petrum Apoſtolorum præcipuum cavillatur, & hypocritam eſſe dicit, atque à Paulo reprehenſum, quòd modò Græcorum modò Judæorum ritu vivere vellet*. Juliani ſpiritus hæredes Novatores hoc factum extollunt, ut à Petro principatum inter Apoſtolos eripiant. Num enim, ajunt, auſus fuiſset inferior arguere ſuperiorem, & quidem publicè?

XII. Sed hæc non obſtant. Licet enim inferiori publicè arguere etiam ſuperiorem; ſi publicè deficiat, & talis defectus vergat in offenſionem & periculum multitudinis; arguere, inquam, non auctoritate ſed caritate & zelo Dei: quæ enim Deum & veritatem Evangelii tangunt liberè ſunt facienda, & imprudens ſaltèm eſt omnis ſimulatio, maximè ſi bonum multitudinis periclitetur, ut erat in caſu: nam ex facto Petri Eccleſiæ Paſtoris & Capitis, à menſis Gentilium ſe ſubducentis Judæis ſupervenientibus, arguebant qui hoc reſciebant, Legalia de neceſſitate eſſe adhuc obſervanda: quem errorem auferre volens Paulus, palàm Petrum increpuit, quia, ut ait S.Th. in cap.2. ad Galat. Lect.3., Paulus *in executione auctoritatis* par erat Petro, eſtò non *in auctoritate Regiminis*. Petrus autem modeſto & humili ſilentio reprehenſionem ſuſcipiens periculo erroris tollendo & ipſe cooperatus eſt. Quare Chryſoſtomus in c.2. ad Galat. *Unde*, inquit, *& Paulus objurgat, & Petrus ſuſtinet; ut dum magiſter objurgatus conticeſcit, facillimè Diſcipuli mutarent ſententiam*. Et S.Thomas in idem caput Lect.3. concludit: *Ex prædictis ergo habemus exemplum; Prælati quidem humilitatis, ut non dedignentur à minoribus & ſubditis corrigi; Subditi verò exemplum zeli & libertatis, ut non vereantur Prælatos corrigere; præſertim ſi crimen eſt publicum, & in periculum multitudinis vergat*.

De hoc S. Auguſt. Ep.19. modò 82. ad Hieron. cap.2. ait. *Ipſe verò Petrus, quod à Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, ſanctæ ac benignæ pietate humilitatis accepit; atque ita rarius & ſanctius exemplum poſteris præbuit, quo non dedignarentur, ſicubi fortè recti tramitem reliquiſſent, etiam a poſterioribus corrigi; quàm Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus, pro defendenda Evangelica veritate, ſalvâ fraternâ caritate reſiſtere. Nam cùm ſatius ſit, à tenendo itinere in nullo quàm in aliquo declinare; multò eſt tamen mirabilius & laudabilius libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deviantem. Eſt laus utique juſtæ liber-*

libertatis in Paulo, & sanctæ humilitatis in Petro, quæ quantum mihi pro modulo meo videtur, magis fuerat adversùs calumniantem Porphyrium defendenda, quàm ut ei daretur major obtrectandi occasio, quâ multò mordacius criminaretur, Christianos fallaciter vel suas litteras scribere, vel Dei sui Sacramenta portare.

XIII. In hoc facto acris disceptatio fuit inter Hieronymum & Augustinum. Volebat Hieronymus, Petrum non reverâ & ex animo, sed simulatoriè tantùm per simulationem ex composito factam Legalia coram Judæis observasse, ut supervenienti Paulo locum daret ipsam reprehendendi, & sic Judæi ab eis abstinerent. Putabat enim Hieronymus, statim post Christi mortem & resurrectionem Legalia facta fuisse non solùm mortua, sed & mortifera. Augustinus autem, qui existimabat Legalia eo tempore fuisse quidem mortua & vacua, nondum tamen evasisse mortifera, dicebat Petrum verè & ex animo Legalia observasse: at quia Paulus vidit, ex hoc Petri facto offensionem sumere posse tum Gentiles tum Judæos arbitrantes legalia de necessitate esse servanda, judicans minus opportunè & fortè minus prudenter à Petro fieri, zelo motus eum reprehendit. An verò Petrus saltem leviter in hoc peccaverit, non est hujus loci discutere. Solùm cum S.Cypriano Ep.76. ad Quintum concludam ad Petri modestiæ commendationem, & nostrum exemplum sic: *Nec Petrus, quem primum Dominus elegit & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cùm secum Paulus de Circumcisione postmodum disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumsit, ut diceret, se Primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potiùs oportere. Nec despexit Paulum, quòd Ecclesiæ prius persecutor fuisset; sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ quam Paulus vindicabat facilè consensit; documentum scilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter nostra amemus, sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris utiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potiùs nostra ducamus.*

§. XIII.

De aliis Petri gestis, Reditu Romam & Simonis Magi Nece.

I. Quid post annum Christi 51. usque ad annum sui martyrii egerit S.Petrus, Scriptura profundo silentio omittit; nec saltem certa & probata historia aut traditio ad nos deduxit. Quod

Quod in generali dicere possumus, hoc est, nimirùm quòd cùm à Christo onus suscepisset pascendi ac nutriendi gregem suum, credendum est, eum non molli otio elanguisse, aut vitam dulcem ac suavem à periculis remotam deinceps duxisse, sed potiùs omnes terræ partes perlustrasse, evangelico lumine cæcos illuminando, devios ad rectum iter reducendo, eos qui jam rectum iter susceperant ulteriùs promovendo, Christi hostes retundendo, & persecutiones carceres mortem ipsam contemnendo, & boni pastoris vices implentem animam suam pro ovibus suis ubique exponendo.

II. Putant aliqui, inter quos Baronius ad ann.57. num.52., S.Petrum Evangelium prædicasse in Africa; & moventur primò ex S.Gregorio lib.1. Epist.75. modò 77. ad Episcopos Numidiæ, ubi dicit præfatis Episcopis *Petiistis ....., ut omnes vobis retrò temporum consuetudines servarentur, quas à Beati Petri Apostolorum Principis ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit*. Secundò ex Tertulliano L. de præscript. cap. 36. dicente: *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præstò est*. Tertiò ex Cypriano Ep.45., ubi Romanam Ecclesiam vocat Ecclesiam *radicem* ac *matricem*. Sed hæc probare quidem videntur, à Romana Petri Cathedra omnes Ecclesias etiam Africæ auctoritatem ac regulam accipere, non tamen à Petro fuisse fundatas. Et in hoc eodem sensu locutus fuisse videtur S. Augustinus Epist.43. aliàs 162., cùm ait de Romana Ecclesia: *Unde Evangelium ad ipsam Africam venit*: potuit enim è Romana Ecclesia venire Evangelium in Africam, etsi non à persona Petri. Hoc potiùs indicasse videretur serm.43. (aliàs 27. de verbis Apost.) cap.6. ubi, *Mementote*, inquit, *Piscatorem sanctum justum bonum, Christo plenum, ad cujus missa per Mundum retia capiendus cum cæteris etiam Populus iste pertinuit*: nisi L. de unit. Eccl. cap. 15.; cùm Donatistæ assererent, Evangelium post Apostolos ad Africam pervenisse, *& ideo nusquam litterarum Apostolicarum scriptum est, Africam credidisse*; invenirem hoc ab Augustino potiùs admitti, quàm negari. Et de facto Tertullianus L. de Velandis Virg.cap.2. proponit Ecclesias Africæ tamquam posteriores Ecclesiis Græciæ, fundatis ab Apostolis aut viris Apostolicis. In hac ambiguitate repetam, quod supra §.11. ex Innoc.1. Ep.1. ad Decentium dixi, nimirùm manifestum esse, *in omnem Italiam Gallias Hispanias Africam atque Siciliam insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constituerint Sacerdotes*.

III. S.Petrum prædicasse Corinthiis certius est. Hoc enim fa-

fatetur Dionyſius Corinth. Epiſcopus apud Euſebium L.2. Hiſt. cap.25., ubi de Petro & Paulo loquens ait: *Ambo enim illi in Urbem noſtram Corinthum ingreſſi, ſparſo Evangelicæ Doctrinæ ſemine nos inſtituerunt, & in Italiam ſimul profecti, cùm vos ſimiliter inſtituiſſent, eodem tempore martyrium pertulerunt.* Corinthum tamen venit Petrus, non ante ſed poſtquam Paulus ibi fuerat, ut notat Baronius ad ann.57. num.4.: Paulus enim Ep. ad Rom. Corinthi datâ c.15. v.20. *Sic autem*, inquit, *prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus eſt Chriſtus*; & 1. Cor.3. v.6. ait *Ego plantavi, Apollo rigavit*, & v.10. *ut ſapiens Architectus fundamentum poſui*. Si autem ante ipſum Petrus prædicaſſet Corinthi, non diceret ibi ſe prædicaſſe Evangelium, ubi non nominatus eſt Chriſtus; ibi ſe illud plantaſſe ac fundamentum poſuiſſe. Nec obſtat quòd 1. Cor.1.12. invenerit diviſos inter ſe Corinthios, ac dicentes: *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ.* Nam hoc non probat, quòd Petrus (ſeu Cephas) ante Corinthi fuerit & prædicaverit; potuit enim contingere, quòd aliqui à D.Petro alibi converſi, ejuſque facti Diſcipuli Corinthum advenientes; ſicut alii dicebant, ſe eſſe Pauli, alii Apollo; ita & ipſi in venerationem ſui Magiſtri dicerent ſe eſſe Cephæ. Si enim ex quo alii dicerent, ſe eſse Chriſti, non ſequitur, quòd Chriſtus, cùm in humanis ageret, Corinthi prædicaverit, ſic nec ex quo quidam ibi dicerent: ego ſum Cephæ, deducitur, quòd Petrus ibi, ideſt Corinthi, ante prædicaverit.

IV. Circa Reditum S. Petri Romam convenit inter omnes, quòd Nerone jam imperante redierit: quo autem anno, ſive Chriſti ſive Imperii Neronis, nihil certi. Lactantius L. de mort.Perſec.2. videtur indicare, S.Petrum rediiſse Romam anno Chriſti 58., & fructum, quem ſua prædicatione & miraculis operabatur, fuiſse unam ex cauſis perſecutionis, quam Nero contra Eccleſiam excitavit. Volunt tamen aliqui, hoc medio tempore, anno ſcil. 62., iter ſuſcepiſse Hieroſolymam, ut Simeonem in locum Jacobi ejus Civitatis Epiſcopum ordinaret; & colligunt ex Euſebio L.3. Hiſt. c.25.: et hoc admiſso dici poteſt, S.Petrum bis rediiſse Romam ſub Nerone, ſemel quidem anno 58. & ſinè Paulo, iterum autem cum Paulo anno 65., ut ſentiunt aliqui; vel anno 68., ut putat Baronius. Unde res eſt planè incerta.

V. Cùm ergo poſtremò rediiſset Petrus Romam, memor illius, quod ei Chriſtus prænuntiarat, tum Jo: 13. v. 36. *Quò ego vado non potes me modò ſequi, ſequeris autem poſtea*; tum Jo: 21. v. 18. *cùm autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet, quò tu non vis*; jam ſenuiſse ſe videns, & revelatione ſpe-

speciali intelligens, non longè abesse Christi prædictionis tempus; non satis sibi putans Ecclesiæ Romanæ prospicere, sed & universo Gregi, cujus cura sibi à Christo demandata fuerat, & præcipuè ex Judæis, quorum in Concilio Hierosolymitano speciale patrocinium susceperat; ut sui zeli pastoralis perenne monumentum relinqueret, secundam ad eos scribit Epistolam, quam, etsi non certò, probabiliùs tamen Romæ datam ferè omnes existimant; & licèt an esset genuinus S. Petri fœtus olim dubitatum fuerit, postea tamen ut talis ab omnibus suscepta fuit: de quo egi tom. 1. tract. de Auct. Lib. Relig. Christ. cap. 3. §. 3. Eam ad eosdem, ad quos prima, fuisse datam, constat ex c. 3. v. 1., ubi scribit: *Hanc ecce vobis, carissimi, secundam scribo Epistolam, in quibus vestram excito in commonitione sinceram mentem; ut memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum à Sanctis Prophetis & Apostolorum vestrorum, præceptorum Domini & Salvatoris*. Is fuit hujus Epistolæ scopus, superiùs enim cap. 1. & 2. excitaverat eos ad perseverandum in Doctrina Fidei & bonis operibus, & cavendum ab illusionibus falsorum Doctorum, quales tunc erant Simonis Magi Discipuli & Nicolaitæ. De Epistolis S. Pauli cum honore loquitur c. 3. v. 15. *Sicut & carissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis loquens in eis de his*: quæ admirans S. Gregorius L. 2. in Ezechiel. Homil. 6. *Ecce*, inquit, *Paulus in Epistolis suis scripsit Petrum reprehensibilem; & ecce Petrus in Epistolis suis asserit Paulum in his quæ scripserat admirandum. Certò enim nisi legisset Petrus Pauli Epistolas non laudasset. Si autem legit, quia illic ipse reprehensibilis diceretur, invenit. Amicus ergo veritatis laudavit etiam quòd reprehensus est, atque ei & hoc ipsum placuit, quia in his non placuerat, quæ aliter quam debuerat sensit.* Inde prosequitur proponens omnibus in exemplum Petri humilitatem & mansuetudinem, qui major à minori reprehensus non solùm non indignatur, sed laudat reprehensorem. Imo ejus suscipit defensionem; cùm enim quidam indocti abuterentur verbis Pauli; quasi Fidem extollens, bona opera tanquam non necessaria rejiceret: eos corripiens Petrus subjungit: *In quibus* (Pauli Epistolis) *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Scripsisse autem hanc Epistolam non multò ante obitum, indicat ipse cap. 1. v. 13. dicens: *Justum autem arbitror, quamdiù sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione: Certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundùm quod & Dominus Noster Jesus Christus significavit mihi*.

VI. Interea Simon Magus, cujus præſtigias Petrus, ut ſupra dixi, in ſuo primo adventu Romam detexerat, multoſque ab eo ſeductos ab ejus ſequela abſtraxerat, ſive diuturnâ Petri abſentiâ, ſive magis Neronis patrocinio, qui ut refert Plinius L. 30. c.2. incredibili Magiæ ſtudio tenebatur, ut ejuſmodi præſtigiatores non ſolùm ſpontè artes ſuas afferentes apud ſe habere curaret, ſed a remotis quoque partibus accerſiret; Simon, inquam, Magus tanto patrocinio animatus, novis ac in ſpeciem mirabilibus præſtigiis Romanorum animos dementaverat, adeò ut ſe virtutem Dei magnam, quæ Angelis dominaretur, & alia humanum tranſcendentia jactans, ut de his experimentum daret, volatum per aera & aſcenſum in Cœlum Neroni pollicitus ſit. Huc pertinere cenſet Baronius ad ann.68. num.14., quæ Dio Chryſoſtomus Orat.21. narrat de quodam, qui cùm Neroni promiſiſſet ſe volaturum, multo tempore nutriebatur apud eum in aula tanquam volaturus; quod cùm in theatro perficere tentaſſet, narrat Svetonius in Nerone cap.12., quòd primo conatu juxta Neronis tabernaculum cecidit, ipſumque cruore reſperſit. Quæ omnia tentato Simonis volatui ac lapſui convenire videntur; teſte enim Philaſtrio, coram Nerone *devictus undique oratione Beati Petri Apoſtoli, atque percuſſus ab Angelo, ſic meruit interire, ut ejus Magiæ evidens mendacium cunctis hominibus pateſieret*, ita hæreſ. 29.

VII. De Simonis Magi conatu & præcipiti lapſu veteres omnes conveniunt, in circumſtantiis autem diſſident. Auctor Conſtitut. S. Clementis nomine dicit, hæc accidiſſe in theatro L.6. cap.9. ibique Petrum juſſum adeſſe, qui ſeorſim orabat Deum, ut Simonis conatum everteret: *Cùmque hæc dicerem* (in perſona Petri loquitur) *deſertus à virtutibus Simon cum magno fragore corruit, vehementerque concuſſus fregit coxendicem & pedum talos &c.*: Sed ne dicat aliquis, Libros Conſt.Clem. apocryphos eſſe, accedant alii veteres. Arnobius adversùs Gentiles ſcribens Lib.2. inter cauſas, ob quas Romanorum multi patriis relictis erroribus veritati Chriſtianæ adhæſere, hanc ponit: *Viderant enim*, inquit, *curſum Simonis Magi & quadrigas igneas Petri ore difflatas & nominato Chriſto evanuiſſe. Viderant*, inquam, *fidentem Diis falſis & ab iiſdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum ſuo, cruribus jacuiſſe præfractis: poſt deinde perlatum Brundam, cruciatibus & pudore defeſſum, ex altiſſimi culminis ſe rurſum præcipitaſſe faſtigio*. Hæc facta non in angulo, ſed Romæ & tanto ſpectante Populo, non objeciſſet gentibus Arnobius, ſi explorata non fuiſſent.

VIII. S. Augustinus L. de hæref. cap. 1. idem confirmans ait: *In qua Urbe* (Roma) *Apostolus Petrus eum* (Simonem) *verâ virtute Dei omnipotentis extinxit*. Theodoritus hæret. fab. L. 1. cap. 1. *Rursùs*, inquit, *Romam veniens divinus Petrus fraudis eum* (Simonem) *pennis nudavit. Qui cùm eum tandem in miraculorum certamen provocasset, omnibus Romanis videntibus, eum ex magna altitudine deturbavit, cùm orasset: & qui miraculum viderant, eos cepit ad salutem*. Idem Isidorus Pelusiota Lib. 1. Epist. 13. ad Lampetium. S. Ambrosius quoque serm. 66. in Nat. Apost. hoc factum describens ait: *Cùm enim idem Simon se Christum diceret, & tamquam Filium ad Patrem assereret volando se posse conscendere; atque elatus subitò magicis artibus volare cœpisset: tunc Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione factâ vicit magicam levitatem .... Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aere deposuit & quodam præcipitio in saxa illidens, ejus crura confregit, & hoc in opprobrium facti illius, ut qui paulò ante volare tentaverat, subitò ambulare non posset, & qui pennas assumserat, plantas amitteret &c.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech 6. Sulpitius Severus L. 2. Hist. Sacræ, & alii idem narrant; solùm in hoc diversi, quòd isti Simonis lapsum tribuunt Petri & Pauli precibus, quibus consentire videtur Ambrosius supra relatus & Maximus Taurinensis Hom. 5. in Nat. Apostolorum, qui hanc fuisse causam quare ambo martyrium perpessi sint, affirmant; alii verò, ut Arnobius Augustinus & alii triumphum de Simone Mago soli Petro tribuunt.

IX. Quia verò non in hac sola circumstantia diversimodè Simonis lapsus narratur, aliquibus volentibus ad solius Petri preces, aliis etiam ad preces Pauli evenisse; sed etiam in aliis: Tum in tempore; quidam enim videntur velle, Simonis interitum in primo Petri adventu Romam & sub Claudio contigisse; quidam & plures in secundo adventu & sub Nerone: Tum circa modum lapsus; alii enim volunt, Simonem tantùm crura fregisse, alii toto corpore confractum cecidisse; alii ad pedes Neronis eum corruisse; alii delatum Brundam desperatione è sublimi conclavi præcipitem se dedisse, Brundam autem volunt fuisse locum quemdam Romæ sic dictum: Alii de hoc nihil dicunt: Alii precibus solis hanc victoriam reportatam ferunt; alii jejunium adjungunt, ut statim dicam. Demum totam Historiam suspectam quidam habent ex silentio Justini Irenæi Tertulliani & Eusebii de illa.

X. Propterea quidam Critici rigidiores, maximè ex Prote-

M 2 stan-

ſtantibus, inter quos Ittigius de Hæreſiarchis ſect.1.cap.2. totam narrationem ſuſpectam putant. Verùm ſi diverſitas in circumſtantiis, quibus aliquod factum antiquum à diverſis narratur, ſufficit ad reddendum factum illud vel fictum vel ſaltèm ſuſpectum; cùm in Hiſtoriis ferè nullum narretur factum, in quo Hiſtorici in aliquibus circumſtantiis, ut temporis & loci, varii non ſint: fieret, ut nullum factum quoad ſubſtantiam certum eſſet habendum. Varietas ergo hæc in circumſtantiis de lapſu Simonis Magi ad ſummum poteſt quidem dubias relinquere circumſtantias, ſed ſubſtantiam facti lædere non poteſt. Quòd ſi contendant adhuc, totum eſſe commentitium & fictum, liberrimè dicam, donec ipſi non afferant claram & invictam probationem de hujus facti falſitate, me potius eligere decipi cum Arnobio Cyrillo Hieroſolymitano, Ambroſio, Auguſtino, Theodorito, Iſidoro Peluſiota, & aliis pluribus, quàm hos præcipuos veteres Eccleſiæ Magiſtros levis credulitatis accuſare, ut cum paucis recentioribus ſapiam.

XI. S.Petrum cùm Simone Mago certaturum ad preces præmiſiſſe jejunium, cenſuerunt aliqui: cùmque certamen pro die Dominico indictum eſſet, die Sabbato præcedente jejunaſſe; hincque ortam antiquam conſuetudinem Romæ die Sabbati jejunandi. De hoc S. Auguſt. Epiſt. 36. aliàs 86. ad Caſulanum cap.9. Cùm enim quidam *Urbicus* (ſive quia hoc nomine vocaretur, ſive quia Romanæ Urbis homo) diceret: *Petrus etiam Apoſtolorum caput, Cæli Janitor, & Eccleſiæ fundamentum, extincto Simone, qui Diaboli fuerat, nonniſi jejunio vincendi figura, idipſum Romanos edocuit, quorum fides annuntiatur univerſo Orbi terrarum*. Reſpondet: *Eſt quidem & hæc opinio plurimorum, quamvis eam perhibeant eſſe falſam plerique Romani, quòd Apoſtolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipſum magnæ tentationis periculum, pridiè cum ejuſdem Urbis Eccleſia jejunaverat, & conſecuto tam proſpero glorioſoque ſucceſſu eundem morem tenuerit, eumque imitatæ ſint nonnullæ Occidentis Eccleſiæ*. Sed hoc ſine firmo aſſeri fundamento, oſtendit idem S. Doctor: & ideò hoc S.Petri jejunium, præmiſſum certamini cum Simone Mago, incertum eſt.

Oſtendebantur etiam ſeculo VI., Gregorio Turon. de Gloria Mart. cap.28. teſtante, duo ſaxa: unum, in quo ſupponebantur Petrus & Paulus genuflexi auxilium à Deo pro tam gravi pugna precibus poſtulaſſe; alterum, ſeu altera oſtendebantur Simonis ſanguine tincta, in quæ præceps ruens Simon crura fregiſſet. Sed quidquid de iſtis ſit, hoc certum eſt, Simonem Magum precibus Pe-

Petri devictum atque extinctum fuisse. De Simone Mago agam etiam, cùm de hæresi Simoniana sermo mihi erit.

§. XIV.

De Carcere & Martyrio S. Petri.

I. NArrat S. Ambrosius serm. *66.* vel *68.*, Simonis Magi necem fuisse causam, quâ Ethnici, qui eum summo honore & veluti Deum habuerant, indignati, mortem S. Petro & etiam S. Paulo machinari cœperunt. *Sed videamus*, inquit, *causam, quare ista perpessi sint: scilicet, quòd inter cætera mirabilia etiam Magum illum Simonem orationibus suis de aeris vacuo præcipiti ruinâ prostraverunt*: quibus supponit etiam Paulum in nece Simonis partem habuisse. Porrò Fideles cùm rescivissent Petri periculum, rogaverunt illum, ut declinaret, seque Ecclesiæ utilitati reservaret: Quorum importunis precibus desiderium martyrii quo flagrabat postponens, noctu secessit. Sed cùm ad portas Urbis jam pervenisset, Christum Jesum obviàm habuit, cùmque interrogaret, quò iret, respondentem audivit *Vado Romam iterum crucifigi*. Hoc intelligens Petrus reversus est, & visione fratribus narratâ, mortem sibi imminentem paratus expectabat. Hoc narrat inter cæteros S. Ambrosius Orat. in Auxentium de Basilicis tradendis tom. *3.* Edit. Erasmi L. *5.* Epist. ad Epist. *32.* his verbis: *Idem Petrus postea victo Simone, cùm præcepta Dei Populo seminaret, doceret castimoniam, excitavit animos Gentilium, quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, ut paulisper cederet. Et quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione Populi precantis inflexus est. Rogabatur enim, ut ad instituendum & confirmandum Populum se reservaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit & videns sibi in porta Christum occurrere, urbemque ingredi, ait*, „ Domine quò venis?„ *Respondit Christus*„ Venio iterum crucifigi „. *Intellexit Petrus, ad suam Crucem divinum pertinere responsum. Christus enim non poterat ampliùs crucifigi .... Intellexit ergo Petrus, quòd iterum Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus per Crucem suam glorificavit Dominum Jesum.* Hæc Ambrosius, fortè sumta ex Actis Passionis ejus à Lino scriptis, quæ licèt modò interpolata sint, suo tempore tamen adhuc erant sincera.

II. Dubium emergit, an hæc tentata Petri fuga contigerit ante quam conjiceretur in Carcerem, an post; ita ut fugam è Carcere

cere lapsus sit aggressus. Baronius ad ann. 69. num. 7. verius putat hoc secundum, quia statim ac reversus est, ad supplicium duci jussus fuit, unde non fuisset spatio novem mensium detentus in Carcere, ut dicetur. Verùm hæc benè conciliari posse existimo, si dicatur cum S. Ambrosio laudato, quòd Simone Mago extincto statim Gentiles commoti quærere Petrum cœperint, & quòd ipse à fratribus monitus fugam arripuerit; sed visione Christi detentus ac reversus, confestim vel paulò post conjectus in Carcerem, novem mensibus ibi detentus martyrium consummaverit. Cùm enim juxta Baronium Simon Magus prostratus fuerit anno Christi 68., & S. Petrus crucifixus anno 69. die 29. Junii, superesse potuit tempus, ut in Carcere per novem menses detineretur.

III. Conjectus in Carcerem S. Petrus Apostolatus sui muneri non defuit: Christum enim prædicans quadraginta septem animas ei lucratus est ac baptizavit; & ulteriùs Processum & Martinianum præcipuos Carceris Custodes, qui omnes mandante Nerone martyrium sustulerunt. De præfatis 47. Martyrol. Rom. ad diem 14. Martii hæc habet: *Romæ Natalis Sanctorum quadraginta septem Martyrum, qui baptizati sunt à Beato Apostolo Petro, cùm teneretur in custodia Mamertini cum Coapostolo suo Paulo, ubi novem mensibus detenti sunt; qui omnes sub devotissima Fidei confessione Neroniano gladio consumti sunt*. De his Beda Usuardus & Aido hâc die, secundâ autem Julii de SS. Processo & Martiniano hæc leguntur: *Romæ viâ Aureliâ Natalis Sanctorum Martyrum Processi & Martiniani, qui à Beato Petro Apostolo in custodia Mamertini baptizati, sub Nerone oris contusionem equuleum nervos fustes flammas scorpionesque perpessi, novissimè gladio cæsi Martyrio coronati sunt*. Porrò Mamertinus Carcer erat ad radices Capitolii situs subterraneos habens descensus; qui etiam modò à Christianis invisitur & in honore habetur; unde autem Mamertinus dictus fuerit, disserit Baronius in Not. Martyr. ad diem 14. Martii. In hoc igitur Carcere Petrus & Paulus detenti ad martyrium usque permanserunt.

IV. Tandem consummato Carcere ad martyrium ductus S. Petrus suam Fidem ac senectutem gloriosè coronavit. Hoc Romæ accidisse tota antiquitas concordi adeò sensu confessa est, ut nemo, etsi novissimorum temporum hæreticus, apertè inficiari ausus fuerit. Ex Achaja ergo, ait Baronius ad ann. 69. n. 5., Romam rediens Nero, eâ pompâ triumphali, quam Svetonius in Nerone cap. 25. describit, Apostolos, quos Simonis Magi causâ (ut dictum est) Carcere detentos invenit, novâ superadditâ accusa-

fatione, & fortè quòd in Carceribus detenti adhuc ad Christum plures traherent, vel, ut alii volunt, quòd feminas ad castitatem convertissent, ultimo supplicio condemnavit, Petrum quidem, utpote vilis conditionis, supplicio Crucis, Paulum verò, quia Civem Romanum, gladii. Tunc impletum est quod prænuntiaverat Christus Petro Jo: 21.v.18. *Cùm autem senueris, extendes manus tuas & alius te cinget & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans, quâ morte clarificaturus esset Deum*: ubi Augustinus tract.123.in Joan.,,Extendes (inquit) manus tuas ,, *hoc est crucifigeris. Ad hoc autem ut venias,,* alius te cinget & ducet,, *non quò vis*, sed,, quò non vis.,, *Priùs dixit quod fieret, & deinde quomodo fieret*. Volebat Petrus ire ad Christum, sed à via crucis infirmitas carnis eum retrahebat. *Solutus quippè à corpore volebat esse cum Christo, sed si fieri posset, præter mortis molestiam vitam concupiscebat æternam, ad quam molestiam nolens ductus est, sed ab ea volens eductus est: nolens ad eam venit, sed volens eam vicit: & reliquit hunc infirmitatis affectum, quo nemo vult mori, usque adeò naturalem, ut eum Beato Petro nec senectus auferre potuerit... Propter nos consolandos hunc etiam in se transfiguravit ipse Salvator dicens,,* Pater, si fieri potest, transeat à me Calix iste,, *qui utique mori venerat, nec habebat mortis necessitatem sed voluntatem*.

V. E Carcere igitur ad locum Martyrii S. Petrus ductus fuit. Quo autem in loco Romæ illud consummarit, non est omninò exploratum. Baronius ad ann 69. n. 15. &c. ut certum supponit, eum transTiberim, ubi Judæi degere consueverant, ad subeundum Crucis supplicium fuisse transmissum. Quo autem in loco ejus Regionis discutitur. Acta quæ sub Lini nomine proferuntur, ajunt: *Pervenit denique unà cum Apostolo, & apparitoribus Populus infinitus ad locum, qui appellatur Naumachia, juxta Obeliscum Neronis in Monte*. Liber verò de Rom. Pontificibus Damaso tributus, agens de sepultura Petri, ait: *Sepultus est viâ Aureliâ ad Templum Apollinis, juxta locum, ubi crucifixus est, juxta Palatium Neronianum in Vaticano, juxta Territorium triumphale*. Sed hîc loquitur de loco sepulturæ non de loco Martyrii; qui tamen putatur fuisse juxta illum. Unde Baronius post eruditum examen concludit, passum esse Petrum in ea summitate Janiculi, seu Vaticani montis, quæ esset imminens Naumachiæ, deorsum juxta Tiberim positæ: sepultumque in ipsa Vaticani parte, apud quam Neronis horti essent & Circus cùm Obelisco. Consentit Anastasius Bibliothecarius *in Petro*.

Fertur etiam, S.Petrum antequam mortis supplicio affice-re-

retur, flagellis fuisse cæsum. Is enim Romanorum mos erat, ut qui ultimo supplicio addicerentur anteà virgis cæderentur; & de Petro, qui habebatur ut persona vilis, non videtur dubitandum. De Paulo potiùs, qui Civis Romanus erat, & proinde Lege Valeriâ & Lege Portiâ habebatur immunis, dubium esse posset. Sed quia Lege Duodecim Tabularum sancitum erat, ut quicumque immane perpetrasset delictum ante supplicium flagris cæderetur, & Pauli delictum apud Ethnicos immanissimum haberetur, certò tenendum est, & ipsum prævié ad supplicium flagris fuisse cæsum; eò vel magis, quia adhuc Romæ in Ecclesia S. Mariæ Trans Pontem in honore habentur Columnæ illæ, quibus ambo Apostoli alligati & virgis cæsi feruntur.

VI. Supplicium S. Petri Crux fuit, capite tamen in terram verso, ipso sic petente, ac pedibus in sublime elatis. Ita ferunt Veteres: Origenes apud Euseb. L.3.Hist. cap.1. Petrus, inquit, *ad extremum Romam veniens Cruci suffixus est capite deorsum demisso, sic enim ut in Cruce collocaretur, oraverat*. Idem Hieronymus de Script. Eccl. in Petro, addens, quòd hoc petiit, *asserens se indignum, qui sic crucifigeretur, ut Dominus suus*. Chrysostomus hom. *66*. in Gen. Petrus.... *modo contrario, quàm fuerat Dominus, crucifixus, ita hâc vitâ excessit*. S. Maximus in Nat. Apost. serm.1. *Hic est*, inquit, *Petrus, qui dum ad crucem tanquam Christi Discipulus duceretur, verso se poscens corpore crucifigi, passionem non timuit, sed æqualitatem crucis Dominicæ declinavit; ut ostenderet universis, admirandæ se humilitatis virtutem novique mysterii disciplinam & inter tormenta servasse*. Aliam etiam causam, cur capite inverso petierit crucifigi, affert Theodoritus Orat. de Carit. dicens: *Cùm ad mortem Crucis à Nerone damnatus esset, rogavit Carnificem, ne similiter atque Dominus trabi affigeretur, sed contrario modo: veritus (quod est verisimile) ne eadem passio eundem sibi ab insipientibus honorem conciliaret: ideò rogavit, ut manus inferiùs, superiùs autem pedes affigerentur*. Aliam rationem adducit Leo IX. Epist.1. ad Michaelem C. P. Patriarcham cap.*6*., ut scilicet Christo Ecclesiæ fundamento magis cohæreret, aliudque præter ipsum non esse fundamentum demonstraret, dicens: *Quod utique devotissimus ille Petrus non solum vivens, sed etiam moriens demonstravit, quando nimiâ humilitate & congruâ significatione, se crucifigi deorsum verso capite, petivit: profectò divinâ inspiratione præfigurans, se esse primum & quadrum lapidem in fundamento, quod est Christus Jesus, compaginatum, cohærentem, atque connexum: qui utpotè superpositus angulari lapidi totum pondus Ecclesiasticæ Fabricæ incorruptibili soli-*
di-

ditate sufferret, ac proprii capitis suppositione omnia membra Corporis Christi per aptas & naturales compages, usque ad consummationem seculi quasi usque ad pedes crescentia, inflexibili collo ad Cœlos sustolleret. Hoc modo Petrum crucifixum fuisse, asserunt præter alios Patres Martyrologium Romanum & Menologium Græcorum ad die 29 Junii.

An verò clavis fuerit Cruci confixus, an funibus Cruci alligatus, Tertullianus in Scorpiaco cap.14. hoc secundum putat dicens: *Petrus ab altero cingitur, cùm Cruci adstringitur;* motus ex verbis, quibus hoc ei Christus prædixerat Jo:21. v.18.: *Cùm autem senueris, extendes manus tuas & alius te cinget & ducet, quò tu non vis*. Idem sentit S.Th. in cap.21. Joan. Lect.4. dicens: *Petrus crucifixus fuit; sed non cùm clavis sed cùm funibus, ut diutiùs viveret: & hoc Christus vocat cincturam*. Alii autem clavis eum fuisse affixum Cruci existimant; unde dicunt, eum fuisse Cruci affixum. Potest tamen utrumque conciliari dicendo, vel fuisse priùs Cruci funibus alligatum, deinde manibus ac pedibus ibidem confixum; vel funibus ligatum ductum fuisse ad Crucem, sed ei postea clavis confixum. Et hic videtur sensus verborum Christi, dum ait: *Et alius te cinget & ducet, quò tu non vis*, nimirum *priùs cinget*, & cinctum *ducet quò non vis*, idest ad Crucem.

VII. Diem Martyrii utriusque Apostoli Petri & Pauli fuisse diem vigesimam nonam Junii, constans traditio est, quam in Martyrol. Rom. & Menologio Græco firmat utraque Ecclesia, quæ hâc die celebrat utriusque martyrium. Licèt autem dies solemnitatis generaliter non evincat, fuisse diem mortis; in præsenti tamen casu, cùm utraque Ecclesia & præsertim Romana semper hanc diem hisce duobus suis Patribus ac Fundatoribus consecraverit; credendum est, eam existimasse, ipsam eorum martyrii diem fuisse. Scio, voluisse aliquos, solùm post annum 250. festum Petri & Pauli eâ die celebrari cœpisse, sed nullum sui asserti afferunt certum documentum. Alios etiam velle non die 29.Julii, sed 22. Februarii usque ad V. Seculum fuisse celebratum, motos ex quodam antiquo laterculo Bolemei Silvii (qui V. Seculo vixit) plura sacra profanaque festa continente, in quo Depositio Apostolorum Petri & Pauli non 29.Julii, ut nunc, sed 22. Februarii celebrata in Ecclesia Romana notatur. Sed propter unum incertæ Fidei monumentum non est cur recedamus ab antiquis Kalendariis, qualia sunt Sacramentarium S.Gregorii Magni, OrdoRomanus & Lectionarium S Hieronymi omnium antiquissimum, in quibus omnibus SS. Petri & Pauli

Depositio 3. Kal. Julii assignatur. Addo, quòd ex alia vetustissima Membrana seu Martyrologio apud Bollandum disertis verbis *octavo Kal. Martii*, non Depositio Apostolorum Petri & Pauli, sed *Natale Petri de Cathedra* legitur, & 3. Kal. Julii Petri in Catacumbas & Pauli Ostiense. Igitur cùm isti Codices secum de antiquitate & modo loquendi pugnent, non merentur, ut antiqua & tuta Ecclesiæ monumenta deseramus.

VIII. Quod hâc eâdem die Petrus & Paulus subierint martyrium, nemo quem viderim in controversiam vertit; sed quòd eodem anno, aliqui dubitare faciunt. Prudentius enim de Mart. Hymno 12. S. Paulum passum asserit anno integro post S. Petrum, his verbis.

Unus utrumque dies pleno tamen invocatus anno
Vidit superba morte laureatum.

Arator etiam in Act. Apost. L. 2. ita canit.

Cùm natura dedit, geminos quos addidit astris
Non eadem, tamen una dies, annique voluto
Tempore, sacravit repetitam passio lucem.

In idem consentiret videtur S. Augus. serm. 391. (al. 6. de Viguerianis) dicens: *Sicut traditione Patrum cognitum memoriâ retinetur, non uno die passi sunt per Cœli spatia decurrente.* Et serm. 28. de Sanctis (modò 205. in Append.) *Currunt*, inquit, *utrique ad palmam martyrii, & utrique perveniunt ad coronam: non quidem eodem temporis cursu, sed eodem anni revertentis occursu.*

Magis tamen probata & communis sententia est, eâdem die & eodem anno martyrium ambos pertulisse. Id enim asserunt Dionysius Corinthius apud Eusebium L. 2. Hist. cap. 25., qui ita refert: *Porrò ambos uno eodemque tempore martyrium subiisse, Dionysius Corinthiorum Episcopus ad Romanos scribens testatur his verbis ..... Ambo enim illi in urbem nostram Corinthum ingressi sparso Evangelicæ Doctrinæ semine nos instituerunt, & in Italiam simul profecti, cùm nos similiter instituissent, eodem tempore martyrium pertulerunt.* Scio, Valesium in Notis hæc verba *eodem tempore* in lato sensu interpretari, non pro eodem die & anno, sed circa idem tempus: sed hanc expositionem violentam esse, ostenditur ex Epiphan. hæres. 27., ex Hieronymo L. de Script. Eccles., tum cap. 1. *in Petro* tum cap. 5. *in Paulo*, ubi ait: *Hic ergo quarto decimo Neronis anno* (ut de Petro dixerat) *eodem die, quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatur*: ex Sulpitio Severo L. 2. Hist. & aliis. Dubium autem omne sustulisse reor Synodum Romanam sub Gelasio ann. 494. celebratam, in qua c. 2. sic de Pe-

Petro dicitur: *Cui data est etiam societas Beatissimi Pauli Apostoli Vasis Electionis, qui non diverso, sicuti hæretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die, gloriosâ morte cùm Petro in urbe Româ sub Cæsare Nerone agonizans coronatus est*. Quibus apparet, ex putido fonte, quia Hæreticorum, oppositam opinionem manasse, ideoque reddi suspectam. Standum ergo est Martyrol. Romano & Menologio Græcorum, quibus hi duo Apostoli eodem die & anno passi enuntiantur.

IX. Major difficultas est de anno à Nativitate & Passione Christi, quo Petrus & Paulus martyrium passi sint, in quo Historici & Chronologi adeò diffident, ut vix duos invicem concordes invenias. Idem S. Thomas à se ipso dissentire videtur. Nam in cap. 21. Joan. Lect. 4., dicit, *quòd post tempus quo ista sunt dicta* (à Christo nempè prænuntiante Petro passionem) *usque ad tempus mortis Petri fluxerunt ferè triginta septem anni*. Cùmque Christus anno trigesimo tertio hæc dixerit, si triginta septem anni addantur, fiet quod Petrus circa annum Christi septuagesimum mortem passus fuerit. At in cap. 2. ad Galat. Lect. 1., dicit: *Quadragesimo anno à Passione Christi passus est Petrus Romæ, ut in Historia habetur, quod fuit tempore Neronis*. Unde anno Christi 73. passus fuisset, quo anno Nero jam extinctus erat.

Anastasius Biblioth. in Vitis Rom. Pont. Passionem Petri consignat anno post Passionem Christi 38., & proinde à Nat. 71. ait enim: Hic martyrio cum Paulo coronatur post Passionem Domini annis 38.: S. Epiphanius hæres. 27. hoc accidisse sentit anno Neronis 12.; ad quem accedere videtur Tilmontius tom. 1. Nota 40., ubi ponit Sanctorum Apostolorum martyrium anno Christi *66.*, ac multa congerit pro sua & contra aliorum opiniones, ad quæ Lectorem remitto.

Baronius verò ad ann. *69.* num. 1. ait: *Anno Redemtoris Nostri sexagesimo nono L. Fontejo Capitone & C. Julio Rufo Coss. cùm jam Nero Achajâ Romam rediisset, Petrus & Paulus Principes Apostolorum, cùm eâdem quâ semper eidem restitissent constantiâ, unâ eâdemque die tertio Kal. Julij ejus jussu diverso mortis genere gloriosum subiere martyrium*.

Hunc annum *69.* censet Baronius fuisse Neronis 13., non decimum quartum ut volunt S. Hieronymus & alii; nam cùm Nero ceperit Imperium mense Octobri Coss. Marcello & Aniola, nullum est dubium, hunc esse annum decimum tertium, qui eodem mense Octobri terminatur & quo quartus decimus inchoatur. Sed cùm æquè perspicuum sit, ipsum eodem anno quarto decimo, quarto Idus Junii fuisse occisum, nec pervenisse

ad tertiam Kal. Julii quo Apostoli necati sunt, jam non esset verum, quòd imperante Nerone vitam finiissent. Pro hac sua sententia multos antiquos citat, ut Cajum, Zephyrinum Rom. Pont., & Dionysium Corinthium ex Metaphraste ad diem 29. Junii.

Noto tamen, eundem Baronium in notis ad Mart. ad diem 29. Junii dicere, Martyrium Apostolorum contigisse *anno à Christo Domino secundùm veriorem supputationem sexagesimo octavo*, fortè corrigendo ea quæ in Annalibus dixerat: & in hunc annum incidisse tertium decimum Neronis annum, aliqui Recentiores asserunt. Quid ergo in hoc Chronologico dissidio statuemus? Nihil certi. Nec mirum; nam si in statuendo anno Nativitatis & Mortis Christi nil certi figere possumus, non est cur in statuendo anno mortis Petri & Pauli laboremus.

X. Demortui in Cruce Petri corpus, ferunt Acta Lini, à Marcello Presbytero curatum & aromatibus conditum magnificentissimè & more Regio nedum Judaico traditum fuisse sepulturæ. An verò credibile sit, corpus hominis è supplicio infami delatum, coram Romanis Persecutoribus & in Christianos frementibus, regiâ pompâ sepeliri, suspensus hæreo. Hoc certum habeo, sepultum fuisse in Vaticano in ea parte, quæ olivis erat ferax & fonte irrigua, ut testatur Prudentius Hymn. 18. Mirum quidem est, quòd loca, ubi Sanctorum Apostolorum Corpora sepulta fuerunt, inter Persecutores absque jactura & contumelia aliqua imò in honore habita semper fuerint, adeò ut Cajus Romanus Presbyter (apud Eusebium) L. 2. Hist. cap. 25., dixerit: *Ego verò Apostolorum trophæa possum ostendere. Nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi trophæa eorum, qui Ecclesiam illam fundaverunt.*

XI. Non defuere tamen quidam Christiani Orientales, qui hoc eodem anno sacra Apostolorum corpora è loco surripere & in Orientem asportare tentarint. Narrat hoc S. Gregorius L. 4. Epist. Ep. 30. ad Constantinam Augustam, his verbis: *Eo tempore quo passi sunt, ex Oriente Fideles venerunt, qui eorum Corpora sicut Civium suorum repeterent: Quæ ducta usque ad secundum Urbis milliarium in loco, qui dicitur Catacumbas, collocata sunt. Sed dum ea exinde levari omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio motu terruit, atque dispersit, ut talia denuò nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, & in locis quibus nunc sunt condita posuerunt*: hæc Gregorius. Voluerunt quidam, Corpus S. Petri primò in Catacum-

cumbas fuisse sepultum, deinde in Vaticanum, olim Regionem quam Romæ incolebant Judæi, ad eorum preces, quòd specialiter ipsorum fuisset Apostolus. Sed fuisse semper in Vaticano conditum, probabilius videtur. Nam cùm ex dictis Orientales præfata corpora rapere tentassent, non dicit S. Gregorius, quòd ea ex Catacumbis extraxerunt, sed quòd ad Catacumbas ducta sunt. Ex alio ergo loco ea extraxerunt, ex illo nempè, in quo priùs sepulta fuerant & ubi modo (maxime Petri corpus) requiescunt.

§. XV.

Petri Sepulchrum & Vincula.

I. VAlidum pro Christianæ Religionis Veritate argumentum est, quòd sicut Christi gloria post mortem nedum non extincta fuerit aut diminuta, sed per totum Orbem clarificata & aucta, ejusque sepulchrum factum sit gloriosum: ita servorum ejus & præcipuè Petri ac Pauli memoria post mortem, nedum non perierit, sed magis magisque in honorem sit habita, ita ut ad eorum Sepulchra non solùm commune hominum vulgus, sed & Reges ac Imperatores ipsi supplices ac venerabundi procumbant. Hoc argumentum fusè tractat Chrysostomus Homil. 26. in 2. ad Corinth. quem audire non pigeat. Hic enim Alexandro Magno Christum præferens ait: *Quòd quispiam vivens bella feliciter confecerit, victoriasque adeptus sit, Rex cùm esset exercitusque haberet, nec mirum nec novum atque insolens videri debet. At verò post crucem ac tumulum tot & tanta in tota Terra & Mari efficere; hoc ingenti stupore plenum est, ac divinam & arcanam potentiam promulgat. Ac quidem Alexander Imperium suum post ipsius è vita discessum laceratum ac penitùs deletum, non instauravit. Qui enim id potuisset homo mortuus? At Christus tunc ipsum maximè excitavit, postquam ex hac vita emigravit, Quid autem Christum commemoro? cùm ipse Discipulis quoque suis, ut post mortem clari essent, concesserit? Ubi enim, quæso, Alexandri tumulus est? Ostende mihi & dic, quo die mortuus sit. At Christi servorum tam splendida Sepulchra sunt, ut quæ Urbem præstantissimam ac Regiam occuparint, & dies noti atque clari, qui festi à toto Orbe celebrentur. Atque illius quidem tumulum sui quoque ignorant: hujus autem Barbari quoque exploratum habent. Ac Sepulcra eorum, qui Crucifixo servierunt, Regias aulas splendore vincunt, non magnitudine aut pulchritudine ædificiorum, nam hac parte illa*

illa superant, sed, quod multò majus est, coeuntium studio. Nam & ille qui purpuram gestat, ad sepulcra illa se confert, ut ea exosculetur: abjectoque fastu supplex stat, sanctosque obsecrat, ut ipsi apud Deum sibi præsidio sint: atque ut & tentoriorum opificem (Paulum) *& piscatorem* (Petrum) *& quidem fato functos, patronos habeat, precibus is contendit, qui diademate cinctus est. Ergone, dic quæso, horum Dominum mortuum dicere audebis, cujus servi etiam defuncti eorum, qui universo Orbi imperant, patroni sunt? Atque id non Romæ solùm fieri quisquam viderit, sed etiam Constantinopoli; nam & hîc quoque Constantinum Magnum Filius ita demum ingenti honore se affecturum existimavit, si eum in Piscatoris vestibulo conderet. Quodque Imperatoribus sunt in aulis Janitores, hoc in sepulcro Piscatoribus sunt Imperatores &c.* Hæc aliaque Chrysostomus, quæ repetit Homil. *Quòd Christus sit Deus*. Hom. 32. in Ep. ad Rom. Hom. in Psal.48. & alibi.

II. S. Augustinus quoque Epist. 42. modò 232. ad Madaurenses Idololatras scribens, inter cætera, quæ pro veritate Religionis Christianæ argumenta eis videnda proponit; *Videtis certè*, inquit, *simulacrorum templa partim sine reparatione collapsa, partim diruta, partim clausa, partim in usus alios commutata; ipsaque simulacra vel confringi, vel incendi, vel includi, vel destrui: atque ipsas hujus seculi potestates, quæ aliquando pro simulacris Populum Christianum persequebantur, victas & domitas, non à repugnantibus, sed à morientibus Christianis, & contra eadem simulacra, pro quibus Christianos occidebant, impetus suos legesque vertisse & Imperii nobilissimi eminentissimum culmen ad sepulcrum Piscatoris Petri submisso diademate supplicare.* Sic veteres supplicare ad sepulcrum Petri cultui Idolorum opponebant. Videant hîc Protestantes, qui ejusmodi actus cum idololatria confundunt.

III. Tanto ergo in honore à primis seculis memoria & sepulcrum Petri habebatur, ut Imperatores ipsi ad illud supplices accedere certarent. Quod admirans S. Augustinus serm. 381. aliàs 6. ex Viguerianis, ait: *Cum quanta itaque lætitia & quanta Dei gloria contuemur, ab animo Piscatoris contemni opes Imperatoris? fundi preces Imperatoris ad Memoriam Piscatoris? ut nec ille ex eo quod non habuit, jaceret; nec iste ex eo quod habuit, superbiret.* Hinc passione Petri & Pauli, quàm reportatis antea triumphis, toto Orbe clarior Roma effecta est: unde S. Leo serm.80. cap.1. ad eam conversus: *Isti sunt*, inquit, *qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, Populus electus, civitas sacerdotalis & Regia, per sacram Beati Petri Sedem caput Orbis effecta, latiùs præside-*

fideres Religione divinâ, quàm dominatione terrenâ. Quamvis enim multis aucta victoriis, jus Imperii tui terrâ marique protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subjecit.

IV. Propterea non solùm corpora SS. Petri & Pauli, verùm etiam modicæ eorum reliquiæ summo zelo, & custodia à Romanis asservatæ sunt; adeò ut cùm Justinus I. Imperator anno 510. sub quo Justinianus ejus Nepos Ecclesiam sub SS. Apostolorum nomine Constantinopoli erexerat, aliquam Corporum Apostolorum particulam consequi exoptasset, etsi zelo Fidei de Ecclesia Romana optimè meritus esset, utpotè qui S. Sedi omnes Orientis Ecclesias reunierat; à Legatis tamen Hormisdæ Papæ responsum accepit, hoc esse contra Ecclesiæ Romanæ & Occidentis morem. Idem rescripsit S.Gregorius Magnus L.4.Ep.30. Constantinæ Augustæ postulanti vel Caput, aut aliud de Corpore Beati Pauli Apostoli pro Ecclesia, quæ in ejus honorem in Palatio Constantinopoli erigebatur, asserens, se nec posse, nec audere propter terrifica signa, quæ quoties id tentatum fuit etiam à suis Prædecessoribus (quæ ibi narrat) apparuere. Et concludit: *Cognoscat autem tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodò in pixide brandeum* (velum) *mittitur, atque ad Sacratissima Sanctorum Corpora ponitur. Quod levatum, in Ecclesia, quæ est dedicanda, debitâ cum veneratione reconditur; & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum Corpora deferrentur.* Quod demonstrat exemplo S. Leonis prædecessoris sui tempore: nempè *dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus Pontifex boc ipsum brandeum allatis forficibus inciderit, & ex ipsa incisione sanguis effluxerit.*

V. Ipsismet S. Petri Vinculis tanquam suæ passionis instrumentis honor delatus fuit & adhuc defertur. Sub hoc titulo adest Ecclesia S.Petri in Vincula nuncupata. De eis celebratur festum Kalendis Augusti, quia his præfata Ecclesia fertur dedicata, ut in Martyrol. Romano. Græci etiam de Catenis S. Petri festum agunt ad diem decimam sextam Januarii, ut ex eorum Menologio. Quia vero S.Petrus bis vinculis adstrictus fuit, semèl quidem Hierosolymis ab Herode, ubi Act.12. v.6. dicitur *vinctus Catenis duabus*: Iterum autem sub Nerone Romano in Carcere, unde ductus fuit ad Crucem: Ideò festum, quod Græci celebrant, est de Catenis, quibus ab Herode vinctus fuit, ut ex Menologio apparet, quas à piis Fidelibus inventas & in honore ha-

habitas Imperatores Constantinopolim attulerunt, & apud Ædem S. Sophiæ reposuerunt. Catena verò, quæ Romæ asservabatur, saltim ab initio fuit illa, quâ sub Nerone vinctus fuit. De his S. Petri catenis Romanum Breviarium ex antiquis monumentis hæc habet, quòd *Theodosio Juniore Imperante cùm Eudocia ejus uxor Hierosolymam solvendi voti causâ venisset, ibi multis est affecta muneribus; præ cæteris insigne donum accepit ferreæ Catenæ auro gemmisque ornatæ, quam illam esse affirmabant, quâ Petrus Apostolus ab Herode vinctus fuerat. Eudocia Catenam piè venerata, eam postea Romam ad filiam Eudoxiam misit, quæ illam Pontifici Maximo detulit; isque vicissim illi monstravit alteram Catenam, quâ Nerone Imperatore idem Apostolus constrictus fuerat. Cùm igitur Pontifex Romanam Catenam cum ea, quæ Hierosolymis allata fuerat, contulisset, factum est ut illæ inter se sic connecterentur, ut non duæ sed una Catena ab eodem artifice confecta esse videretur*. Quo miraculo & aliis subsequentibus in honore Petri Vincula haberi cœperunt.

Propterea Eudoxia, ut hæc sacra Vincula honorificè servarentur, Ecclesiam Romæ dedicavit dictam S. Petri in Vincula seu Eudoxiæ in Esquiliis: quod ad annum 439. refert Sigebertus in Chronico & Baronius ad eundem annum n. 7.; Quare explodenda est fictitia quædam Epistola de Vinculis Petri sub nomine Hieronymi ad Eustochium, quâ dicitur, Festum Vinculorum institutum & Ecclesiam fabricatam fuisse à Constantino Magno sub Silvestro Papa; hoc enim nullum fundamentum habet. Tantæ autem æstimationis successivis temporibus hæc Vincula fuere, ut de limatura eorum pro ingenti munere ad Reges & Principes, aliosque primarios viros de Ecclesia benemeritos à Romanis Pontificibus mitti soleret, ut plures S. Gregorii Epistolæ faciunt fidem. Unde L.4. Ep.30. citata Constantinæ Augustæ promittit, se missurum de limatura earundem Catenarum: moris enim erat eam includere aureâ clavi ab altari Petri Apostoli acceptâ, hi verò ad quos parvula clavis mittebatur, eam religiosè accipientes ad collum suspendebant: de hoc Baron. in not. Martyrol. ad diem 1. Augusti. Cur autem erga Petri Vincula specialis fuerit & sit Religio, non vacat mysterio, dicit idem Baronius ibi, nimirùm ut cujus est in ligandis atque solvendis potestas præcipua in Ecclesia, ejus etiam Vincula à cunctis Fidelibus speciali in honore haberentur. His pro antiquitate Cultus Sacrarum Reliquiarum validum contra modernos Heterodoxos conficitur argumentum.

VI. Nec minus pro antiquitate Cultus Imaginum. Nam, ut re-

refert Eusebius L.7. Hist. cap.18., Qui ex Gentibus prædicatam sibi ab Apostolis Christi Fidem acceperant, eorum Imagines unâ cum Imagine Christi formare consueverant; asseritque usque ad suam ætatem extitisse Apostolorum Petri & Pauli, Christique ipsius, pictas Imagines servatas in tabulis. Ex his qualis fuerit Petri effigies, colligit Nicephorus L.2. cap.37. his verbis: *Petrus quidem haud crassâ corporis staturâ fuit, sed quæ aliquantò esset erectior, facie subpallidâ & albâ admodum: capilli & capitis & barbæ crispi & densi, sed non admodùm prominentes fuere: oculi quasi sanguinis respersi, nigri: supercilia propè evulsa, nasus autem longior ille quidem, non tamen in acumen desinens, sed pressus simusque magis*. Hæc Nicephorus.

Quo ætatis anno passus fuerit, incertum; septuagenio majorem fuisse, vulgò creditur; senem fuisse certum est ex verbis Christi Jo: 21. v.10.: *Cùm senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget*. Quot annis Romæ sederit, apparere potest ex dictis, sedisse annis viginti quatuor & mensibus quinque ac diebus quinque, si sequimur Baronium; si enim ponatur, quòd anno 44. Christi & secundo Claudii Romam venerit & quòd anno 68. Christi & 13. Neronis passus fuerit; annos viginti quatuor & aliquos menses habebimus & proindè 25. inchoatos; sed cùm in epocha adventus Petri Romam & Passionis ejus dissentiant etiam Catholici, nihil certi statuere possumus, nisi quòd supra 24. annos Romæ sederit, cùm in hoc plerique ex Catholicis consentiant.

VII. Fuerunt ex Ethnicis, referente S.Augustino L. 18. de Civit. Dei cap.53., qui Magiæ Petrum accusarent, pluriumque veneficiorum reum traducerent, usque ad occisionem infantis anniculi pro stabiliendo Jesu Christi Cultu spatio 365. annorum, quo completo numero Christi Religio sumeret finem. Hos tanquam stultos deridet Augustinus, ostendens, ineptum esse credere: *Quòd Christi Discipulus Petrus ab eo magicas artes non didicerit, sed ipso innocente tamen ejus maleficus fuerit, nomenque illius quàm suum coli maluerit magicis artibus suis, magnis laboribus & periculis suis, postremò etiam effusione sanguinis sui*. Et post aliqua concludit, se multa colligere posse, si nondum annus transiflet, quem divinatio ficta promisit: sed cùm tempore quo scribebat, ante aliquos annos anni trecenti sexaginta quinque completi sint, & Christi Cultus per ejus in carne præsentiam & per Apostolos prædicatus adhuc duret & augeatur: *Quid aliud*, inquit, *quærimus, unde ista falsitas refellatur?*

Ebionitæ etiam multarum superstitionum usum se ab eodem

Apostolo didicisse mentiebantur (Epiphanio referente hæres. 30. cap. 15.) veluti lotiones quotidianas ante prandium, abstinentiam ab animantibus, quibus ut auctoritatem conciliarent, libellum inscriptum *Itineraria S. Petri* sub S. Clementis nomine supposuerant. Alia sub Petri nomine supposita Opera rejeci supra tom. 1. Tract. de Auct. Lib. Relig. Christ. cap. 5. §. 1.. Et hæc de S. Petro hactenus dicta sufficiant.

CAPUT II.

De Sancto Paulo.

§. I.

Pauli Nativitas & Educatio.

I. SUam originem describit Paulus Rom. 11. v. 1. his verbis: *Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de Tribu Beniamin.* Erat ergo Judæus genere, descendens ab Abraham per Isaac & Jacob de Tribu Beniamin. Quod repetit ad Philipp. 3. v. 5. addens, se esse Sectâ Pharisæum: *Ex genere Israel, de Tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm Legem Pharisæus.* S. Augustinus adverteus serm. 333. (alias homil. 14. inter 50.) c. 3. illum fateri se de tribu Beniamin: *Ipse enim*, inquit, *erat lupus rapax de Tribu Beniamin, Ipse dicit.* Genesis enim 49. v. 27. de Beniamin dixit Jacob *Beniamin lupus rapax.* Si auctori cujusdam homiliæ tributæ Chrysostomo tom. 6. hom. 30. fides sit, 68. annos natus obiit, quare duobus post Christum annis eum natum fuisse oportet. Circumcisum fuisse octavo die post ortum, fatetur ipse ad Philipp. 3. v. 5.; & tunc *Sauli* nomen impositum illi fuit, seu *Saulis*. *Neque verò* (ait S. Hieron. in Epist. ad Philemonem) *putandum est, ut à simplicioribus Latinis legitur*, Saulum *ante dictum esse & non* Saul, *quia & de Tribu Beniamin erat, in qua hoc nomen familiarius habebatur. Siquidem & ille Saul Rex Judææ persecutor David de Tribu Beniamin fuit. Quòd autem* Saulus *à nobis dicitur, non mirum est, Hebræa nomina ad similitudinem Græcorum & Latinorum nominum declinari, ut sicut pro Joseph* Josephus, *pro Jacob* Jacobus: *ita pro Saul quoque* Saulus *in nostra lingua ac sermone dicatur.* Hæc Hieronymus. Pater ipsius sectâ Pharisæus fuisse creditur Act. 23. v. 6. Sororem etiam & Nepotem Paulum habuisse, colligitur indidem v. 16.,

v. 16., ubi dicitur: *Cùm audiſſet filius ſororis Pauli inſidias &c.*

Dubium eſt, an Andronicus & Junias, de quibus Rom. 16. v. 7. dicit: *Salutate Andronicum & Juniam cognatos & concaptivos meos, qui ſunt nobiles in Apoſtolis, qui & ante me fuerunt in Chriſto* (quia fortè ex 70. Diſcipulis:) inſuper Herodion, de quo ibidem v. 11. *Salutate Herodionem cognatum meum*: & Lucius (qui putatur Lucas) & Jaſon & Soſipater, de quibus ibi v. 21. *Salutat vos Timotheus adjutor meus & Lucius & Jaſon & Soſipater cognati mei*, fuerint cognati Pauli cognatione carnali, an verò cognati tantùm ſpiritualiter in Chriſto, quia baptizati ſive ab ipſo ſive ab alio. Baronius ad ann. 58. num. 57. cenſet, præfatos non dici cognatos cognatione ſanguinis ſtrictè tali, ſed nec quia baptizatos præcisè, ſed quia erant ejuſdem Gentis, nempè Judæi, quos omnes cognatos ſuos appellat Rom. 9. v. 3.: *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem, qui ſunt Iſraëlitæ*, & hunc ſenſum amplecti videtur S. Th. in cap. 16. ad Rom. Lect. 1.; Difficultas tamen eſt, quòd Paulus vocat cognatos ſuos aliquos etiam, qui non erant genere Judæi, ſed ex Gentibus, ut Lucium ſeu Lucam qui erat Antiochenus, Jaſonem qui Theſſalonicenſis erat, & Soſipatrum ex Beræa in Macedonia. Et ideò alii putant, omnes præfatos dici cognatos aliquâ cognatione ſanguinis; nec enim eſt novum, aliquam familiam in partibus etiam diſſitis habere cognatione junctos: unde ſicut Timotheus, quamvis ex Licaonia & Gentilis, matrem habuit Judæam, ſic Judæus cognatos inter Gentiles habere poterat.

II. De loco Nativitatis S. Pauli controvertitur. S. Hieronymus de Script. Eccleſ. *in Paulo* facit eum natum *in Giſcalis*, deinde Tharſum tranſlatum his verbis: *Paulus Apoſtolus, qui ante Saulus... de Tribu Beniamin & Oppido Judææ Giſcalis fuit, quo à Romanis capto, cum parentibus ſuis Tharſum Ciliciæ commigravit*. In Epiſtolam tamen ad Philemonem hoc idem dicit, ſed ut ex aliorum ſententia potiùs, quàm ſua: *& ſic poſſe ſtare illud, quod de ſe ipſe teſtatur*: (2. Cor. 11. v. 22.) „ Hebræi ſunt & ego: Iſraelitæ ſunt & ego: ſemen Abrahæ ſunt & ego „ *& rursùm alibi* (Philipp. 3. v. 5.) „ Hebræus ex Hebræis „ *& cætera, quæ illum Judæum magis indicant, quàm Tharſenſem*. Nihilominùs Act. 9. v. 11. vocatur Saulus nomine Tharſenſis: & cap. 21. v. 39. ipſe Paulus de ſe dicit: *Ego homo ſum quidem Judæus à Tharſo Ciliciæ*: quod repetit cap. 22. v. 3.: *Ego ſum vir Judæus natus in Tharſo Ciliciæ*. Quis ergo de hoc ampliùs dubitare poterit, cùm Scriptura nobis exhibeat teſtimonium ipſius Pauli aſſerentis, ſe eſſe ve-

verum Judæum & natum in Civitate Tharsis Ciliciæ? Certè, ut notat Baronius ad ann. Christi 36. num.8., Epiphanius hæres.30. disputans contra Ebionæos, qui Paulum dicebant fuisse origine Græcum, factum verò postea proselytum, eundem natum Tharsi sed ex Judæis affirmat, de Gischalis verò nec verbum facit. Multæ ergo Judæorum familiæ in Cilicia & aliis Græciæ partibus sedem fixerant; quod evincitur ex Act. Apost. cap.2., ubi multi ex illis Regionibus Judæi ad diem Pentecostes Hierosolymis convenisse leguntur, & cap.6. inter eos, qui adversùs Stephanum surrexerunt, recensentur aliqui ex Cilicia. Sic ergo majores Pauli quamvis Gente Judæi fixerunt (aut si velis è Gischalis transtulerunt) sedem Tharsi Ciliciæ Metropoli, & ex diuturno incolatu ejus Urbis Civilitate posteri illius familiæ donati fuerunt, & consequenter Cives etiam Romani nascebantur. Quare Act.22. v.28. dicente Tribuno: *Ego multâ summâ civilitatem hanc* (Romanam) *consecutus sum*, Paulus respondit: *Ego autem & natus sum*.

Causa autem, cur nati Tharsis illicò Cives Romani essent, ex Dio L. 47. fuit hæc. Tharsenses erga Cæsaris domum adeò benè affecti fuere, ut suæ Urbi nomen *Juliopolis* in gratiam Julii Cæsaris donarint. Cùmque propter hoc à Cassio, ex interfectoribus Julii Cæsaris uno, extrema mala perpessi essent, dum Asiæ præfectus esset, adeò ut omnibus bonis tam in communi quàm in particulari eos expoliaverit, Augustus tot jacturas eis compensare æquum fore ratus, honoribus omnibus, privilegiis, terris, aliisque bonis eos cumulavit; inter quæ hoc singulare fuit, ut Tharsis Colonia libera esset, & qui Cives illius Urbis nascerentur, Romani etiam Cives à nativitate essent. Ecce quomodo Paulus Tharsi natus, Judæus genere esse potuit, & simul Civis Romanus.

III. Tharsenses, referente Strabone L.14., Litteris ac Scientiis valdè dediti proprios lares deserere, ut in aliis Regionibus studiis vacarent etiam adolescentuli, consueverant; & Hierosolymam plures ex illis petebant, ubi fama est, Judæos ex Cilicia particularem Synagogam habuisse. Hinc factum est, ut Sauli parentes eum Jerusalem miserint, ubi suam primævam egit ætatem: undè Act. 26. v.4. dicit ipse: *Et quidem vitam meam à juventute, quæ ab initio fuit in Gente mea in Hierosolymis, noverunt omnes Judæi*: Et hoc divino consilio factum fuit, ut præmaturè è patria voluptatibus ac deliciis nimiùm deditâ extraheretur.

Hierosolymis ad pedes Gamalielis se in Lege eruditum fuis-

fuisse, testatur ipse Act. 22. v.3. dicens: *Ego sum vir Judæus, natus in Tharso Ciliciæ, nutritus autem in ista Civitate secùs pedes Gamaliel, eruditus juxtà veritatem paternæ Legis, æmulator Legis, sicut & vos omnes estis bodie*. Sectæ autem Pharisæorum, quæ rigidiorem Legis observantiam superbè affectabat, adhæsit, ut ipse fatetur Philip.3. v.5.: cujus sectæ fuisse etiam majores suos, indicat ipse Act.23. v.6. publicè clamans: *Ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum*. Porrò cum hujus sectæ viri fuerint hostes Christi infensiores, ut in Evangeliis liquet; non mirandum, si Saul adeò ferus persecutor Discipulorum Christi fuerit. Continuò unâ cum Abiba Gamalielis filio Templum adibat (August. in Psal.147.) Opera legis exactè implebat, sed nondum id, quod postea ipse docuit Rom. 3. v.20: *Quia ex operibus Legis non justificabitur omnis caro coram illo*, & quòd *justitia Dei est per Fidem Jesu Christi*.

IV. Præter impensum Legis Mosaicæ studium, cui ex dictis se totum dederat, aliquam etiam manualem artem Saulum apprehendisse, conveniunt omnes. Baronius ad ann. 52. num.17. censet moris fuisse apud Hebræos, ex quadam Lege eis præscripta, ut quicumque res sacras vellent profiteri, etsi nobilitate clari & divitiis affluentes, manuale aliquod opificium addiscerent; & hoc ne otio procliviores fierent ad peccandum. Unde inter nobiles Rabbinos legitur Rabbi Jochanna Sutoriam, Rabbi Judam pistoriam artem exercuisse. Ex hac igitur consuetudine seu Lege factum existimatur, ut Saulus Mosaicæ Legis studiosissimus aliquod manuum opificium didicerit, sive ob rationem allatam, sive ob aliam causam: & hoc posteà cùm Evangelium prædicaret, ubicumque consisteret, ad victum quotidianum exercuerit. Et ideò Act.20. v.24. ajebat: *Ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*. Idem repetit 1. Cor.4. v. 12. 1., ad Thessal. 2. v. 9., & 2. ad Thass. 3. v.8.

Quodnam autem fuerit hoc opicifium, Lucas Act.18. v.3. apertè tradit dicens, Paulum, cùm venisset Corinthum, ea ex causa apud Aquilam & Priscillam divertere voluisse, quia erant ejusdem artis ac ipse, nimirùm scenofactoriæ: *Et quia ejusdem erant artis, manebat apud eos & operavatur* (*erant autem scenofactoriæ artis*:) Porrò ars scenofactoria dicebatur illa, quæ ex pellibus consueret & faceret tentoria, quibus milites in castris utebantur: de quibus Tacitus L.13. *Retentus est*, inquit, *omnis exercitur sub pellibus*. Assutis etiam pellibus nautæ uti solebant ad naves operiendas, ut Cæsar in Comment. de Bello Civili L.3.

De

De ejusmodi Pauli opificio Origenes Homil. 17. in Num. *Paulus*, inquit, *erat faber tabernaculorum*, & paulò infra: *Sicut illi* (Apostoli cæteri) *ex piscatione piscium Piscatores hominum facti sunt: ita & iste à faciendis tabernaculis terrenis ad cœlestia construenda tabernacula translatus est*. Et Chrysostomus Homil. 2. in Ep. ad Rom. ait: *At tabernaculorum artifex hic, non Siciliam modò, atque Italiam, verùm universum terrarum Orbem, Verbum Dei prædicans, peragravit; cùm interim artem non intermitteret, sed vel tum quoque pelles consueret, & Officinæ suæ præesset: neque enim ea res Patricios aut Magnates offendebat; idque iure optimo; non enim artes ac studia, sed conficta dogmata, despicabiles reddere solent præceptores*. Ita eleganter Chrysostomus: & hoc in Paulo ex Luca supra relato confirmatur.

V. Non solus autem Paulus, sed & cæteri Apostoli ac viri Apostolici, ministerio Verbi, cùm locus & tempus id permisisset, opus aliquod manuum conjungere solebant. Cujus testis inter alios est Epiphanius hær. 80. dicens: *Ex ipsis Dei Sacerdotibus quidam unà cum prædicatione Verbi, imitantes Sanctum ipsorum post Deum in Christo Patrem, Paulum, inquam, Sanctum Apostolum, etiam ipsi pro viribus, tametsi non omnes, attamen plures propriis manibus operantur, qualemcumque tandem juxta proportionem Dignitati & Ecclesiasticæ Curæ assiduitati convenientem repererint artem, quo cum Verbo & prædicatione conscientia ipsa gaudeat, dum etiam per manus proprias fructum affert, & sibi ipsi suppeditat, fratribusque ac indigentibus impertit ministerii fructum, ex primitiis, inquam, & oblationibus & ex manuum labore partis, propter excellentem affectionem erga Deum proximis ultrò impartiens. Quamquam ipsi ad hoc non cogantur, neque deputati sint, sed justitiæ labores & operationem Ecclesiasticam habeant, & secundùm justitiam alantur; verùm propter excellentem voluntatis promtitudinem ipsi hoc faciant.*

Hoc ipsum & veteres Monachi Pauli & aliorum exemplo factitasse, idem Epiphanius paulò superiùs dixerat, his verbis: *Laborant propriis manibus, ad impartiendum etiam indigentibus; quemadmodum etiam in singulis Monasteriis, tum in Ægyptiorum Regione, tum in aliis omnibus, sic laborant ad justitiam, velut apes, in manibus quidem habentes ceram opificii, in ore verò guttas mellis, cùm propriâ hymniferâ voce universorum Dominum juxtà proprium sensum laudant*. Pulchra quidem similitudo. De hoc S. August. Librum de Opere Monach. scripsit, in quo cap. 14. 15. & 16. acriter reprehendit quosdam vagos ac desides Monachos, opera manuum prætermittentes. Ibi tamen in sententia videtur esse,

nec

nec Paulum semper & ubique operatum fuisse manibus suum opificium, sed cùm à prædicatione Verbi daretur otium: cætero autem tempore, maximè id exposcente necessitate, ab offerentibus accipiebat: quamquam saltèm à Corinthiis nunquam pro suo victu quidquam se accepisse, protestetur 1. Cor.9. ; ubi postquam ostendit, se id potuisse facere, quia nemo suis stipendiis militat, & nemo pascit gregem & de lacte gregis non manducat: & qui Evangelium annuntiant, de Evangelio ordinante Domino vivere debent; subdit tamen: *Ego autem nullo horum usus sum*. Sed hæc præsentis argumenti non sunt; ea ergo tetigisse sufficiat.

VI. Paulum, excepto studio Legis Mosaicæ & Traditionum Hebraicarum, cui se totum dedit, nullius alterius scientiæ notitiâ imbutum fuisse, imò nec aliam linguam calluisse quàm Hebræam, censet Chrysostomus Homil.4. in 2. ad Timoth. Cùm tamen, ut dixi, natus fuerit Tharsi Urbe Græca, difficile creditu est, eum Linguam saltèm Græcam non calluisse. S.Hieronymus in cap.4. ad Galatas ex quibusdam dictis Græcorum Poetarum, quæ in ejus Epistolis allegata reperit, infert, eum litteris humanis studuisse, ac in eis saltèm mediocriter versatum fuisse. Tantæ autem eloquentiæ fuit, ut teste ipso Chrysostomo in præfat. ad Epist. ad Rom., Gentes existimarent, eum esse Mercurium: unde Act. 14. v. 11. dicitur, quòd Iconii Cives *Vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipse erat Dux Verbi*.

§. II.

Sauli Persecutio & Conversio.

I. TAnto pro Mosaica Lege & Judaicis Traditionibus zelo ardebat Saulus, ut multos sibi coævos superaret. Hoc fatetur ipse Galat.1. v.14. his verbis: *Et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum*. Zelus iste non Dei, sed contra Deum versus in furorem, fecit Saulum blasphemum in Christum, & sui Sancti Nominis acerrimum persecutorem. Probabile est, fuisse unum ex illis, qui Act.6. v.9. insurrexerunt contra Stephanum disputantes eum eo, quorum aliqui erant ex Cilicia Tharsis Provinciâ. Ejus tamen neci consensisse extra dubium est Act. 7. v. 59.: *Saulus autem erat consentiens neci ejus*. Imò quamvis propriis manibus in eum non jaceret lapides, dum omnium

omnium lapidantium vestimenta servabat v. 57. *deposuerant vestimenta sua secùs pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus*; ipse in omnium lapidantium manibus erat & omnium manibus eum lapidabat: & Chrysostomus Hom. 18. in Acta: *Vide*, inquit, *quàm accuratè, quæ Paulum spectant, recenseat, ut ostendat tibi opus Dei in ipso postea peractum. Interim vero ille non modò non credit, sed etiam mille homicidarum manibus ipsum impetit.* Quare Stephanum pro se lapidantibus Deum orantem v. 19. *Domine ne statuas illis hoc peccatum*, ad Saulum specialiter respexisse; & hunc precum Stephani primum fructum fuisse, censet S. August. serm. 382. c. 4.: *Si Sanctus Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet*: & Serm. 94. de diversis (modò 316.:) *Putas*, inquit, *verba ista audivit Saulus? Audivit subsannans, sed irrisit: & tamen ad Orationem Stephani pertinebat. Adhuc grassabatur & jam pro illo Stephanus exaudiebatur.*

II. Eodem anno, quo lapidibus necatus est Stephanus, Christi nempè 34., imo eâdem die, ut notat Baronius ad eundem annum num. 324., *Facta est*, inquit Lucas Act. 8. v. 1., *in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per Regiones Judææ & Samariæ, præter Apostolos.* Hanc autem persecutionem maximè promovente Saulo excitatam fuisse, apparet ex v. 3., ubi dicitur: *Saulus autem devastabat Ecclesiam, per domos intrans & trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam.* Super quæ Chrysostomus: *Magnus*, inquit, *furor, & quòd solus esset & quòd in domos intraret; ita animam suam pro Lege dabat*: trahens, *inquit*, viros & mulieres: *Vide licentiam, contumeliam & insaniam. Omnes, qui in manus suas incidebant, mille afficiebat malis, utpote ab hac nece audacior factus.*

Hic cœpit impleri quod Christus prædixerat Matth. 23. v. 34. quòd missurus erat Prophetas & Sapientes ad Scribas & Pharisæos, ab his partim occidendos, partim crucifigendos, partim flagellandos in Synagogis suis: & hoc faciendo putarent obsequium se præstare Deo juxta illud Jo: 16. v. 2.: *Absque Synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Hâc furente persecutione, imò eodem die quo Stephanus, scribit Dorothæus in Synopsi, occisum quoque fuisse Nicanorem unum ex septem Diaconis unâ cum ducentis aliis Christi Fidelibus. Sed quidquid sit de Nicanore, quem Menologium facit solùm Vespasiani tempore fuisse in Cypro occisum: certum est, complures alios post necem Stephani à Judæis Saulo Duce fuisse occisos: hoc enim ipse coram Festo Præside & Agrippa Rege, cùm suam causam ageret, testatus est Act. 26. v. 10.

v.10. his verbis: *Multos Sanctorum ego in carceribus inclusi à Principibus Sacerdotum potestate accepta, & cùm occiderentur detuli sententiam; & per omnes Synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare: & ampliùs insaniens in eos, persequebar usque in exteras Civitates*. En ex publica Pauli confessione manifestata insania, quâ, dum adhuc esset Saulus & æmulator Legis, in Christianos furebat.

Ad hæc tempora creditur etiam respexisse Paulus, dum ad Fideles ex Hebræis scribens memorat eis mala, quæ pro Christo passi fuerant, dicens Hebr. 10. v. 32. 33. 34.: *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum: & in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socii taliter conversantium effecti. Nam & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam*. Ita intelligit S. Thomas Lect. 4. in cap. 10. ad Hebræos. Unde sciens Paulus Fideles Hierosolymitanos bonis suis spoliatos, culpâ suâ ad paupertatem fuisse redactos, ut ea ipsis compensaret, adeò sollicitus erat de collectis ad eos transmittendis.

III. Tunc etiam in Nicodemum exarsisse persecutionem, ex Gamalielis relatione memoriæ tradidit Lucianus Epist. de Invent. S. Stephani, his verbis: *Cognoscentes Judæi, illum esse Christianum, amoverunt eum è principatu suo & anathematizaverunt eum, & de Civitate expulerunt. Tunc ego Gamaliel, quasi persecutionem pro Christo passum, sustuli eum in meum agrum, & alui & vestivi usque ad finem vitæ ejus, & defunctum honorificè sepelivi juxta Dominum Stephanum*.

IV. Interea magis magisque falso suo zelo agebatur Saulus, nec Stephani & aliorum nece ac persecutione contentus, velut Lupus rapax universum Gregem Christi vorare, aut saltem dispergere, totâ animi sui contentione parabat. Accessit ergo ad Principem Sacerdotum (Caipham) ab eo petens Epistolas in Damascum, quibus Christianos omnes ibi degentes comprehendere posset, & facilè obtinuit. Totum narrat S. Lucas Act. 9. v. 1. 2.: *Saulus autem, adhuc spirans minarum & cædis in Discipulos Domini, accessit ad Principem Sacerdotum & petiit ab eo Epistolas in Damascum ad Synagogas; ut si quos invenisset hujus viæ viros, vinctos perduceret in Jerusalem*. At cur à Summo Sacerdote Epistolas, non à Præfecto petiit? Quia agebatur de Lege, cui qui non obediebat, Sacerdotis non seculi Principis judicio erat puniendus (Deuter. 17. v. 11.) Ita Chrysostomus homil. 19. in Acta:

Vide, inquit, *studium ardoremque ac quàm secundùm Legem agat. Non adit Præfectum, sed Principem Sacerdotum; petit ab ipso Epistolas, ut si quos inveniret hujus viæ* (*Viam vocat credentes, qui sic ab omnibus tunc vocabantur, fortè quia viam ad Cælum tendentem sectabantur*). *Cur potestatem non accipit illos ibidem puniendi, sed Hierosolymam ducit? Ut cum majori potestate illic supplicium infligeretur.* Quo exemplo docemur, violatæ Divinæ Legis reos judicare ac punire, non secularis, sed Ecclesiasticæ potestatis esse, & maximè summi in Ecclesia Sacerdotis; & ad ejus tribunal præsertim graviores Fidei causas, quin etiam reos ipsos esse adducendos. Cur autem Damascum potiùs adierit, idem Chrysostomus dicit: *Quia Magna Civitas erat & Regia: timebat, ne illa quoque præoccuparetur.*

V. Ista erant consilia hominum, sed contrarium erat consilium Dei. Ibat Saulus animo prosternendi Christum in suis Fidelibus, nesciens, quòd à Christo esset prosternendus, & in alium erigendus. Ibat Lupus, sed potenti Dei gratiâ in ovem convertendus, imo in ovium Custodem & Pastorem. Ita fuit. Ibat comitantibus multis, quia enim contra multos ibat, multos accepit: *Et cum iter faceret, contigit, ut appropinquaret Damasco: & subitò circumfulsit eum lux de Cælo, & cadens in terram audivit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit: Quis es Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris: durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens ac stupens dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge & ingredere Civitatem, & ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit neque bibit.* Ita Lucas Act. 9. à v. 3. describit hunc Divinæ Gratiæ de Saulo triumphum, & Christianæ veritatis mirabile argumentum. Ecce Gratiæ Christi in Paulo operantis primordia: facit, ut revereatur tanquam Dominum, & statim servum se fateatur esse illius, quem persequebatur & cujus nomen antea exhorrebat. Oculos ejus cæcitate mulctavit, non quidem ne imposterum nihil videret, sed ne ut ante videret, & ut novâ luce perfusis oculis etiam corporis, ea, quæ ante non videbat, videret. Id autem mirabilius est, quòd Deus ut Saulum ad se traheret, non expectavit ut fervida ejus passio tepesceret, sed dum majori furoris æstu exardesceret, eum depressit, ut in majorem suæ potentiæ admirationem nos

nos traheret; ficut Medici ars magis apparet, qui febrem in fui majori violentia quiefcere & evanefcere facit. Totum hoc Paulus ipfe Regi Agrippæ per extenfum enarrat Act.26.: ex quo S. Gregorius L. 29. Moral. cap. 11. concludit: *Quid ergo nobis non fperandum eft, aut quis nobis præferendus, dum videmus hunc Ecclefiæ perfecutorem, hunc S.Stephani homicidam, etiam ipfo Stephano Apoftolatus gratiâ majorem fieri?*

VI. An Saulus in hoc actu folùm audierit vocem Chrifti ad eum loquentis, an etiam eum viderit, diffenfio eft etiam inter Patres. Paulum non vidiffe Chriftum nifi per effectus, fentit Chryfoftomus Homil. 20. in Acta. S. Afterius Orat. 8. putat, Saulum non vidiffe Chriftum fub forma humana, fed fub figura lucis, quæ circumfulfit eum de Cœlo, ad eum modum quo Moyfes fub figura rubi ardentis Deum vidit. Attamen S. Hilarius L.3. de Trinit. dicit, eum revera vidiffe Chrifti humanitatem, quæ ipfi apparuit; cui confentire videtur S. Auguftinus ferm.279.: & fanè fi modum quo loquitur fcriptura attendamus Act.9. v.27., ubi Barnabas narravit Apoftolis, *quomodo* Saulus *in via vidiffet Dominum*, & cap.26. v.16. & alibi, omne fundamentum aliter fentiendi tolli videtur; fed præcipuè 1. Cor.15., ubi Paulus, poftquam narravit, Chriftum poft refurrectionem vifum fuiffe Cephæ & undecim, deindè quingentis fratribus fimul, poftea Jacobo, fubdit v.8.: *Noviffimè autem omnium tanquam abortivo vifus eft & mihi*: quod dixerat etiam cap.9. v.1.. Si ergo Chriftus apparuit, & vifus eft Paulo fub ea forma, quâ apparuit & vifus eft Petro, aliis undecim, 500. fratribus, & Jacobo, cùm his apparuerit & vifus fit in vera forma humana, ad probandam fuam refurrectionem, dicendum fine hæfitatione eft, eodem modo apparuiffe ac vifum fuiffe Paulo; quamvis nimio fulgore, qui ipfum comitabatur, ejus oculi manferint pofteà obnubilati.

VII. Surrexit ergo Saulus de terra, fed habens oculos apertos nihil videbat; permittente Deo, ut velut fquamæ fuper ejus oculos infidentes vifum ei impedirent. Sic, ut ait, Auguftinus ferm.279. & ferm.333. ei excæcavit oculos corporis, ut aperiret ac illuftraret oculos animæ: ac ne ampliùs ad videnda vana & tranfitoria oculos haberet, fed ad videndum unicè Jefum, & in ejus folius contemplatione defixus, non in alio quàm in ipfo pulchritudinem ac dulcedinem experiretur, ac cætera omnia ipfi effent ac fi nunquam fuiffent. Indè ad manus illum ducentes, ii nimirum, qui ejus comites fuerant, nihil ad ea quæ ftupefacti fuper ipfum audierant commoti, fed adhuc increduli, intro-

duxerunt Damascum: ideſt, ut ait Chryſoſt. Homil. 19. in Acta, *Spolia Diaboli, vaſa ejus, quaſi captâ quadâm Urbe vel Metropoli, introducunt. Et quod mirum eſt, ipſi inimici & hoſtes introducunt illum omnibus videntibus.*

§. III.

Sauli Baptizatio.

I. INtroductus Damaſcum Saulus illuſtre Chriſti trophæum, & in domum Judæ cujuſdam receptus, ibi manſit tribus diebus nec videns nec manducans neque bibens. *Cur autem non manducavit, neque bibit?* (inquit Chryſoſtomus Homil. 19. citatâ) *ſua geſta damnabat, confitebatur, orabat, rogabat Deum.* Si enim poſt multos annos, poſt tot tantoſque pro Chriſto & Eccleſia exantlatos labores ac ſibi comparata merita, ſine gemitu lacrymis & humiliatione recordari non poterat, ſe aliquando Chriſti & Eccleſiæ perſecutorem fuiſſe, notat ſe *Abortivum, minimum Apoſtolorum, indignum vocari Apoſtolum*, quia perſecutus fuit Eccleſiam Dei 1. Cor. 15. v. 9., quod in omnibus ferè ſuis Epiſtolis deflet; quanto cordis ſui ploratu ac ſui criminis deteſtatione, credere par erit, triduum illud tranſegiſſe, quo menti ejus obvolvebatur adhuc recens, quid ipſe egiſſet contra Chriſtum, & quid Chriſtus eodem tempore tantâ dignatione egiſſet & adhuc ageret in ipſo & pro ipſo per gratiam ſuam, & aliis ipſum comitantibus, qui eadem ſigna viderunt, in ſua incredulitate relictis, ipſi ſoli Divina miſeratio affulſiſſet?

II. Dum hæc & alia Saulus in ſuo cubiculo meditaretur, Deus, qui hoc grande opus ſolus incœperat, ipſo etiam per gratiam ſuam cooperante, perficere non deſtitit. Sic ergo proſequitur Lucas Act. 9. à v. 10.: *Erat autem quidam Diſcipulus Damaſci nomine Ananias: & dixit ad illum in viſu Dominus: Anania. At ille ait: Ecce ego, Domine; & Dominus ad eum: Surge & vade in vicum qui vocatur Rectus, & quære in domo Judæ Saulum nomine Tharſenſem, ecce enim orat.... Reſpondit autem Ananias: Domine, audivi à multis de viro hoc, quanta mala fecerit Sanctis tuis in Jeruſalem: & hic habet poteſtatem à Principibus Sacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & filiis Iſrael. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abiit Ananias & introivit in Domum, & imponens ei manus dixit: Saule frater,* Do-

Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, quâ veniebas, ut videas & implearis Spiritu Sancto: & confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquam squamæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est: & cùm accepisset cibum, confortatus est. Hactenus S. Lucas: Quibus confirmat quàm terrificum apud Discipulos fuerit antea Sauli nomen, & quanta ejus in Christianos feritas, cùm nec imperante Domino Ananias ad eum auderet accedere; & quanta proinde fuerit Divinæ Gratiæ vis, quæ illicò de Vase perditionis fecit illum Vas electionis.

III. Istum Ananiam, ferunt, excitatâ Hierosolymis persecutione se contulisse Damascum, ibique Ecclesiam collegisse; imò S. Augustinus L. 2. qu. Evang. cap.40. censet, eum Sacerdotio Ecclesiæ fuisse initiatum. Quare non absque omni fundamento Recentiores Græci dicunt, eum fuisse unum ex 72. Discipulis & Damasci Episcopum, & addunt eum tandem martyrio coronatum fuisse Bethagaure Etheropolis lapidibus obrutum sub Luciano Præside, ejusque Festum celebrant primâ die Octobris. Sed hæc incerta sunt. Tum quia eo tempore nullus Lucianus in iis Regionibus Præfecturam nomine Romanorum exercuisse legitur. Tum ex specie martyrii. Nam lapidibus necare in usu quidem erat apud Hebræos, non tamen apud Romanos. Leo Allatius de Simeonibus p. 127. hujus Historiæ facit auctorem Metaphrastem. Latini autem post Usuardum Ananiæ festum cum festo Conversionis S.Pauli 25. Januarii conjungunt. Fertur, Ananiæ domum in Ecclesiam sub ejus nomine fuisse conversam, & quamvis à Turcis in usum Mesquitæ translatam, adhuc tamen apud ipsos in veneratione manere. Alii tamen putant, hanc Ecclesiam esse domum Judæ, in quam S.Paulus primò se recepit, & in hac corpus S. Ananiæ conditum fuisse; cujus caput Pragâ Romam translatum asseritur, quo tamen documento, ignoratur. Damasci etiam hodiè ostenditur fons, in quo fama est, fuisse ab Anania S.Paulum baptizatum.

IV. Quæri hìc potest: cur ad dandum Saulo Spiritum Sanctum & eum de Evangelio instruendum non missi fuerint à Deo Apostoli, sicut ad Samaritas conversos leguntur missi Petrus & Joannes; sed solus Ananias, qui Apostolus non erat; & qui Saulum baptizavit quidem, eique manuum impositione dedit Spiritum Sanctum, sed de Evangelio & Fide nihil locutus est; Cùm tamen plus operis impendendum videretur ad edocendum Saulum, qui tantâ Legis æmulatione usque ad illud tempus Christum ejusque Fidem detestatus fuerat ac persecutus?

Hoc quæsitum proponit Chrysostomus Homil.20. in Acta sic:

sic: *Cur neminem ex Coryphæis Apostolis vocavit, vel misit ad Pauli institutionem?* Et ita resolvit. *Quia non oportebat illum per homines, sed per ipsum Christum induci. Nam hic* (Ananias) *nihil ipsum docuit, sed tantùm baptizavit: statim autem ubi baptizatus est, multam ex zelo & studio multo sibi attraxit spiritus gratiam.* Voluit Christus, ut homines scirent, Sauli Conversionem & illustrationem esse unicè opus suum, nihilque habere humanum: ideoque etsi voluerit, ut adesset minister, qui eum baptizaret, eique manus imponeret, noluit tamen, hunc esse ex duodecim. *Sic* (post multa addit Chrysostomus) *nihil humanum hic, nec per hominem factum est; sed Deus aderat, qui hæc ageret.* Jure ergo poterat Paulus gloriari in Domino, & scribere Galatis cap. 1. à v. 11.: *Notum vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.*

V. Quo Christi anno opus hoc admirandum Conversionis Sauli contigerit, non una est sententia inter Recentiores: communiùs tamen creditur Conversionem Sauli anno 34., seu uno anno post Passionem Christi, vel ad summum anno 35., duobus nempè post Christi Passionem annis contigisse. Huic secundæ opinioni adhæret Baronius ad ann. 36. n. 1. 2. & 3., putans, à Passione Domini annum unum menses octo dies 25. usque ad Conversionem Sauli intercurrisse: & movetur, quia cùm anno primo post Christi mortem vigesimâ sextâ Decembris secuta sit S. Stephani occisio, & vigesimâ quintâ Januarii sequentis Pauli conversio, incredibile videtur, quòd ea quæ à nece Stephani ad conversionem Pauli in Actis Apost. facta narrantur, nempè prædicatio Philippi in Samaria, Petri & Joannis illuc accessus ac reditus Hierosolymam, Candacis Eunuchi baptismus, persecutio excitata in Discipulos, Sauli studia in eis perquirendis, Ananiæ in Damascum profectio, ejus ibidem prædicatio, Ecclesiæ collectio, cujus fama Hierosolymis evulgata moverit Principes Sacerdotum, ut ad eam dispergendam suis litteris Saulum jam incitatum mitterent: incredibile, inquam Baronio est, hæc & alia vix unius mensis spatio peragi potuisse; unde credibilius videtur, Conversionem Pauli factam fuisse anno secundo nimirùm anno 35.: cui adstipulatur etiam Œcumenius in Acta cap. ult.. Alii autem sentiunt, anno 34. Christi eam contigisse, primò quia cùm dicat Chrysostomus Homil. de Principibus Apost. Petro & Paulo, quòd Paulus *triginta quinque annis servivit Domino cum omni promtitudine animi*; si ponatur, quòd anno 34. conversus fuerit, sequitur quòd anno 69. martyrium obierit

obierit eum Petro, ut supra probabilius censui. Dictum tamen Chrysostomi, quòd Paulus triginta quinque annis Domino servierit, nutare videtur. Tum quia homilia illa de Principibus Apostolorum tanquam illegitima à multis Chrysostomo abjudicatur. Tum quia Homil. 4. de Laudibus Pauli idem Chrysostomus, vix solis triginta annis Deo servisse, eum dicit, his verbis: *In tantum virtute progressus est* (Paulus) *ut vix triginta annorum spatio & Romanos & Persas & Parthos & Medos & Indos & Scythas & Æthiopes & Sauromatas & Saracenos, & omne prorsùs humanum genus sub jugum mitteret veritatis:* Secundò quia idem Chrysostomus asserit, Saulum paulò post mortem Stephani fuisse conversum: unde Homil. 19. in Acta ait: *Consolatio hæc inducti Pauli compensat mœrorem de Stephano conceptum:* & Asterius Orat. 8. dicit, Saulum, cùm conversus fuit, manus Stephani sanguine adhuc tinctas habuisse.

Utraque opinio probabilis est, hæc tamen secunda magis placet. Nec obstat, multa narrari inter necem Stephani & Conversionem Pauli, quæ spatio unius mensis vix fieri potuissent. Nam in primis potest dici, ad hoc satis esse, ut ea, quæ ibi narrantur, initium habuerint eo medio tempore, scilicet quòd à nece Stephani statim cœperit persecutio & dispersio Fidelium, ex quibus Philippus Samariam, Ananias Damascum ad Fideles ibi existentes in Fide servandos, & è contra quod Saulus ad eos disperdendos eo quo ardebat furore litteras à Principibus Sacerdotum obtinuerit. Quæ incipiens narrare Lucas, Historici more, ne Historiæ cursum interrumperet, omnia tanquam ante Conversionem Pauli facta recensuerit, cùm tamen aliqua solùm post eam, maximè Eunuchi conversio, peracta fuerint. Deindè quòd à nece Stephani ad Conversionem Pauli vix unius mensis spatium intercurrerit, in hoc fundatur, quòd Conversio Pauli diei 25. Januarii sequentis alligetur: hoc autem non est adeò certum, quin de eo rationabiliter dubitari possit. Ex quo enim præfatæ Conversionis festum die 25. Januarii colatur, non illicò sequitur, eam tali die reverâ contigisse, ut de aliquibus aliis festis apparet. Et sanè nec Græci in Menologio nec Beda in Martyrologio hâc die de Conversione Pauli vel verbum faciunt. Imò teste Florentinio in notis Mart. antiquioribus in Martyrologiis, hâc die non Conversionis sed Translationis Reliquiarum S. Pauli mentio fit. Quâ ergo ratione Ecclesia postmodum Conversionem Pauli huic diei inseruerit, ignoratur. Quare ex hoc firmum confici nequit argumentum.

VI. Quam ætatem ageret Saulus, quando conversus fuit, etiam

etiam ambigitur. S.Lucas Act.7. agens de nece Stephani Saulum appellat adolescentem v. 57.: *Deposuerunt vestimenta sua secùs pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus*: quibus videtur indicare, eum fuisse valdè juvenem, & proindè etiam quando conversus fuit; cùm ex jam dictis inter necem Stephani & Sauli conversionem modicum temporis intercesserit. Notat tamen Baronius ad ann. 36. num.5. loco *adolescentis* in textu Græco legi *Neania*, quâ voce non tam ætatis, quàm animi & spiritus vigor exprimitur, quod est proprium viri. Talem autem tunc fuisse Saulum, exprimit Lucas ipse cum ait cap.9.: *Saulus autem adhuc spirans minarum & cædis &c.* Accedit, quòd Antiqui, quam nos ætatem virilem dicimus, appellabant juventutem. Unde S.Augustinus L.6. Confess. cap.11. cùm attingeret annum trigesimum dicit, se intrare in juventutem, & S.Irenæus L.2. c.39. ab anno 30. usque ad 40. eam computat. Saulum igitur quando conversus est trigesimum superasse annum exinde colligo, quia cùm anno suæ ætatis 68. martyrium subierit, & ut ex Chrysostomo dictum est, 35. seu potiùs vix 30. annis Domino servierit, fit, ut quando cœpit Christo servire, trigesimum superasset, quot autem annis incertum.

VII. An S. Paulus manserit semper cælebs, fusè agit Baronius ad ann.57. à num.59. usque ad 69.; Quod & ego in Colloquiis tractavi. Et quæstio esse potest de Paulo ante Apostolatum & Conversionem, & de eo jam converso & Apostolo. Et quidem factum Apostolum uxorem eum duxisse, nemo puto affirmabit, tum quia nullum est fundamentum hoc dicendi: Tum quia si qui ex Apostolis antea haberent uxores, facti Apostoli eas non habebant ampliùs ut uxores, sed ut sorores, ut citato loco fusè ostendi: credendumne est, Paulum ante Apostolatum cælibem, factum Apostolum uxorem duxisse, Paulum inquam, qui dum alios hortabatur ad cælibem vel continentem vitam servandam, in exemplum eis proponebat se ipsum? ait enim 1. Cor. 7. v. 7.: *Volo enim omnes vos esse sicut me ipsum .... Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego*: super quæ verba,inquit S.Hieronymus Ep.52.modò 31., quidam celebris Theologus nomine *Pierius cùm sensum Apostoli ventilaret, atque dissereret, & proposuisset illud exponere*,, Volo autem omnes esse sicut me ipsum,, *adjecit sic dicens*: *Paulus apertè cælibatum prædicat*. Et Epiphanius hæres. 79.: *Omnino*, inquit, *quidam grassatores, & ad libidinem conversi & corruptam opinionem in se ipsis habentes, etiam sanctos polluere volunt, ad honestam excusationem pravæ ac infirmæ suæ opinionis, ad quos dixit Apostolo-*

stolus: *Vellem quidem omnes esse, sicut me ipsum*. Me ipsum *verò*, *quomodo dicit, præterquam propter castitatem?*

Quæstio igitur est, an etiam ante Conversionem Paulus manserit cælebs & uxorem non habens. In quo Clemens Alexandrinus L. 3. strom. Paulum asserit fuisse conjugatum ex falsa intelligentia illorum verborum 1. Cor. 9. v. 5.: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli?* Clementem videntur sequi Eusebius L. 2. Hist. cap. 24. & Nicephorus L. 2. cap. 44. Quæ tamen non de muliere uxore, sed sorore, nempè de Sanctis mulieribus, quæ juxta morem Judaicum Apostolis ministrabant, eosque sequebantur, exponunt Hieronymus adv. Jovin., Tertullianus L. de Monogamia cap. 8., Augustinus de Opere Monach. cap. 4., Chrysostomus & Theodoritus in 1. Cor. cap. 9. His accedunt Epiphanius aliique, volentes, Paulum fuisse nedum continentem sed semper cælibem. Alii rem in ambiguo relinquunt. Probabilior tamen & communior sententia tenet, S. Paulum nunquam uxorem habuisse. Huic præter majorem consensum Patrum, non levem conjecturam ministrat institutum vitæ quod tenuit, antequam Christo nomen daret, sed Judæus inter Judæos esset. Erat enim Saulus sectâ Pharisæus, & eorum, quæ secta illa profitebatur, rigidissimus observator. Hoc ipse testatur ad Philip. 3. v. 5., Act. 23. v. 6., & ad Galat. 1. v. 14.: *Et proficiebam*, inquit, *in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum*. Una autem ex Pharisaicis traditionibus erat, quòd non in prima juventute uxorem ducerent, sed per aliquot annos priùs continentiam probarent. Ita refert Epiphanius Lib. 1. Panarij cap. 16. his verbis: *Quidam enim ipsorum cùm se exercebant, præscribebant decennium aut octennium aut quadriennium virginitatis & continentiæ, & frequentiùs orantes, crebriùs certamen hoc aggrediebantur, ut ne videlicet corporale quid eis accideret, aut clandestinè per somnia tristis corporis defluxio contingeret &c.* Josephus etiam & ipse sectâ Pharisæus, de se & alio Pharisæo agens, qui eum ad castitatem servandam instituebat, Lib. de Vita sua hæc scribit: *Cùm audissem Banum quemdam in solitudine vivere, amictum sibi parantem ex arboribus, & alimentis sponte provenientibus utentem, crebrisque nocte & die lavacris frigidis uti ad castitatem tuendam, cæpi ejus institutum imitari, exactisque in ejus contubernio tribus annis, postquam cupitis satis potitus sum, in Urbem redii*. Addit deinde, se nec posteà, licèt jam ad suæ ætatis annum trigesimum pervenisset, ullis carnis illecebris esse victum, nec nisi in matura ætate nuptias expetisse. Si

ergo hæc agebat Josephus; si his multò majora alii ex Pharisæis egisse traduntur: quid de Saulo dicemus, qui in rigida suæ sectæ traditionum observantia æqualibus suis antecelluit? an eum primævo flore suæ juventæ illecebris carnis abreptum ad nuptias convolasse, an potiùs adhuc cælibem vocatum ad Christum?

Claudat hæc testimonium Ebionitarum, qui quamvis Hæretici & Paulo injuriosi, eum tamen absque uxore Christianum factum demonstrant. Epiphanius ergo hæres.30. adversùs eos: *Paulum*, inquit, *hic accusare non erubescunt..... Tharsensem quidem ipsum* (velut ipse etiam confitetur & non negat) *dicentes: Verùm ex Græcis ipsum fuisse asserentes, occasione acceptâ ex loco ob veritatis studium ab ipso dicto, nempè Tharsensis sum, non ignobilis Urbis Civis. Deinde* asserunt ipsum esse Græcum & ex patre Græco: *Ascendisse autem Hierosolymam & per tempus illic mansisse, concupivisseque filiam Sacerdotis in uxorem accipere, & hujus gratiâ proselytum & accessorium factum esse & circumcisum esse: Deinde cùm puellam assecutus non esset, irâ concitatum esse & contra circumcisionem scripsisse, & contra Sabbatum & Legem.* Hic quidem mendaciorum congeriem Ebionis dementia struit in Paulum; non credam tamen, eum facturum cælibem, si conjugem habere novisset, nec ex cælibatu ejus ansam in eum obloquendi fuisse sumturum, cùm vivente adhuc Paulo, & ab iis, qui Paulum noverant, de mendacio in hoc sicut in aliis, argui facilè potuisset, sed de hoc satis.

§. IV.

Primitiæ Prædicationis Pauli.

I. DEtractis ab oculis Sauli squamis, quibus tamquam velamine detinebatur ne lucem veritatis aspiceret, nec non gratiâ Spiritus Sancti fractâ cordis ejus duritie, repente in alium mutatus, cujus ne nomen quidem audire antea sustinuerat, modò Filium Dei confitetur & prædicat, & quidem publicè in Synagogis Act.9. v.20.: *Et continuò in Synagogis prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei*: unde Chrysostomus Homil.20. in Acta: *Non prædicabat*, inquit, *quòd resurrexisset, neque quòd viveret, sed quid? Accuratissimè Dogma exponebat, quia est Filius Dei*: factus repentè Doctor summi illius mysterii, quod etsi ex ore Christi sæpiùs auditum Scribæ & Pharisæi credere noluerunt. Jure igitur subditur v.21.: *Stupebant autem omnes, qui audiebant & dicebant: Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos,*

eos, qui invocabant nomen istud: & huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad Principes Sacerdotum? Stupebant, sed non credebant, imo magis efferati; nec Jesum nominabant, *sed nomen istud, quod ex invidia ne ..... quidem audire sustinerent*. Ita Chrysostomus ibi, qui prosequitur: *Ille verò non modò his non confundebatur, sed & gloriabatur*,, Saulus autem magis convalescebat & confundebat Judæos,, *idest confutabat, nec loqui sinebat*,, affirmans quoniam hic est Christus,, *docens*, inquit, *quia statim Doctor fuit*.

II. Ita Gratiâ Dei in eo & cum eo operante, tanto ardore cœpit Paulus Christi Fidem prædicare, quanto paulò ante eam oppugnaverat: *Non erubescebat de mutatione, neque metuebat destruere illa, in quibus antea clarus erat*: ita Chrysostomus, qui addit: *Utpote Legis peritus confundebat illos, nec loqui sinebat. Putabant, se à Stephano liberatos, à tali disputatione ereptos esse, & alium invenerunt Stephano vehementiorem*; Erat enim Paulus spiritu vivax, subtilis, penetrans, in dicendo promtus ac eloquens, tantæque auctoritatis, ut suis dictis fidem ab omnibus obtineret: maximè quia noverant ipsum, utpote in Lege peritissimum, non ignorantiâ deceptum sententiam mutasse, sed quia judicio firmo & certo invenerit ac elegerit veritatem; potissimè verò quia hoc nullo hominum docente aut suadente, sed repentinâ voce de Cœlo lapsâ ab his, qui testes fuerunt, audierant contigisse; ideoque confundebantur. Hæc fuerunt initia Apostolatus Pauli, qui estò tempore omnium novissimus, quia à Christo è Cœlo vocatus & ab eo immediatè edoctus, non eguit ad cæteros Apostolos consulendum Jerusalem pergere, sed statim munus, ad quod vocatus fuerat, ut scilicet nomen Jesu portaret coram Gentibus & Regibus & Filiis Israel, implere cœpit. Hoc fatetur ipse ad Galat.1.v.15.&c. his verbis: *Cùm autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus: continuò non acquievi carni & sanguini. Neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam & iterum reversus sum Damascum. Deinde post annos tres veni Hierosolymam.*

III. Hæc postrema Pauli verba demonstrant, eum tres primos à sua Conversione annos, nempè Christi 34. 35. & 36., exegisse annuntiando Christum, priùs Damasci, deinde in Arabia, postmodum reversum fuisse Damascum. Hanc intermediam Pauli profectionem in Arabiam Lucas Act.9. prætermittit; unde colligunt aliqui, fuisse solùm in Regionem Damasco vicinam,

quæ tunc Aretæ Arabum Regi parebat. Iste autem recessus in Arabiam, vel Arabiæ partes finitimas, electus à Paulo fuit, sive ut subductus ab hominum frequentia, se ipsum magis magisque purificaret, ac nova lumina super Evangelio à Deo acciperet: sive, ut Fidem Christi illuc inferret, ubi nondum cognita erat. Sed quia, ait S.Hieron. in cap.1. ad Galat., nihil singulare fortè ibi egit, idcircò Lucas hæc prætermisit.

Difficultas est, ubi hujus triennii majorem partem egerit, an in Arabia, an Damasci. Putant aliqui, majorem triennii partem in Arabia à Judæis semotum egisse, & solùm versùs finem reversum fuisse Damascum: & indè factum esse, ut cùm fugâ Damasco elapsus venit Hierosolymam, Discipuli, qui ibi erant, conscii quàm ferox fuisset Christi hostis, timerent ipsum, ut statim dicam. Quòd si Damasci pro majori parte moratus fuisset publicè in Synagogis prædicans Christum, fama stabilis ac sinceræ ejus Conversionis Hierosolymam pervenisset, & à Discipulis absque metu exceptus fuisset. Alii tamen communiùs existimant, majori à sua Conversione parte triennii Damasci moratum fuisse, in Arabia autem parum mansisse; & hoc indicare tum Lucæ silentium de Pauli profectione in Arabiam, tum quia loquens de mora Pauli Damasci, dicit v. 23.: *Cùm autem implerentur dies multi*. Cùm hoc tamen benè componi potest, quòd Paulus adhuc suspectus esset Discipulis: nam illo triennio, quod fuit ultimum Tiberii, Aretas Arabiæ Rex Damasci Dominus adversùs Herodem Galilææ Tetrarcham bellum gerebat, & propterea inter Damascum & Jerusalem vel nihil vel parum commercii aderat; ut quid Paulus eo tempore egisset Damasci pro Christo, ad notitiam Discipulorum existentium Hierosolymis pervenire potuisset. Scio aliquos putasse, hunc adventum Pauli Hierosolymam paulò post ejus Conversionem accidisse, & proindè Discipulos ibi vel ejus Conversionem ignorasse vel ejus sinceritatem suspectam habuisse; sed hoc est contra verba S. Pauli relata Galat.1., ut quisque videre potest.

IV. Reversus ergo ex Arabia Damascum Paulus suâ Prædicatione mirum in modum Christi Fidem promovebat,& augebat Ecclesiam. Hoc ampliùs ferre non valentes Judæi, non quærunt testes, ut antea contra Stephanum, qui adversùs eum deponant, ut ait Chrysostomus Hom. 20., sed ipsi per se ipsos operantur. A Damasci Præfecto obtinent, ut portæ Civitatis custodiantur, ad eas ipsis die ac nocte vigilantibus, ut eum capiant ac interficiant. Innotescunt insidiæ Discipulis Pauli, qui eum ac-

accipientes nocte per murum in sporta dimittunt. Ita Act. 9. v.23. his verbis: *Consilium fecerunt in unum Judæi, ut eum interficerent. Nota autem facta sunt Saulo insidiæ eorum: custodiebant autem & portas die ac nocte, ut eum interficerent. Accipientes autem eum Discipuli nocte per murum dimiserunt eum, submittentes in sporta.* Quod 2. Cor. 11. v.32. Paulus ipse exponens ait: *Damasci Præpositus Gentis Aretæ Regis custodiebat Civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet: & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus.*

V. Effugit ergo Paulus, non quia timeret mori pro Christo, sed ut ad majora facienda pro Christo se servaret. *Quædam enim fuga est cautela, quando scilicet fugit pericula, ut præservetur ad majora: sic Helias fugit propter Jezabel 3. Reg. 16., & sic Apostolus hic fugit manus Præpositi.* Ita S.Th. in cap. 11. 2. ad Cor. Lect. 6., & Chrysost. Hom. 20. in Acta: *Non eripit autem*, inquit, *illum Christus à periculo sed dimittit, quia vult multa ex humana prudentia fieri. Alioquin dimittit, ut discamus, ipsos etiam homines fuisse, neque semper omnia gratiam operari.* Et paulo supra: *Quomodo, inquies, ille fugit? non ex timiditate; sed se ad prædicationem servabat; si timidus fuisset, non Hierosolymam venisset, non statim Doctrinam suscepisset, ex vehementia aliquid remisisset. Verùm non erat timidus sed prudens, Stephani cæde edoctus.* Nec fugiens muneri boni Pastoris defuit, nam ut ait S.Th. citato loco: *Aliquando quæritur persona Prælati tantùm, aliquando cum Prælato totus Populus: Quando ergo quæritur Prælatus solus, tunc debet committere curam alteri, & absentare se: & sic fecit hic Paulus: & ideò dicit Glossa, quòd licèt fugeret, tamen fuit ei cura de Ovibus, bono Pastori in Cœlo sedenti eas commendando, & utilitati earum se per fugam præservando. Quando verò quæritur totus Grex, tunc debet præponere utilitatem & salutem Gregis saluti corporis sui.* Fugit tandem Paulus non ad quietem & securitatem, sed ad nova & majora pericula, dum Hierosolymam ivit, inter violentiores Christianæ Religionis hostes sese projiciens.

VI. Hierosolymam ergo triennio elapso ex insidiis Damascenorum venit, ut videret Petrum. (Hoc ait ipse ad Galat. 1. v.18.) *Post tres annos veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud illum diebus quindecim.* Venit, non ductus curiositate ipsum videndi, non necessitate ab ipso quidquam ad Fidem pertinens addiscendi; qui, ut dicit ibi v.12., nihil per hominem acceperat, sed omnia per revelationem à Jesu Christo didicerat; sed ductus caritate & reverentiâ erga primum & Caput Apostolici Ordinis, cum eo mansit, ac per dies quindecim de Sacris Fidei Mysteriis col-

colloquens; quo tempore alium Apostolorum non vidit nisi Jacobum fratrem Domini, qui Hierosolymorum fuerat Episcopus constitutus.

Eâ tamen humilitate erat Paulus, ut cùm Jerusalem adventasset, quamvis jam omnium Magister, tentaret se jungere Discipulis; sed hi, quibus nota quidem erat ejus in Fideles persecutio, non tamen de ejus Conversione saltèm sincera adhuc erant securi, non audebant se illi credere. Ita Act. 9. v. 26.: *Cùm autem venisset in Jerusalem, tentabat se jungere Discipulis; & omnes timebant eum, non credentes, quòd esset Discipulus.* Ubi Chrysostomus Hom. 21. in Acta: *Vide*, inquit, *illum, non Apostolos adire præ modestia, sed Discipulos, utpote qui Discipulus esset: nondum enim fidus esse putabatur.* Barnabas tamen in hac angustia ei præsto fuit; sive quia unâ cum eo apud Gamalielem studuerat, ideoque ab antiquo ei amicus; sive quia posteà Damasci fuerat, & quæ ibi Paulus pro Christo egerat & passus fuerat, vel viderat, vel audierat; sive ex innata sua urbanitate, Paulum ad Petrum & Jacobum duxit, & narrans omnia quæ acciderant, Discipulos à metu liberavit. Ita Act. 9. v. 27.: *Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, & narravit illis, quomodo in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodo in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu.*

VII. Paulus igitur illis quindecim diebus, quibus Hierosolymis moratus fuit, suæ Conversionis experimentum præbere volens, eo quo vigebat fervore Fidei disputare cœpit cum Judæis exteris, nempè Græcis; ut enim Chrysostomus ait Homil. 21. qui ex Hierosolymis erant Judæi, *ne videre quidem illum volebant*, tanquam fœdifragum ac Mosaicæ Legis desertorem. Porrò cùm vi ac efficaciâ rationum se victos indies cernerent, eum occidere junctis consiliis decreverunt: sic Paulus, qui periculum mortis Damasci sibi intentatæ recèns evaserat, in novum discrimen adducitur. Sed hic quoque Fideles adfuerunt, qui detectis Judæorum insidiis, eum deduxerunt Cæsaræam, deindè dimiserunt Tharsum: sic v. 28.: *Et erat cum illis intrans & exiens in Jerusalem, & fiducialiter agens in nomine Domini; loquebatur quoque Gentibus & disputabat cum Græcis; illi autem quærebant occidere eum. Quod cùm cognovissent Fratres, deduxerunt eum Cæsaræam, & dimiserunt Tharsum.* Super illa verba *loquebatur Gentibus* movetur dubium, quomodo Paulus potuit tunc loqui Gentibus, cùm nondum converso per Petrum Cornelio Evangelii porta Gentibus adhuc esset clausa. Volunt propterea aliqui, illud *loquebatur Gentibus* in textu Græco non inveniri, sed solùm *Hel-*

Hellenistis, id est Judæis Græcizantibus. Verùm licèt Conversio Cornelii narretur à Luca post discessum Pauli Hierosolymâ, quia tamen secuta creditur ante, nempè ante lapsum triennium à Conversione Sauli, ejusque adventum Hierosolymam, ideò poterat Paulus loqui Gentibus, cùm jam ad Evangelium aditus esset eis apertus.

VIII. Hunc discessum Pauli Hierosolymâ, ipso Christo mandante, contigisse, narrat Paulus ipse Act.22. à v.17., ubi post relatam suam Conversionem prosequitur his verbis: *Factum est autem revertenti mihi in Jerusalem, & oranti in Templo, fieri me in stupore mentis & videre illum* (Jesum) *dicentem mihi: Festina & exi velociter de Jerusalem, quoniam non recipient testimonium tuum de Me. Et ego dixi: Domine ipsi sciunt, quia ego eram concludens in carcerem, & cædens per Synagogas eos, qui credebant in Te. Et cùm funderetur sanguis Stephani testis tui, ego adstabam & consentiebam & custodiebam vestimenta interficientium illum: & dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te.*

IX. Fideles igitur (inquit Chrysostomus Hom.21. in Acta) *metuentes, ne idipsum accideret, quod Stephano, deducunt Cæsaream*: & quidem ob majorem securitatem, probabiliter per mare. Quò cum pervenisset, Discipuli eum miserunt Tharsum patriam suam, fortè ut ibi absque periculo Evangelium prædicaret. Quod & fecisse creditur, etsi Origenes in Matth. contrarium sentiat, motus ex illo: *Nemo propheta acceptus est in patria sua*. Cùmque Pauli zelus uni loco alligari non pateretur, inde Syriam & Ciliciam pertransiit Christum annuntians, quod ipse Galat.1. v. 21. testatur, ubi post discessum Hierosolymis dicit: *Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ*; additque se Ecclesiis Judææ nondum facie notum esse, sed famâ tantùm, nempè esse illum, qui annuntiabat Fidem, quam priùs fuerat persecutus. Ita v. 22.: *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo; tantùm auditum habebant, quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat Fidem, quam aliquando expugnabat: & in me clarificabant Deum*. Post annum ergo Christi 37. vel 39., quo Paulus deductus fuit Tharsum, usque ad annum 43. quo cum Barnaba perrexit Tharso Antiochiam, cùm de eo nihil Scriptura dicat, credendum est, eum præcipuam moram traxisse Tharsi; inde tamen identidem excurrendo per Ciliciam & partes Syriæ, fundando ibi Ecclesias. Cujus argumentum habemus, quòd anno 51. Act.15. v.41. cùm dicatur de Paulo: *Perambulabat autem Syriam & Ciliciam confirmans Ecclesias*, signum est, eas jam ante fuisse ab ipso fundatas, ut Galat.1. dixerat.

§. V.

Prædicatio Pauli Antiochiæ; ibi Discipuli primò vocati Christiani; Iter in Jerusalem pro collectis.

I. Cùm ad Apostolos fama percrebuisset, multos ex Gentilibus Christi Fidem Antiochiæ amplexos fuisse, miserunt illuc Barnabam, qui cùm suo zelo fructum quem invenerat multum auxisset, profectus Tharsum, Paulum ut strenuum ducem, adjutorem ad Dei opus magis perficiendum Antiochiam secum adduxit, ubi per annum commorati sunt; & Christi nomen adeò celebre reddiderunt, ut qui in eum crediderant, Christiani nomine primò vocarentur. Hoc fusè describit Lucas Act. 11. v.20. &c. ita: *Erant autem quidam ex eis* (qui nimirùm dispersi fuerant in persecutione facta sub Stephano) *viri Cyprii & Cyrenæi, qui cùm introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dominum Jesum; & erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis, super istis; & miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. Qui cùm pervenisset & vidisset gratiam Dei, gavisus est; & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino.* (*Quia erat vir bonus & plenus Spiritu Sancto & Fide:*) *Et apposita est multa turba Domino. Profectus est autem Barnabas Tharsum, ut quæreret Saulum: quem cùm invenisset perduxit Antiochiam; & annum totum conversati sunt ibi in Ecclesia: & docuerunt Turbam multam, ita ut cognominarentur primùm Antiochiæ Discipuli Christiani.* Hæc Lucas: qui hic non loquitur de prima fundatione Ecclesiæ Antiochiæ; hanc enim fuisse fundatam quatuor aut quinque annis ante à S.Petro ante Conversionem Cornelii, & proindè pro solis Judæis, jam ostendi supra c.1. de S.Petro §. 8.; sed loquitur de extensione præfatæ Ecclesiæ à solis Judæis etiam ad Gentes: & hanc (absente Petro, aliasque Provincias peragrante) dicit Lucas fuisse à Discipulis Cypriis & Cyrenæis promotam, & à Barnaba & Saulo auctam.

II. In hoc opere S.Chrysostomus Homil.25. in Acta, multa admiratur à Divina providentia disposita ad majorem Nominis Christi gloriam, & Civitatis Antiochenæ decorem. Inter alia observat, quòd prima fuit, quæ S.Paulum Prædicatorem habuit, & tam longo etiam iteratis vicibus tempore ipsum ut Doctorem Gentium audire digna fuit. Prædicaverat quidem Paulus antea Fidem Damasci, in Arabia, aliisque partibus Syriæ ac Ci-

Ciliciæ, ut dictum est, sed prædicaverat tanquam unus ex Discipulis; Antiochiæ solùm prædicare cœpit tamquam Magister ac Doctor Gentium. Idcircò venit Barnabas Tharsum, ut quæreret Saulum: *Venit*, inquit, *ad Ducem ad Monomachum ad Leonem: nescio quid dicam: quidquid enim dixerim, dignitate inferius Paulo erit. Venit ad venaticum Canem Leones occidentem, ad taurum fortem, ad lucernam splendidam, ad os orbi sufficiens: Verè ideò Antiochiæ vocati sunt Christiani, quia Paulus ibi tanto tempore mansit.... .Non parva Civitatis laus hæc. Hoc contra omnes adduci potest: quòd prima omnium ore tali tanto tempore frueretur, undè & primò istbic hoc nomine dignati sunt. Viden, in quantum fastigium Civitatem extulerit, clarioremque fecerit? Hoc Pauli opus est. Ubi tria millia, ubi quinque millia crediderunt, ubi tanta multitudo, ibi nihil tale factum est; sed adhuc de via illa tantùm esse dicebantur: hìc verò Christiani appellati sunt*. Hactenus in encomium Pauli Chrysostomus.

III. Et quidem meritò censet S. Cyrillus Hierosf. Catechesi 17., in hoc nomine *Christiani* Spiritum Sanctum adimplere voluisse, quod Prophetæ prædixerant, daturum scilicet Deum Servis suis *Nomen novum*: cùm enim non simus nos unus Populus, sicut olim Judæi, sed cœtus ex omnibus Populis, Nationibus, Gentibus, spiritu non carne coalescens, cùm non haberemus super terram nomen omnibus commune, oportuit, ut à Cœlo nomen acciperemus. Antea qui Christi Fidem amplectebantur, dicebantur sive viri *de via illa*, ut ex Chrysostomo nuper, quod nil particulare indicabat, sive *Discipuli*, sive *Fideles* aut *Credentes*, sed cujus Discipuli essent, cui Fideles, in quem credentes, non exprimebatur. Nunc autem ex quo *Christiani* dicti sunt, norunt omnes etiam Infideles, quam viam teneant, cujus Discipuli, cui Fideles, in quem credentes sint. Docet etiam nos Nomen istud, & menti continuò præsentat, ut Christi, cujus nomine honoramur, Doctrinam & Gesta opere exprimamus. Unde Nyssenus de Profess. Christ. *Participatione Christi*, inquit, *Christiani appellationem sortiti sumus: ita & per consequens convenit, omnium quoque sublimium nominum nos adsciscere communionem & societatem: quemadmodum in ea catena, qui eum, qui in extremitate est, annulum attraxerit, eos qui continenter inter se cohærent, per unum attraxerit*: & S.Ignatius Epist.6. ad Magnesianos: *Simus itaque digni cognomento, quod accepimus. Qui enim alio nomine appellatur præter hoc, hic non est Dei, nec accepit Prophetiam loquentem de nobis* (Isaiæ 62. v. 2.) „ Et vocabitur tibi Nomen „ novum, quod os Domini nominavit & erit Populus Sanctus „

Antiochia enim primum Discipuli appellati sunt Christiani, cùm Petrus & Paulus Ecclesiam fundarent. De hoc agit Chrysostomus etiam Homil. 3. ad Pop. Ant. & Homil. 7. in Matth.

IV. Porrò Gentiles, qui sive ex ignorantia, sive ex contemtu, non *Christum*, sed corrupto vocabulo *Chrestum* appellabant, ita ejus Discipulos non *Christianos*, sed *Chrestianos* vocitare cœperunt. Hæc tamen variatio in re parva erat; nam sicut Christus *Unctus*, & *Christianus ab unctione* dicitur: Ita *Chrestus bonus* & Chrestianus *à bonitate* sumebatur: & propterea Tertullianus Apologet. adv. Gentes cap. 3.: *Quæ accusatio*, inquit, *vocabulorum, nisi si aut barbarum sonat aliqua vox nominis, aut infaustum, aut maledicum, aut impudicum: Christianus verò (quantum interpretatio est) de Unctione deducitur: sed & cùm perperam Chrestianus pronuntiatur à vobis (nam nec nominis certa est notitia penes vos) de suavitate vel benignitate compositum est. Oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum.*

V. Occasionem, quâ pristinum *Discipulorum* in Nomen *Christianorum* mutatum fuit, hanc fuisse S. Athanasius, seu veriùs Vigilius Tapsensis (in disput. contra Arium) scribit his verbis: *Omnes, qui credebant in Domino nostro Jesu Christo, non Christiani sed Discipuli tantummodò vocabantur, & quia multi novorum Dogmatum auctores extiterant, Doctrinæ obviantes Apostolicæ, & omnes Sectatores suos Discipulos nominabant, nec ulla erat nominis discretio inter veros falsosque Discipulos, sive Christi, sive Dosithæi, sive Judæ cujusdam, sive Joannis sectatores, qui se quasi Christi Ecclesiæ fatebantur, quin potiùs uno Discipulorum nomine ferebantur. Tunc Apostoli convenientes Antiochiæ, sicut horum, Luca narrante, Acta testantur, omnes Discipulos uno nomine idest Christianos appellant, discernentes à communi Discipulorum vocabulo; & ut Divini per Isaiam oraculi sermo compleretur, quo ait: Servientibus mihi vocabitur Nomen novum. Hanc ergo ab Apostolis traditam de novis utendis nominibus formam Ecclesia tenens contra diversos hæreticos (ut sanæ Fidei ratio postulat) diversas edidit nominum novitates:* & ideò Discipulos hæreticorum, qui Christi Discipulos falsò se jactant, nomine non Christi, sed suorum Magistrorum appellare cœpit, ut Ebionis nomine Ebionitas, Carpocratis Carpocratianos, Arii Arianos, Lutheri Lutheranos, Calvini Calvinianos, & sic de aliis.

VI. Alteram quoque fortè causam fuisse existimarem, cur voluerint Apostoli, Discipulos vocari Christianos, ut nempè scirent omnes, cujus essent Discipuli, non Petri, Pauli, aut alterius Magistri, sed unicè Christi, & sic præveniretur Schisma, quod

quod posteà in Corinthiis reprehendit Paulus 1. Cor.3., ubi Discipuli Pauli dicebant, *Ego sum Pauli*, Discipuli Apollo, *Ego autem Apollo*. Unde ut scirent omnes, per quemcumque baptizati essent ac edocti, à Christo, cujus est Baptismus & Doctrina, baptizatos & edoctos ejusque solius Discipulos esse, nomen Discipuli ad nomen Christiani idest Discipuli Christi determinaverunt. Ad magis autem exprimendum vinculum Fidei & Caritatis, quo Christiani uno spiritu uniebantur in Christo ut filii ejusdem Patris, consueverant etiam se invicem vocare *Fratres*, quo nomine eos donavit Matth.23. v. 8.: *Vos autem nolite vocari Rabbi*: *unus est enim Magister vester*: *Omnes autem vos fratres estis*: & Paulus ac cæteri Apostoli in suis Epistolis frequenter usurparunt: & adhuc in Ecclesia perseverat. Hoc nomen cùm ad infamiam traducerent Gentes, eorum calumniam refellunt Athenagoras Orat. pro Christ., Justinus Orat. ad Antoninum, Minutius Felix in Octavio, & Tertullianus in Apologet. cap.39. Christiani etiam olim vocabantur *Sancti*. Sic Paulus Roman. 1. v. 7.: *Omnibus, qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis Sanctis*. Rom.15. v.25. *Proficiscar Jerusalem ministrare Sanctis* 2. Cor.13. v.12. *Salutant vos omnes Sancti*: & Act.26. v.10. coram Agrippa Rege ingenuè confitetur: *Multos Sanctorum ego in carceribus inclusi*.

VII. Judæi verò ex odio contra Jesum, quem Cruci affixum Nazarenum appellabant, Christianos quoque per contemtum Nazarenos vocabant à Nazareth Galileæ Oppidulo, quod pro patria Christo assignabant, de quo Nathanael. Jo: 1. v.46.: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Undè Act. 24. v.5. Tertullus orator agens causam Judæorum coram Præside contra Paulum: *Invenimus*, inquit, *hunc hominem pestiferum & concitantem seditiones omnibus Judæis in universo Orbe, & auctorem seditionis sectæ Nazarenorum*: sic vocans Christianos: Quod nomen cùm ad posteros Judæos dimanasset, ea voce ter in die Christianis & Christo maledicebant, ut Hieronymus in Isaiæ cap. 49. tradit his verbis: *Ipse bonus Pastor posuit animam suam pro Ovibus suis & contemsit eam; qui abominationi est Genti Judæorum, cui ter in singulos dies sub nomine Nazarenorum maledicunt in Synagogis suis*. Ab impiis quoque Galilæus nominatus est Christus & Christiani Galilæi: hoc nomine insignes impietate viri Porphyrius & Julianus Apostata, aliique his similes, Christum & Christianos nuncupare consueverunt.

VIII. Purum Christiani nomen fuit ita proprium verè credentium in Christum, ut Hæretici hoc puro nomine non con-
 tenti,

tenti, nomen sui Magistri adderent. Ita Chrysostomus Homil. 33. in Acta: *Illi* (inquit, ideft, Hæretici) *quosdam habent, à quibus appellantur, Hæresiarchæ certè nomen. Sic singulæ hæreses; nobis verò nullus nomen indidit, sed ipsa Fides*. Nihilominus quia Hæretici se Christianos esse gloriati sunt & adhuc gloriantur, ac si verus Christianus sit, qui Christo in baptismo nomen dedit, etsi non omnia, quæ Christiana Fides docet, credere velit; idcircò nomini *Christiani* additum fuit cognomen *Catholici*: ita ut Christianus Catholicus ille sit, qui ubique unus credit omnia, quæ Ecclesia ubique credenda proponit. Sic ad distinguendos veros à falsis Christianis *Catholici* cognomen est inventum, & quidem à temporibus Apostolorum; nam in eorum Symbolo vera Christi Ecclesia *Catholica* est cognominata. Sic Pacianus ad Symp. Novatianum de Catholico nomine glorians: *Christianus*, inquit, *mihi nomen est: Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat: istud ostendit. Hoc probor, inde significor: & si reddenda postremò Catholici vocabuli ratio est, & exprimenda de Græco interpretatione Romana: Catholicus ubique unum, vel (ut Doctores putant) obedientiâ omnium nuncupatur*. Et paulò post: *Ergo qui Catholicus idem obediens: qui obediens idem est Christianus: atque ita Catholicus Christianus est*. Hæc Pacianus, sed de Catholici nomine ac re significata per ipsum plura egi alibi.

IX. Dum Saulus & Barnabas Antiochiæ morarentur, refert S. Lucas cap. 11. v. 2., supervenisse ab Hierosolymis Prophetas, inter quos Agabus, qui significabat, famem magnam futuram in universo Orbe terrarum, quæ facta fuit sub Claudio; sed de ista Fame jam egi supra C. 1. de S. Petro toto §. 9. Quare ad ibi dicta Lectorem meum remitto. Solùm hìc addo, quòd hoc anno circa 44. Christi Barnabas & Saulus Jerusalem se contulerunt deferentes collectas, quas Discipuli Antiochiæ existentes mittebant in subsidium fratrum, qui erant Hierosolymis. Sic enim dicitur Act. 11. v. 29.: *Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus. Quod & fecerunt, mittentes ad Seniores per manus Barnabæ & Sauli*. Hoc contigisse creditur circa tempus, quo prope Pascha Petrus fuit ab Herode carceri traditus, & ab Angelo liberatus.



§. VI.

§. VI.

Pauli Ordinatio, Raptus, Tentatio, Vitæ institutum.

I. MInisterio erga pauperes, ob quod Hierosolymam iverant, completo, Saulus & Barnabas, assumto Joanne, Marco dicto, reversi sunt Antiochiam: ita Lucas Act. 12. v. 25.: *Barnabas autem & Saulus, reversi sunt ab Hierosolymis, expleto ministerio, assumto Joanne, qui cognominatus est Marcus*, qui creditur fuisse Barnabæ consobrinus. Ex hoc, quòd Paulus hujus itineris Hierosolymam in Epist. ad Galatas non meminerit, sed solius, quod post annos quatuordecim egit, inferunt aliqui nihil singulare accidisse, imò nec ullum ex Apostolis ibi vidisse, ob Herodis persecutionem fortè latitantibus.

II. Status Ecclesiæ Antiochenæ tunc, describitur Act. 13. v. 1. & his verbis: *Erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores, in quibus Barnabas & Simon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus & Saulus*. Nec miretur quis, Saulum à Deo specialiter electum ultimo loco poni: nam ait Chrysostomus Hom. 27. in Acta: *Barnabam primùm memorat, nondum enim clarus erat Paulus, nondum signum aliquod fecerat*. Dum ergo isti diversis sui ministerii functionibus, nimirùm Sacrificio offerendo ac prædicationi vacarent, itemque jejunarent, jussit Spiritus Sanctus, ut segregarent sibi Barnabam & Saulum ad opus, ad quod elegerat eos; quod jejunantes & orantes imponentesque eis manus illicò perfecerunt: ita ibid. v. 2.: *Ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: segregate mihi Saulum & Barnabam ad opus, ad quod assumsi eos. Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos*.

III. Hic observo, quòd licèt Saulus esset jam à Jesu Christo electus & missus ad Apostolatum Gentium, ut dixerat Ananiæ cap. 9. v. 15., & Paulus ipse Galat. 1. v. 12. affirmat, se Evangelium non accepisse aut didicisse ab homine, sed per revelationem Jesu Christi: nihilominus, ut omnibus appareret, eum hac potestate à Deo insignitum, voluit Spiritus Sanctus modo ordinario, nempè per impositionem manuum Ministrorum hoc declarari: & ut etiam homines nossent, eos mitti à Deo non ab homine, ad eos ordinandos non majores Apostolos delegavit, sed minores Lucium, Simonem, & Manahen, qui priùs ab Apo-

stolis fuerant ordinati. Audiatur Chrysostomus Hom. 27. in Acta,, Segregate mihi, *inquit*, Barnabam & Saulum,, *Quid sibi vult*,, segregate mihi?,, *Ad opus, ad Apostolatum. Vide rursùm, à quibus ordinentur. A Lucio, Cyrenæo, & Manahe, imò à Spiritu. Quantò enim minores personæ, tantò clarior apparet Dei gratia. Ordinatur demum in Apostolatum, ut cum potestate prædicet. Quomodo igitur ipse dicit*,,Non ab hominibus,nec per homines?,,*Non ab hominibus dixit, ut declararet, non hominem ipsum vocasse vel adduxisse; neque per homines, quia non ab alio quàm à Spiritu missus est*. Ita Chrysostomus. Hoc plenè indicant illa Spiritus Sancti verba: *Segregate mihi..... in opus ad quod assumsi eos*: quasi declarans, homines esse merè executores operis sui. Hisce stantibus, jure dicere poterat Paulus ad Galat. 1. v. 1.: *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem*. Quæ exponens S. Th. in cap. 1. ad Galat. Lect. 1. ait: *Quidam enim mittebantur à toto Collegio Apostolorum & Discipulorum: & ideò ostendens, se non esse ab eis missum, dicit*,,non ab hominibus,,.*Quidam etiam mittebantur ab aliquo Apostolorum speciali, sicut Paulus aliquando mittebat Lucam & Titum: & ideò ostendens, quòd nec sic missus sit, dicit*,, neque per hominem.,,

IV. Hoc speciale in Paulo emicuit, quod antequam homines de eo cogitarent, à Deo electus, & à Jesu Christo è Cœlo ad Apostolatum vocatus fuit, cùm cæteri Apostoli à Christo adhuc in terris degenti vocati sint. Cùm enim Apostolatus Pauli & etiam Barnabæ extraordinarius esset, & supra numerum, debuit extraordinario modo fieri: & hac de causa 1. Cor. 15. v.8. inter Apostolos se *abortivum* appellat: ubi S. Th. Lect. 1.: *Dicit autem*, inquit,, tamquam abortivo,, *propter tria. Abortivus aliquis fœtus, vel quia nascitur extra tempus debitum, vel cum violentia educitur, vel quia non perducitur ad debitam quantitatem; & quia hæc tria videbat in se Apostolus, ideò dicit*,, tamquam abortivo,, *Primò enim ipse extra tempus aliorum Apostolorum renatus est in Christo: nam Apostoli renati sunt Christo ante adventum Spiritus Sancti, Paulus verò post. Secundò, quia alii Apostoli spontaneè conversi sunt ad Christum, sed Paulus coactus* Act.9. *Prostravit eum ad terram: & hoc multum valet contra hæreticos, qui dicunt, quòd nullus debet cogi ad Fidem: quia Paulus coactus fuit: & sicut dicit Augustinus, plus profecit in Fide Paulus, cùm coactè conversus est, quàm multi, qui spontaneè venerant: Tertiò, quia se reputat aliis minorem, & non pervenisse ad virtutem aliorum Apostolorum: & ideò quasi rationem assignans dicit*,, Ego enim sum minimus,, &c. Hactenus S.Thomas. Ni-

Nihilominus quamvis hæc, quæ singulari modo in vocatione Pauli contigerunt, in aliorum vocatione ad Fidem & Ministerium non evenirent, dum à Deo immediatè non assumebantur, sed ab hominibus & per homines, non deerat tamen in illis Ecclesiæ exordiis aliquod signum, quo interiùs & etiam exteriùs aliquando indicaretur, eos, qui assumebantur, à Deo vocari ad ministerium: & hoc intelligit Paulus 1. ad Timoth.4. v.14., cùm eum monens, ait: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyterii:* ubi S.Th. Lect.3.: *Dico*, inquit, *gratiam, quæ data est tibi per prophetiam, idest per Divinam inspirationem; nam in primitiva Ecclesia, ubi purè & propter Deum electiones fiebant, nullus assumebatur ad Episcopatum, nisi per electionem Divinam, sicut est electus Ambrosius & Nicolaus: & hanc inspirationem vocat hic Prophetiam . . . . . quia Sancti non eligebant, quem à Deo non sciebant electum.* Quod antea dixerat Chrysostomus Hom. 5. in 1. ad Timoth. his verbis: *Tunc quidem nihil fiebat humanum: Sacerdotes enim ex prophetia veniebant; & ita quidem, ut priùs fiebat, ita & nunc fiet etiam, quoties ab humana passione alieni, hujusmodi electiones celebramus, cùm nihil omninò seculare, nihil temporale intuentes, neque ad gratiam neque ad odium, facimus.*

V. Sed quomodo, inquies, in electionibus Divinam explorabimus voluntatem? Præmittendo jejunium & orationem, & cum jejunio & oratione ad electionem procedentes. Ita in ordinatione Barnabæ & Sauli factum est Act.13. v.2.: *Ministrantibus autem illis Domino & jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus, Segregate mihi &c. Tunc jejunantes & orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos:* ubi Chrysostomus Hom.27. ait: *Cùm ordinare oportebat, tunc jejunant: & jejunantibus illis dixit Spiritus.* Hinc ortum habuisse putat S. Leo Ep.11. cap.1. Ecclesiæ Regulam non imponendi manus in Ordinationibus, nisi præmissis jejunio ac precibus, ut Spiritus Sancti gratia super Ordinantem & Ordinatum descendat.

VI. Id in hoc facto seriò considerandum existimo, quòd Spiritus Sanctus eos quos ipse elegerat ut prædicarent Gentibus, noluit, ut tanto operi manum apponerent, nisi ab Ecclesia præviâ manuum impositione mitterentur, *imponentesque eis manus, dimiserunt illos.* Novi Pauli monitum Hebr. 5. v. 4.: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu:* & Rom.10. v.15.: *Quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur?* At (ut de Barnaba sileam) quid

quid deerat Paulo, ut honorem Apostolatus & prædicationis assumeret, qui fuerat à Jesu vocatus & ab ipso clarificatus, dum dixit: *Vas electionis est mibi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & filiis Israel?* Nil certe deerat; & tamen voluit Deus, ut hoc impositione manuum & missione Ecclesiæ cunctis manifestaretur: *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumsi eos*. Hoc argumento ad necem confodiuntur quotquot posterioribus seculis ad reformandam, ut ajunt, Ecclesiam se missos jactantes, ac titulo aperiendi Evangelium, quod diu manserat opertum, ab Ecclesia exeuntes contra Ecclesiam prædicare cœperunt, & adhuc prædicare non cessant. Si enim Paulus, *qui non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem* Apostolus constitutus & declaratus fuerat, ad hoc officium opere assumendum, sic jubente Spiritu Sancto, segregatus non fuit ac missus, nisi Ecclesiâ imponente manus ac mittente; quâ, nisi effræni ac impudenti licentiâ, isti se Evangelicos Apostolicos, omni missione ac vocatione destituti, prædicare præsumunt? Si quæratur quodnam sit signum adventus eorum, à Verbo Dei se prænuntiatos cum Joanne respondere non possunt: signa miraculorum non exhibent: solùm dicunt, se prædicare Evangelium ac Verbi Dei veritatem, sed cùm hoc ipsi dicant, nec alio testimonio quàm suo confirment, & Ecclesiæ testimonium contrarium sit, jure eis dicimus Testimonium vestrum non est verum: quia nec ex Deo estis, nec ab Ecclesia missi; aliam Ecclesiam vobis confinxistis, non Christi sed Satanæ: uno verbo, de Ecclesia Christi exiistis, sed de Ecclesia Christi non estis, quia in ea non permansistis. Sed de hoc suis locis egi.

VII. In actu suæ Ordinationis fuisse Saulo confirmatas omnes S. Spiritus internas ac visibiles gratias, quibus cæteri Apostoli muniti fuerant, certum est; omnes enim necessariæ erant omnium Gentium Apostolo. Dixi confirmatas: nam crediderim, eas omnes primò accepisse statim ac baptizatus fuit, & Ananias ei manus imposuit, nam Act. 9. v. 17. habetur, quòd Ananias *imponens ei manus dixit: Saule frater Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, ut videas & implearis Spiritu Sancto*: non quidem ut statim signa ederet, linguis loqueretur, ut cæteris Apostolis contigit, sed ut in Fidei Christi, quam ante fuerat persecutus, confessionem ac prædicationem sese totum effunderet. Ita Chrysostomus Homil. 20. in Acta: *Neque tunc Spiritum, ut signa ederet, accepit, ut sic Fides ejus ostenderetur, neque enim signa fecit*, & statim, *inquit*, in Synagogis prædicabat Chri-

Christum, quia hic est Filius Dei „ *Non prædicabat, quòd resurrexisset, neque quòd viveret. Sed quid? accuratissimè dogma exponebat, quia hic est Filius Dei.*

VIII. Hoc eodem suæ Ordinationis anno nempè Christi 44. creditur, illo insigni raptu fuisse Paulum elevatum usque ad tertium Cœlum, licet solùm post quatuordecim annos, idest anno Christi 58. Neronis 2. ad Cor. 12. illum manifestaverit, sentiunt post Baronium ad ann.44. num.89., Tilmontius in Paulo Art.19., Calmet & frequentiùs recentiores. Quo posito solùm anno post suam Conversionem decimo hunc raptum contigisse dicendum est: & propterea recedendum ab opinione quorumdam (licet S.Thomæ in cap. 12. 2. ad Cor. Lect.1. probabiliter loqui videantur) volentium, quòd has visiones habuerit in illo triduo, quo post prostrationem suam à Domino fuit neque videns neque manducans neque bibens Act.9.

IX. Hunc raptum ipse Paulus 2.Cor. 12. à v.1. ita narrat: *Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones & revelationes Domini. Scio, hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium Cœlum: & scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit:) quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis.* Nota hìc Pauli modestiam & humilitatem, qui tantum ac singulare donum, quo à Deo fuerat insignitus, quatuordecim annorum silentio tegit; & si tandem illud manifestat, hoc facit quia sic oportet ad gloriam Dei & ædificationem Ecclesiæ, protestatus se pro hujusmodi quidem gloriari, pro se autem nil aliud in se invenire, in quo gloriari possit, nisi infirmitates suas. Super quæ S.Th. Lect.2.: *Sciendum est*, inquit, *quòd in homine duo possunt considerari, scilicet donum Dei, & humana conditio. Si ergo aliquis gloriatur in aliquo dono Dei ut à Deo accepto, illa est bona gloria, quia sic in Domino gloriatur, sed si gloriatur de illo dono sicut à se habito, tunc mala est gloriatio hujusmodi 1. Cor. 4.* „ Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? „ *Dicit ergo Apostolus: Secundùm hoc, pro hujusmodi scilicet visionibus & donis Dei mihi collatis gloriabor; pro me autem non: idest, non gloriabor indè, quasi à me acceperim, quia à Deo habui; sed si pro me oportet gloriari, nihil gloriabor* „ nisi in infirmitatibus meis „: *idest non habeo, undè possim gloriari, nisi de infirma conditione mea*: hæc S.Th. Discant hoc Pauli exemplo,

qui vitam spiritualem profitentur, si gratiis ac donis à Deo ornentur, ea pro viribus occultare: quòd si oporteat ex obedientia vel alio debito ea detegere, sic detegant, ut appareat gloria Dei, pro qua & ipsi & alii glorientur; sed & appareat etiam infirmitas propria, pro qua sola (si licet) gloriari possunt.

X. Præmissâ igitur humili protestatione: *Veniam*, inquit Paulus, *ad visiones & revelationes Domini*: ubi S.Th. Lect.1. ait: *Differentia est inter visionem & revelationem; nam revelatio includit visionem, & non è converso; nam aliquando videntur aliqua, quorum intellectus & significatio est occulta videnti: & tunc est visio solùm; sicut fuit visio Pharaonis Gen.41., & Nabuchodonosor Daniel.2.; sed quando cum visione habetur significatio intellectus eorum quæ videntur, tunc est revelatio. Unde quantùm ad Pharaonem & Nabuchodonosor, visio de spicis & statua fuit solùm visio: sed quantùm ad Joseph & Danielem, qui significationem visorum habuerunt, fuit revelatio & Prophetia. Utrumque tamen scilicet visio & revelatio quandoque fit à Deo,* Daniel.2.:„ Est Deus in Cœlo revelans mysteria,„*Oseæ 12.*,„Ego visiones multiplicavi eis,„ . . *Quandoque verò à malo spiritu*:*Hierem.*23.„Prophetæ prophetabant in Baal,„. *Apostolo autem facta est & visio & revelatio, quia secreta quæ vidit plenè intellexit à Deo, non à malo spiritu. Unde dicit*,„ Veniam autem ad visiones & revelationes Domini.„

XI. At quamvis Paulus in eo raptu viderit, & ea quæ vidit plenè à Deo intellexerit; nescivit tamen, utrum in illa visione anima ejus fuerit totaliter separata à corpore, an verò animâ ejus existente conjunctâ corpori, mens ejus fuerit à sensibus corporeis alienata; & ideò dicit *sive in corpore, sive extra corpus nescio*. Sciebat tamen, ea, quæ viderat & intellexerat, propriè ac libero mentis judicio vidisse: *scio*, inquit, *hominem in Christo*. Et in hoc procul fuit ab hæresi seu insania, in quam posteà Montanistæ inciderunt, volentes (ut refert Eusebius L.5. Hist. c.17.) suos sectarios in raptibus, quos comminiscebantur (imò & Prophetas omnes) sic rapi extra se, ut loquerentur & operarentur, quid dicerent vel quid agerent nescientes.

XII. Tanta tamen & tam mirabilia fuerunt arcana, quæ vidit & intellexit, ut fateatur humano sermone exprimi non posse: *Raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Hoc certum judico, quòd, cùm ejusmodi raptus ad audienda arcana verba ad eum finem ordinatus fuerit, ut de Fidei mysteriis posset Gentes instruere; & hâc ratione eodem anno contigerit, quo declaratus fuit universalis Doctor & Magister Gentium; Paulus tunc plenè intellexerit omnia myste-

fteria, quæ docturus erat, & veritates, quas in suis Epistolis posteà descripsit. Hæc omnia se per revelationem agnovisse dicit, & præcipuè vocationem Gentium, ad Ephes.3. v.3. Probabile etiam est, clarè vidisse Humanitatem Christi in gloria sedentis, nec non Angelorum Choros, & intellexisse Cantica, quæ in laudem omnipotentis Dei continuè canunt, & totum Patriæ cœlestis splendorem vidisse, ex S.Greg. L.10. Moral. c.8.

Probabile etiam est, eum vidisse Deum non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem, & ut in se est, eo modo, quo clare videtur à Beatis. Ita sentit S. Augustinus L.12. de Genes. ad litt. c.38. & 34., & Ep.147. cap.13.; quem secutus est S.Th. pluribus in locis, & maximè in 2. ad Cor. cap.12. Lect.1.: *Nec enim*, inquit, *est probabile, ut Moyses minister veteris Testamenti ad Judæos, viderit Deum, & Minister novi Testamenti ad Gentes & Doctor Gentium hoc dono fuerit privatus*. Alii tamen contrarium sentiunt; sed quia hanc quæstionem egi tom. in 1. p. Tract. de Visione Dei qu.2. dub.1. §.2., ideò hic abstineo.

XIII. Hunc Pauli raptum innotuisse etiam Paganis, colligunt aliqui ex Luciano Philosopho Gentili, sive alio antiquiore, qui inducit Christianum nomine Tryphonem dicentem, se fuisse renatum aqua baptismatis ab isto Galilæo (quo nomine ex dictis vocabantur Christiani à Paganis quibusdam) qui elevatus in aera fuerat usque ad tertium Cœlum, & res admirabiles ibi didicerat.

Occasione hujus raptus Hæretici Cainistæ, Epiphanio teste hæres.38. cap.2., librum quemdam infamem ab ipsis compositum S. Paulo supposuerunt, quo etiam Gnostici utebantur: eum vocabant *Elevatio S. Pauli*. S.Augustinus etiam in Joann. tract.98. meminit libri sub nomine Pauli, titulum præferentis *Apocalypsis S.Pauli*, fabulis referti, in quo venditabatur, ea arcana describi, quæ S.Paulus dicit esse inenarrabilia nec licere homini ea loqui. Iste liber fortè ille fuit, de quo Sozomenus lib.7. Hist. cap. 29. dicit magno in pretio habitum fuisse V.Seculo apud multos Monachos; qui narrabant, se sub Theodosio I. illum invenisse Tharsi in domo S. Pauli; ejus tamen libri addit Sozomenus nullam apud antiquos notitiam extitisse. Quo fit, ut jure dubitari possit, an fuerit illemet, de quo Epiphanius dicit, apud Cainistas celebrem fuisse: eò vel maximè, quòd neque Augustinus neque Sozomenus dicunt, librum istum ipsis notum res infames continuisse, aliàs neque Monachi eum ut librum bonum celebrassent. Hoc verum est, quòd Sozomenus, cùm à quodam antiquo Ecclesiæ Tharsensis Presbytero de hoc libro inquisiisset, responsum

accepit, se nunquam audivisse hunc librum Tharsi fuisse inventum, sed potiùs se credere hoc ab Hæreticis dolosè excogitatum ac evulgatum fuisse.

XIV. Miraberis fortè, Lector, dum Paulum, quem hactenus audisti ad tertium Cœlum raptum, ibique supernis illustrationibus adeò insignitum, ac si beatis Spiritibus consors in gloria evasisset; inferiùs statim audieris, Satanæ viribus quasi derelictum, & ab eo colaphizatum; nec quamvis ter rogantem, ut à tali hoste eriperetur, fuisse à Deo exauditum. Cessabit tamen admiratio, dum advertes, hoc in bonum ejus fuisse permissum, ne scilicèt in tanta gratiarum abundantia sui met oblitus aliquem superbientis animi stimulum pateretur. Ita enim Ipse 2.Cor. 12. enarratis donis, quibus in suo raptu fuerat cumulatus, subjungit v. 7.: *Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

XV. Porrò quid intellexerit Paulus nomine stimuli carnis suæ, quem vocavit Angelum Satanæ, non una Patrum fuit sententia. Chrysostomus Homil. 26. in 2. ad Cor. censuit, Paulum eo nomine intellexisse obstaculum, quo Satan per Hymenæum, Philetem, & alios veritatis inimicos, progressui Evangelii obsistebat; hi enim opera Satanæ exercebant & Paulum in persona propria affligebant: à quo dissentire non videtur Nazianzenus Orat. 32., dum putat, hunc angelum Satanæ fuisse invidiam, quâ Diabolus felicibus Pauli in prædicatione progressibus invidebat. Verùm similes pœnæ & cruciatus spiritum potiùs affligunt, quàm carnem; cùm tamen Satanam ipsum affligentem vocet *stimulum carnis suæ*. Alii propterea de aliqua corporali infirmitate puta violento dolore capitis, aut alio simili exponunt: & S.Thomas in 2. ad Cor. cap. 12. Lect. 3. dicit, de dolore Iliaco posse intelligi his verbis: *Datus est inquam, mihi,, stimulus,, crucians corpus meum per infirmitatem corporis, ut anima sanetur, quia ad litteram dicitur, quod fuit vehementer afflictus dolore Iliaco.*

XVI. Alii verò (& quidem communiùs) censent, stimulum carnis fuisse vehementem tentationem, & carnis concupiscentiæ motum: & referunt Hieronymum, Bedam & alios veteres: Unde S. Gregorius L. 10. Moral. cap. 8. modò 10. admiratur, S. Paulum eodem tempore simùl in se ipso gestasse Cœlum & Infernum; Cœlum, ob sublimitatem supernorum luminum, & suarum virtutum; Infernum verò, propter tenebras, quas in ipso

ipso suæ carnis tentationes causabant. Hoc sentit etiam S.Th. citato loco dicens: *Vel*, stimulus carnis meæ „ *idest concupiscentia, surgens ex carne mea, à qua multùm infestabatur Rom*.7.„Non enim quod volo &c. Igitur ego ipse mente servio Legi Dei &c.„ *Vndè Augustinus dicit, quòd inerant ei motus concupiscentiæ, quos tamen Divina gratia refrænabat. Iste, inquam, stimulus est Angelus Satanæ, idest Angelus malignus. Est autem Angelus à Deo missus seu permissus, sed Satanæ; quia Satanæ intentio est, ut subvertat: Dei verò ut humiliet, & probatum reddat. Timeat peccator, si Apostolus, & Vas Electionis securus non erat*. Hactenus S.Thom., & hæc est omnium ferè Recentiorum sententia.

XVII. De remotione hujus stimuli sollicitus erat Paulus. „ Propter quod ter, *inquit*, *Dominum rogavi, ut discederet à me*,„ *Fortè pluries hoc petiit* (ait S. Th.) *sed expressè & instanter ter eum petiit, vel ter idest multoties; ternarius enim est numerus perfectus: & verè ipse rogandus est, quia ipse vulnerat & medetur*. Dominus autem eum non exaudivit: nam infirmus nesciens processum Medici apponentis mordax emplastrum, rogat Medicum, ut removeat; quem tamen, sciens Medicus causam, quare faciat, scilicet propter sanitatem, non exaudit eum, quantùm ad voluntatem petentis, magis curans de ejus utilitate. Sic Paulus dicit *ego rogavi*: sed Dominus respondit: non, *sed sufficit tibi gratia mea*: hâc te adjuvante infirmitas non erit ad mortem, sed ad vitam & robur; ego enim de veneno antidotum faciam. De hoc videndus est S.August. L.3. de Bonifacium c. 7. & alibi.

Nec valet si dicas, hoc esse contra promissum Christi Joan.14. v.13.: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*; vel enim indiscretè petiit, & sic peccavit petendo; vel discretè, & sic debebat exaudiri. Nam respondeo ex S.Thom. citato; quòd sicut potio in quantum secundùm se est amara est vitanda, tamen, qui considerat eam vtilem ad sanitatem, eam appetit: ita stimulus carnis secundùm se est affligens & vitandus, in quantum verò est via ad virtutem, & exercitium virtutis, non est refugiendus, sed saltèm patienter tolerandus, vel etiam appetendus: *Apostolus autem*, inquit S.Thom., *quia nondum revelatum ei erat illud secretum Divinæ providentiæ, ut ad utilitatem suam cederet, considerabat sibi malum quantùm in se est; & ideò petierat suam amotionem, nec in eo peccavit: sed Deus qui ordinaverat hoc ad bonum humilitatis suæ, non exaudivit eum quantùm ad ejus voluntatem: quod tamen sciens posteà Apostolus gloriabatur cum diceret* „ Libenter gloriabor in infirmitatibus meis„. *Et licèt non exaudiret eum quantùm ad voluntatem, exaudivit tamen eum, & exau-*

& exaudit Sanctos suos, quantùm ad ejus utilitatem: Unde dicit Hieronymus in Epist. ad Paulinum „ Bonus Dominus, qui sæpè non tribuit quod volumus, ut tribuat, quod mallemus. „

XVIII. Cognovit Paulus, quantùm infirmitas sua, inhabitante in ipsa virtute gratiæ Dei, acciperet roboris: unde fidenter posteà dicebat à v.9.: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cùm enim infirmor, tunc potens sum*. Quia quando infirmor, ideſt, quando infirmitatem meam cognoſcens in gratia Dei confido, tunc potens sum;& sic virtus in infirmitate perficitur. *Virtus* enim (inquit S.Thom.) *perficitur in infirmitate dupliciter, scilicet materialiter & occasionaliter. Si accipiatur materialiter, tunc est sensus: virtus in infirmitate perficitur, idest infirmitas est materia exercendæ virtutis; & primò humilitatis, secundò patientiæ, Jacobi 1.* „ Tribulatio patientiam operatur „ *tertiò temperantiæ, quia ex infirmitate debilitatur fomes, & temperatus efficitur quis. Si verò accipiatur occasionaliter, tunc virtus in infirmitate perficitur, idest infirmitas est occasio perveniendi ad perfectam virtutem, quia homo sciens se infirmum magis sollicitatur ad resistendum; & ex hoc quòd magis resistit & pugnat, efficitur exercitatior, & per consequens fortior: & ideò Judicum 3. legitur, quòd Dominus noluit destruere omnes habitatores terræ, sed aliquos reservavit, ut scilicèt filii Israel exercerentur pugnando cum eis. Sic etiam Scipio nolebat destructionem Civitatis Carthaginensis, ut scilicet dum Romani haberent hostes exteriùs, non sentirent hostes interiores, contra quos durius bellum est quàm contra exteriores, ut ipse dicebat*. Sic ergo infirmitas Pauli exercitata & pugnans contra hoſtes, tum externos tum internos, adeò per gratiam Dei evaſit perfecta & fortis, ut nec Gentes omnes totumque Orbem adverſum ſe conjuratum timeret, ut infra videbimus, ſed intrepidè diceret: *Omnia possum in eo qui me confortat* (Philipp. 4. v. 13.)

XIX. Paulus igitur ſciens,ſe ad præliandum adversùs quodcumque genus hoſtium Apoſtolico miniſterio à Deo deſtinatum, ſic vitam ſuam compoſuit, tamquam in continuo agone conſtitutus. Sic enim ipſe 1. Cor.9. v.25.: *Omnis*, inquit, *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.... ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo; ne fortè cùm aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar*. Nedum enim ea, quæ Apoſtolatus ſunt, docendo implebat, ſed vitæ ſeveritate corpus ſuum jeju-

jejuniis vigiliis humilitate patientiâ spiritui servire cogebat, & rationi sensualitatem subjiciebat. Ibat gaudens à conspectu Concilii & Principum, quoniam dignus habitus esset pro nomine Jesu contumeliam pati (Act. 5. v. 41.) Gloriabatur, se tanquam insipientem ac stultum contemni, tamquam vilem pauperem nudum manibus suis sibi victum quærentem despici, tanquam purgamentum hujus Mundi & omnium peripsema haberi: maledictionibus, blasphemiis, persecutionibus, benedictionibus obsequiis patientiâ respondebat. Ita characterem sui Apostolatus depingit Corinthiis, qui eum despiciebant 1. Cor. 1. v. 10.: *Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo, nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles: Usque in hanc horam & esurimus & sitimus & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus: & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur & benedicimus, persecutionem patimur & sustinemus: blasphemamur & obsecramus: tanquam purgamenta hujus Mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc.* Iste ergo Paulus, ut stultus vilis nudus ut purgamentum ut peripsema habitus, totum Mundum Christo subegit; relinquens exemplum, quod imitentur quicumque Apostolicum Ministerium ad Gentes assumunt, ut non gloriam suam non quæstum non lucrum quærant, sed unicè gloriam Christi. Sic enim tandem de illis Nationes dicent, quod olim impii Sap. 5. v. 3. &c.: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii . . . . . Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei & inter Sanctos sors illorum est.*

XX. Quâ verò vivendi ratione se gesserit S. Paulus, ostendunt supra citata verba: *laboramus operantes manibus nostris*: nam quamvis ipse, & Barnabas, sicut cæteri Apostoli, haberent potestatem de Evangelio vivendi 1. Cor. 9. v. 7.; *Quis enim militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit Gregem, & de lacte Gregis non manducat?* Ipse tamen hac potestate noluit uti v. 15.: *Ego autem nullo horum usus sum*: tum ne eos quibus prædicabat gravaret neque hoc onere ab Evangelio retrahi possent; & ideò 1. Thessal. 2. v. 7. & 9.: *Memores enim estis, fratres, laboris nostri & fatigationis; nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei*: tum ut se à quibusdam Pseudo apostolis secerneret, qui propter quæstum Corinthiis prædicaverant 2. Cor. 11. v. 9.: tum ut exemplum Fidelibus daret otium vitandi; sic 2. Thess. 3., ubi postquam dixit, se in nullo eos gravasse, subjungit v. 9.: *Non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nos metipsos formam*

mam daremus vobis ad imitandum nos. Quare hoc præcipuè observavit apud Corinthios, Thessalonicenses, & in Asia, nam Act.20. v.34.: *Ipsi scitis*, inquit, *quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*.

Hâc eâdem ratione nec ipse nec Barnabas mulieres, quæ eis ministrarent, sicut cæteri Apostoli faciebant, secum ducebant: unde 1.Cor.9. v.6. ait: *Aut ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?* Non negaverim tamen, quin aliquando subsidia pro se ac suis à Fidelibus transmissa receperit, de quo ad Philipp.4. agit gratias dicens v. 15.: *Scitis autem & vos, Philippenses, quòd in principio Evangelii, quando profectus à Macedonia nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati & accepti, nisi vos soli: quia & Thessalonicam semèl & bis in usum mihi misistis*: ubi S.Th. Lect. 2.: *A quibusdam enim* (inquit) *nihil accipiebat, scilicet Corinthiis & Thessalonicensibus, & quia Corinthii erant avari, & cum turbatione ministrassent: & quia Thessalonicenses erant otio dediti, laborabat, dans eis exemplum laborandi: Isti verò* (Philippenses) *erant boni in absentia & præsentia: unde dicit 2.Cor.11.v.8.:* „Alias Ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum,„... *Et hoc est argumentum, quòd Papa potest ab una Ecclesia accipere in subsidium aliarum, non autem sine quacumque causa*. Ita S.Thomas. Quo genere opificij Paulus laboraret, ostendi supra §.1. num.4., nunc resumamus Historiam.

§. VII.

Prædicatio in Cypro, Magi obcæcatio, Proconsulis Conversio, Sauli in nomen Pauli mutatio.

I. SAulus & Barnabas post acceptam impositionem manuum missi à Spiritu Sancto, relictâ Antiochiâ, ubi aderant multi ministerio ac Fidelibus in Fide confirmandis idonei, nec non Phæniciâ, utpotè Palæstinæ propinquâ, Cyprum regionem magis remotam navigare decreverunt; & assumto adiutore Joanne Marco, quem è Jerusalem adduxerant, pertranseuntes Seleuciam, Salaminam Insulæ Cypri Urbem præcipuam devenerunt. Ita refert Lucas Act.13. v.4.: *Et ipsi quidem missi à Spiritu Sancto abierunt Seleuciam, & inde navigaverunt Cyprum; & cum venissent Salaminam, prædicabant Verbum Dei in Synagogis Judæorum. Habebant autem & Joannem in ministerio*: ubi Chrysostomus Hom.28.: *Ordinati*, inquit, *simul exierunt, & in Cyprum navigarunt, eò quod illic nullæ essent insidiæ, & Verbum Dei jam disse-*

disseminatum esset: Antiochiæ quidem jam multi erant: Phœnicia prope Palæstinam erat, Cyprus non item. Cæterùm ne quæras quare, quando spiritu moventur; non solùm enim spiritu sunt ordinati, sed etiam missi. In hac insula prædicatum jam fuisse Evangelium in dispersione, quæ facta fuerat sub Stephano, habetur Act. 11. v. 19.; sed ibi dicitur, quòd non fuit annuntiatum nisi solis Judæis, qui etiam ulteriori instructione indigebant, & rursùs annuntiandum erat etiam Gentilibus. Illuc ergo Saulus & Barnabas cùm adventassent, primò in Synagogis Judæorum Verbum Dei prædicare cœperunt, ne superba Natio se postpositam videns, ad illud recipiendum obstinatior redderetur.

II. Interea addit Lucas v. 6.: Perambularunt universam insulam usque Paphum alteram insulæ extremitatem. Quò conjicere licet non pervenisse, nisi elapso jam anno ab eorum ordinatione, nempè anno Christi 45., aut etiam biennio, ut putat Baronius ad ann. Christi 46., cùm de hoc nihil certi statui possit. Insulæ Cypri erat tunc Proconsul quidam nomine Sergius. De hoc dubitatur, quomodo Sergius iste dicatur à Luca Proconsul, & non potiùs Prætor, cùm Insula Cyprus non esset Proconsularis, sed Prætoria, nam ut refert Strabo L. 14. in fine, Insula Cypri erat inter Provincias Imperatori subjectas, ad quas regendas non mittebantur Proconsules, ut ad eas quæ ad Populum Romanum spectabant, sed Prætores seù Proprætores, qui eam Imperatoris nomine gubernarent. Hoc dubium solvit Tilmontius Nota 14. in Paulo; quòd Cypri Insula fuerit aliquo tempore Imperatoria, & nomine Imperatoris per Prætores gubernata. Refert tamen Dio L. 53., quòd Augustus eam posteà Populo restituit, ejusque nomine regi per Proconsulem cœpit: ideoque Sergius benè dicitur Proconsul, cùm Saulus & Barnabas illuc accesserunt: sicut 25. aut 30. annis post Sergium sub Vespasiano Eprius Marcellus dicitur Proconsul Cypri. Aliâ viâ se expedit Baronius ad ann. 46. num. 11. dicendo, quòd cur Sergius non Prætor sed Proconsul à Luca nominetur, ea videtur esse ratio, quòd eadem prætoria Provincia honoris causâ sæpè data est administranda Ciliciæ Proconsuli, ut inter alios Publio Lentulo. quod non illi tantùm sed & successoribus æquè fuisse concessum par est credere; cùm nullibi se legisse dicat Baronius aliquem Insulæ Cypri Prætorem. Unde colligit, se putare Sergium hunc Proconsulem dici, quòd etiam Ciliciam Proconsularem Provinciam administraret; sed à brevi hac digressione ad rem nostram redeamus.

III. Narrat ergo S. Lucas Act. 13. à v. 6., quòd *Cùm* Saulus &

Barnabas *perambulassent universam Insulam usque Paphum, invenerunt quemdam virum Magum Pseudo-Prophetam Judæum, cui nomen erat Bar-Jesu, qui erat cum Proconsule Sergio Paulo viro prudente. Hic, accersitis Barnaba & Saulo, desiderabat audire Verbum Dei: resistebat autem illis Elymas Magus (sic enim interpretatur nomen ejus) quærens avertere Proconsulem à Fide. Saulus autem, qui & Paulus, repletus Spiritu Sancto intuens in eum dixit: O plene omni dolo & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns solem usque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ; & circuiens quærebat, qui ei manum daret. Tunc Proconsul, cùm vidisset factum, credidit; admirans super Doctrina Domini.* Hucusque Lucas.

IV. His nobis proponuntur Proconsul cupiens audire Verbum Dei, Elymas Magus resistens, Paulus illum increpans & obcæcans, & tandem Proconsul admirans & credens. Super quæ Chrysostomus Hom. 28. advertit: Primò, Magum istum Elymam obsistere Paulo, sicut Magum Simonem Petro. *Rursum*, inquit, *Magus Judæus, sicut Simon*. Secundò, Magum indignatum fuisse, non cùm aliis Saulus & Barnabas prædicarent, sed cùm Proconsul eos accersisset: *Considera ipsum, dum aliis prædicabant, non multum indignantem, sed cùm Proconsulem adiissent;* prævidebat enim, Proconsule in Christum credente, se ejus auctoritate ac patrocinio destituendum fore. Tertiò, quòd non obstante resistentiâ Magi Proconsul voluerit audire Apostolos: & ita Samaritani fecerunt, qui, non obstante Simonis Magi resistentiâ, voluerunt audire Petrum, & sic conversi sunt: *Quod autem in Proconsule mirum est, quòd illius magiâ præoccupatus, voluerit Apostolos audire: sic & Samaritani fecerunt, & ex comparatione victoria apparet, & magia vincitur.*

V. Paulus verò detectâ Magi malitiâ, quâ auertere à salute conabatur Proconsulem, non contumeliis sed justâ increpatione illum aggrediens: *Non desinis*, inquit, *subvertere vias Domini?* Quasi dicat, ait Chrysostomus: *Non contra nos decertas & pugnas, sed vias Domini rectas subvertis*. Indè ad mulctam in eum procedens: Eris, inquit, cæcus: & statim cæcus factus quærebat, qui eum manu duceret. Sed cur cæcitatem potiùs quàm aliam pœnam imprecatus, Paulus Magum percussit? Ut obcæcatis oculis corporis, ad lucem veritatis aperiret oculos mentis; sperans, & in ipso eventurum, quod in se ipso expertus fuerat: & ideò non dixit illi *eris cæcus* simpliciter, sed eris cæcus *usque*

usque ad tempus. Unde Chrysostomus: *Quo ipse*, inquit, *reductus est signo, hoc & illum vult reducere: & illud*,, usque ad tempus ,, *non punientis dictum est sed convertentis: nam si punientis esset, illum in perpetuum fecisset cæcum. Nunc verò non hoc agit, sed ad tempus, ut Proconsulem lucretur*. Ex Chrysostomo igitur, & modo quo locutus est Paulus, si non certum, valdè saltem credibile apparet, Magum istum post aliquod tempus ejuratâ magiâ, Fidem Christi amplexum fuisse, & sic duplici lumine corporis & mentis donatum evasisse. Non me fugit, Baronium ad ann.46. num. 12. aliter sentire, ait enim:,, Tantum enim abfuit ut ,, Elymas Magus cæcitate percussus aliquando resipuerit, ut ,, magis ac magis in Evangelicam Doctrinam insaniens (quod ,, testatur Dionysius L. de Divin. nom. cap.8.) librum ediderit ,, adversus Pauli prædicationem & Christi Fidem.,, Si recentium Criticorum induerem spiritum; testimonium, cui Baronius fidit, deberem cum risu excipere, illudque ceu apocryphum & falso Dionysio Areopagitæ affictum statim rejicere. Sed quia, ut supra dixi, me tanti non facio, ut contra veterum traditionem audeam insurgere: dicam, salvâ Baronio reverentiâ, ex testimonio Dionysii dicentis, Elymam Magum librum contra Pauli prædicationem & Christi fidem scripsisse, non haberi quòd hunc librum scripserit post Pauli adventum & sui cæcitatem, & non potiùs ante; & rursùs licèt scripserit post, nunquam tamen resipuerit. Cùm enim cæcitate percussus fuerit usque ad tempus, adest ratio credendi, ad tempus quidem cæcitate & errore fuisse detentum, non tamen usque ad extremum. Tandem dicere possem, me Libros Dionysii non rejicere quidem ut apocryphos & spurios, sed neque illos suscipere ut canonicos, quin in eos aliquid falsi aut deceptionis irrepere potuerit.

VI. Proconsul igitur subitâ Magi cæcitate perculsus, & admirans Doctrinam Dei, statim credidit, & se in Christi servum mancipavit. Quid posteà huic Proconsuli Sergio Paulo post Conversionem acciderit, nec Scriptura, nec probata Historia tradunt. Solùm habemus, eum fuisse virum sapientiâ & prudentiâ clarum, qui apud se Magum quemdam Numinibus, ut ipse censebat, acceptissimum retinebat. Accepto tamen de adventu Pauli & Barnabæ in Cyprum nuntio, ad se accersiri, ut Verbum Dei audiret, jussit. Elymas Magus impedire Præsidem ab hoc congressu conabatur, sed frustra: nam à Paulo objurgatus & cæcitate percussus fuit: quod factum Proconsulem traxit ad Christi Fidem. De ipso posteà nihil. Volunt quidam (apud Bol-

land. 22. Mart.) hunc Proconsulem fuisse Sergium primum Ecclesiæ Narbonensis Episcopum: accuratiores tamen Critici existimant, Sergium primùm Narbonensem Episcopum, esse duobus seculis ad minùs Sergio Proconsule posteriorem.

VII. Quod hic in controversiam vocari solet, est, an hæc duplex victoria de Mago cæcitate percusso, & de Sergio Proconsule ad Fidem converso, à Paulo reportata, fuerit causa, vel saltèm occasio, ut nomen Sauli in Pauli nomen illi verteretur. In hac resolvenda, non una est Patrum sententia. Chrysostomus Homil. 28. in Acta, censet Saulo inditum fuisse Pauli nomen post ejus Ordinationem, sicut Simoni *Cephæ* seu *Petri* nomen à Christo, postquam eum ad Apostolatum vocavit: *Hìc nomen illius mutatur post Ordinationem: id quod etiam Petro accidit.* Idem videtur sentire Theodoritus in cap. 1. ad Rom. dicens, hoc nomen Pauli à sua familia eum non accepisse, sed eo post suam vocationem decoratum fuisse, sicut Simon nomine Petri fuit insignitus; non designat tamen tempus, quo post Ordinationem & vocationem Pauli nomen assumserit, an statim, an aliquantò post.

VIII. Alii, ut Origenes in 1. ad Rom. volunt, ab initio Apostolum fuisse binomium, nempè Saulum & Paulum nomine, & retinuisse nomen Sauli, dum apud Judæos versaretur; nomen verò Pauli, utpotè nomen Romanum usurpasse, cùm primò cœpit annuntiare Evangelium Nationibus, Græcis nempè ac Romanis. Ac reverà S. Lucas hic incipit eum nomine Pauli vocare v. 9. *Saulus qui & Paulus*, dum eum in Cypro statuit, & Sergium Paulum Proconsulem convertentem describit. Hanc advertens circumstantiam S. Hieronymus ad Philemonem dicit, tunc eum accepisse Pauli nomen tanquam characterem hujus primæ victoriæ, quam Jesus Christus ei dedit supra Dæmonem; cui assentiri videtur S. August. L. 8. Confess. cap. 4. Aliqui tamen humilitatem Pauli considerantes volunt, hoc nomen Paulum sibi non arrogasse, sed potiùs ab ipsomet Proconsule Sergio Paulo suum nomen more Romano ei tanquam suæ salutis auctori dono dedisse.

Utut res fuerit, conformius videtur Actis Apost. & etiam Patribus, Apostolum ante vel non habuisse, vel usui non habuisse Pauli nomen, & tunc solùm eo nuncupari cœpisse, postquam Proconsulem ejusdem nominis Christo lucratus fuit: sive quòd ipsemet illud assumserit, ut Deo gratias ageret de victoria à Dæmone reportata, sive propter Græcos quibuscum cœperat conversari: sive quòd Proconsul ipse in gratiam accepti be-

beneficii & amicitiæ signum eum suo nomine donare voluerit.

IX. Quæstionem hanc de Pauli nomine disertè tractat S.Th. in cap.1. ad Rom. Lect.1., cujus verba sunt sequentia: *Circa* nomen Pauli *tria consideranda sunt. Primò quidem proprietas ejus: Hoc enim nomen (secundùm quod his litteris describitur) non potest Hebraicum esse, quia apud Hebraicos non invenitur hoc elementum P., sed potest esse Græcum & Latinum: si tamen aliquod elementum ei propinquum sumatur, id quod est P. potest esse Hebræum.*

Secundò consideranda ejus significatio: secundùm enim quod potest Hebræum esse, idem est quod Mirabilis *vel* Electus : *secundùm autem quod est Græcum, idem est quod* Quietus : *secundùm verò quod est Latinum, idem est quod* Modicus : *& hæc quidem ei conveniunt. Electus quidem fuit quantum ad gratiam: Unde Act.9. v.15.,,*Vas electionis est mihi iste,,. *Mirabilis fuit in opere, Ecclesiastici 43.,,*Vas admirabile opus excelsi,,.*Quietus in contemplatione Sap.8.v.16.,,*Intrans in domum meam conquiescam cum illa,,. *Modicus per humilitatem 2. Cor.15. v.9.* ,, Ego autem sum minimus Apostolorum.,,

Tertiò considerandum est, quando sit hoc nomen Apostolo impositum, cùm tamen ante Saulus vocaretur, ut habetur Act.9. Circa hoc triplex est opinio. Hieronymus dicit, quòd cùm priùs vocaretur Saulus, postmodum voluit vocari Paulus propter quoddam insigne factum quod fecit, scilicet quia convertit Sergium Paulum Proconsulem ut habetur Act.13. sicut & Scipio dictus est Africanus, quia devicit Africam. Alii verò dicunt, quòd hoc nomen impositum est sibi propter profectum virtutum, qui ex hoc nomine signatur, ut dictum est. Imponuntur enim divinitus quibusdam nomina à principio nativitatis ad designandam gratiam, quam à principio consequuntur, sicut patet de Joanne Baptista Lucæ 1. Quibusdam verò mutantur nomina ad designandum profectum virtutis eorum, ut Chrysostomus dicit: Sicut patet de Abraham Gen. 17. & Petro Matth.16. Alii verò dicunt, & meliùs, quòd Paulus fuit à principio binomius: Consuetum enim erat apud Judæos, ut simùl cum nominibus Hebraicis assumerent sibi nomina illarum Gentium, quibus serviebant, sicut Græcis servientes nominabantur nominibus Græcorum, ut patet de Jasone & Menelao 2. Machab.4.: Hoc autem nomen Paulus *ab antiquo celebre fuit apud Romanos: & ideò cum diceretur* Saulus *secundùm Hebræos, vocatus est etiam* Paulus *secundùm Romanos: quo nomine non videtur usus, nisi postquam cæpit Gentibus prædicare. Unde Act.13. dicitur ,,* Saulus qui

& Pau-

& Paulus „ *& hoc magis approbat Augustinus*. Hactenus S. Thomas.

§. VIII.

Prædicatio Antiochiæ Pisidiæ, Iconii, Lystris & usque ad Illyrium.

I. PRoconsulem Christo lucratus Paulus cum suis absque mora è Papho discedit. *Perpende* (inquit Chrysostomus Hom.28. in Acta) *illos non istic moram trahentes, utpote Proconsule jam credente, neque adulatione & honore emolliti sunt, sed statim operi se dediderunt, & in transmarinam Regionem se contulerunt*. Ubi enim narravit Lucas, quòd Proconsul *credidit admirans* &c. statim nullo interjecto, subjicit cap.13. v.13.: *Et cùm à Papho navigassent Paulus & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ: Joannes autem discedens ab eis, reversus est Hierosolymam. Illi verò pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ*. Joannes Marcus discedit, vel longioris itineris tædio vel amore Patriæ, & reversus est Hierosolymam. Illi autem Pergen Pamphyliæ relinquentes,& alias prætercurrentes Civitates, Antiochiam Pisidiæ Metropolim iter direxerunt. Quò cùm navigio appulissent, Paulus Apostolico ministerio, quod in Cypro solùm transeunter obierat, fixè ac sedulò exercendo sese accinxit.

II. Ingressi Paulus & Barnabas Antiochiam die Sabbati, induti (ut notat Chrysostomus Hom. 28.) habitu Judæorum, ne malè haberentur, aut pellerentur, rectâ ad Synagogam se contulerunt v.14.: *Et ingressi Synagogam die Sabbatorum sederunt. Post lectionem autem Legis & Prophetarum, miserunt Principes Sacerdotum ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite*. Ubi Chrysostomus: *Sederunt*, (inquit,) *ut sermoni viam pararent, nec priores loquuntur, sed invitati, & quasi hospites provocati*. Ideoque Synagogæ Princeps, videns hospites illos sedentes, ex urbanitate ad illos misit, ut si quid exhortationis dicendum haberent ad Populum, loquerentur. Hoc erat quod expetebat, quia ad hoc venerat Paulus. Unde statim surgens, & manu silentium more Judæorum indicens, cœpit loqui. Notat Chrysostomus Hom.29. Barnabæ modestiam ubique cedentis Paulo, ut & Joannis ubique cedentis Petro; Barnabas enim duxerat Saulum Damasco, & antiquior & venerabilior erat, sed ambo ad communem utilitatem spe-

cta-

ſtabant, & Jeſu gloriam, ideoque ad hanc promovendam eminentiori gratiâ ornatum Paulum ſciens, ei libenter loco cedit.

III. Paulus os ſuum aperit, & ut boni Oratoris partes impleat, ad ſe animos audientium trahendo, à Divina bonitate exordium ſumit, oſtendens, quot & quanta in gratiam eorum Nationis fecerit Deus: Primò enim in brachio excelſo eduxit Majores eorum ex Ægypto, per quadraginta annos ſuſtinuit eos in deſerto, ſeptem Gentes deſtruxit, ut eis terram Chanaan traderet poſſidendam, dedit eis Judices uſque ad Samuel, eis petentibus dedit Regem Saul, deinde David. Cumque ſermo ſuper David cecidiſſet; in mentem eis revocavit promiſſiones de Salvatore Iſrael ex ejus ſtirpe naſcituro, & has promiſſiones oſtendit eis fuiſſe adimpletas in Chriſto Jeſu, etiam ipſius Joannis Baptiſtæ teſtimonio; ſubinde de ejus morte loquitur à Prophetis prædicta, & per habitantes Jeruſalem & Principes ejus, ex ignorantia impleta, ſuſpendentes eum in ligno. Quem tamen tertiâ die Deus ſuſcitavit à mortuis, cujus adhuc teſtes ſunt multi, qui viderunt eum vivere, nec ampliùs moriturum, quod ex Scripturis demonſtrat. Demum hunc eſſe unicum Salvatorem à Prophetis prædictum oſtendens, concludit v.38.: *Notum igitur ſit vobis, viri fratres, quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur: & ab omnibus, quibus non potuiſtis in Lege Moyſi juſtificari; in hoc omnis qui credit, juſtificatur. Videte ergo ne ſuperveniat vobis, quod dictum eſt in Prophetis*: nimirùm, quòd qui non crediderit, diſpergetur. Ubi nota diſcretum Pauli loquendi modum. Ne Judæos, quos alloquitur, abſterreat, crimen mortis Jeſu non in totam Gentem Judaicam rejicit, ſed in habitantes Hieruſalem & Principes eorum: quorum etiam crimen minuere curat dicens, quòd ex ignorantia fecerunt, & fecerunt, quia ſic oportuit fieri. *Itaque ignorantiæ peccatum erat: Vide, quomodo illos leniter defendit: Neque hoc tantùm, ſed etiam ita fieri oportuiſſe adjicit* (Chryſoſtomus Hom.29.)

IV. Hoc diſcreto & ſuavi loquendi modo, tantum abfuit, ut Judæos audientes exaſperaret Paulus, quin potiùs deſiderio illum iterum audiendi accenſi v.42.: *Exeuntibus illis, rogabant, ut ſequenti Sabbato loquerentur ſibi verba hæc. Cumque dimiſſa eſſet Synagoga, ſecuti ſunt multi Judæorum, & colentium advenarum Paulum & Barnabam, qui loquentes ſuadebant eis, ut permanerent in gratia Dei*. Super quæ Chryſoſtomus Hom. 30.: *Vidiſtin'*, inquit, *Pauli prudentiam? Non tunc tantùm in admiratione fuit; ſed etiam iterum audiendi deſiderium immiſit illis, cùm ſemina quædam*

dam injecisset, ac nondum absolvisset, neque verbis finem fecisset, ut illos sibi conciliaret ac benevolos redderet; neque omnia simul ingerendo, nauseam pareret. Dixerat, remissionem peccatorum per Hunc sibi annuntiari: quomodo autem, non declaravit .... Viden' quanta alacritas? Sequebantur illos, inquit, (multi ex Judæis & proselytis) *cur illos non statim baptizavit? Non erat tempus. Persuadere oportebat, ut firmi manerent.*

V. Hisce tamen faustis initiis non respondit progressus. Indictâ Sabbati die magnus undique in Synagogam ad audiendum Paulum concursus factus est: sic v.44.: *Sequenti verò Sabbato penè universa Civitas convenit audire Verbum Dei*: sed quia fortè etiam Gentiles contra Judaicas regulas in Synagogam intraverant; sive quia invidiam conceperant: *Videntes turbas Judæi, repleti sunt zelo & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blasphemantes*. Quare Paulus & Barnabas zelo accensi liberioribus verbis eis dixerunt: *Vobis oportebat primùm loqui Verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ; Ecce convertimur ad Gentes: sic enim præcepit nobis Dominus*: quasi dicerent: nos implevimus, quod nobis injunctum erat, primò veniendi ad vos; sed quia hâc gratiâ vos indignos judicatis (non dicunt quia indigni estis) ideò vobis sententiâ vestrâ derelictis, aliud præceptum Dei implentes convertimur ad Gentes. Sententia hæc exitialis Judæis æquè fuit materia gaudii Gentilibus; ideoque v.48. dicitur: *Audientes autem Gentes gavisæ sunt, & glorificabant Verbum Domini & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem Verbum Domini per universam Regionem*: Meritò, inquam, gaudebant Gentes, dum audiebant, se vocari in possessionem eorum, quæ Judæis promissa fuerant. At Judæi nihil de hac jactura commoti imò furore obcæcati, *concitaverunt mulieres religiosas & honestas, & primos Civitatis, & excitaverunt persecutionem in Paulum & Barnabam, & ejecerunt eos de finibus suis: at illi excusso pulvere pedum in eos, venerunt Iconium*. Hoc facto implentes *terribile illud, quod jusserat Christus, dicens* Lucæ 9. v.5. „ Et si quis „vos non receperit, egressi excutite pulverem pedum vestrorum„ *Neque hoc temerè fecerunt, sed postquam ejecti sunt ab illis*. Ita ex Chrysostomo Hom.30., qui addit: *Cæterùm neque hoc Discipulis nocuit, sed magis perseverarunt in verbo: ideo hoc declarans adjicit*: v.52. „ Discipuli autem replebantur gaudio, & Spiritu Sancto „ *Magistri namque ærumna Discipuli fiduciam non tollit, sed alacriorem illum reddit*.

VI. Ejecti igitur Antiochiâ Pisidiæ Paulus & Barnabas venerunt-

nerunt Iconium Lycaoniæ Urbem. Illic quamvis à Deo suæ cæcitati derelictos jam pronuntiassent Judæos, attamen obliti malorum, quæ in ipsos inteutaverant, urgente caritate, eorum corda adhuc verbo Dei pulsare decreverunt. Ingressis igitur Synagogam res initio benè cessit; nam Act.14.v.1. dicitur: *Factum est autem Iconij, ut simul introirent in Synagogam Judæorum, & loquerentur; itaut crederet Judæorum & Græcorum copiosa multitudo*. Verùm *qui increduli fuerant Judæi, suscitaverunt & ad iracundiam concitaverunt animas Gentium adversus fratres*, quasi commoverent Populum; vel aliis calumniis eos onerando: non tamen abierunt Apostoli; *Quia non pellebantur, sed tantùm impugnabantur* (inquit Chrysostomus Hom. 30.) sed ibi diu morati sunt: unde v. 3.: *Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino testimonium perhibente verbo Gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum*. Licèt autem Chrysostomus inter signa reputet, quòd auditores crederent; præter hoc tamen existimo alia Prodigia & Miracula patrasse, quibus verbo Gratiæ, quod prædicabant, Deus testimonium daret. Hoc tempore creditur, S.Paulum Theclam ad Christum Iconii convertisse; &, ut nuptiis ad quas quærebatur renuntiaret, persuasisse. Imò Chrysostomus Hom. 25. in Acta, tanto ardore videndi Paulum eam fuisse accensam, dicit, quòd *ut Paulum videret, aurum suum dedit*. Dum tamen Apostoli Iconii sedulam Christo navabant operam, eique Fideles multiplicabant, non destiterunt Judæi increduli zizaniorum semina contra eos serere; adeo ut dicat Lucas v. 4.: *Divisa est autem multitudo Civitatis, & quidam erant cum Judæis, quidam verò cum Apostolis*: sed demum videntes, incredulorum Judæorum operâ etiam Magistratum Gentium in suam necem misceri, ac sibi lapides ultra contumelias instare, abierunt. V.5.: *Cùm autem factus esset impetus Gentilium & Judæorum cum Principibus suis, ut contumeliis illos afficerent, & lapidarent eos: Intelligentes confugerunt ad Civitates Lystram & Derben, & universam in circuitu Regionem, & ibi Evangelizantes erant*.

VII. Ex his magis magisque apparet, Apostolorum de uno ad alium locum fugam, non metu mortis, sed studio se ipsos servandi ulteriori prædicationi ac novis gravioribusque periculis, fuisse promotam: ideoque fugâ Antiochiâ elapsi, per universam Lycaoniam verbum annuntiantes, Lystram & Derben devenerunt anno Christi 46., sive ut vult Baronius 48. Lystris existens Paulus, ut refert S.Lucas cap.14.v.7., Claudum ab utero matris suæ solo vocis imperio sanavit: *Et quidam*, inquit, *vir*

Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex utero matris suæ, qui numquam ambulaverat. Hic audivit Paulum loquentem: qui intuitus eum & videns quia Fidem haberet, ut salvus fieret, dixit magnâ voce: Surge super pedes tuos rectus: & exilivit & ambulabat: sanitate scilicet tum corporis tum animæ per Fidem donatus. Cùm S. Lucas hoc primum inter miracula à S. Paulo patrata particulariter narret, putant aliqui, antea à S. Paulo nullum editum miraculum, inter quos videtur esse Chrysostomus, ut supra; sed præterquamquòd ex dictis multa signa & prodigia dum Iconii morarentur operatos fuisse dicit Lucas, negari saltèm non potest, subitam Elymæ Magi cæcitatem ad Pauli vocem visibile ac verum fuisse miraculum.

VIII. Prodigiosa ista sanatio in tantam admirationem Turbas, quæ eam viderunt, attraxit, ut Paulum & Barnabam duos Deos, qui sub forma hominum ad eas descendissent, conclamarint; Barnabam quidem, quia (ut opinatur Chrysostomus) aspectu venerabilior, vocantes Jovem, Paulum verò, quia dux verbi erat, appellantes Mercurium: adeòque hæc popularis existimatio crevit, ut Sacerdos ipse Jovis victimas ut Diis eis immolare paratus esset. Ita v. 10. *Turbæ autem cum vidissent, quòd fecerat Paulus, levaverunt vocem suam Lycaonicè dicentes: Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos: & vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium, quoniam ipse erat dux Verbi. Sacerdos quoque Jovis, qui erat ante Civitatem, tauros & coronas ante januas afferens, cum Populis volebat sacrificare.*

At Apostoli, quibus nihil esse poterat horribilius, quàm gloriam Deo eripi, pro qua vnicè promovenda periculis se ipsos ac vitam suam exponebant, ad hoc velut ad blasphemiam exhorrentes, ac vestimenta sibi scindentes, in medium Turbarum se projecerunt, clamantes & dicentes: *Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum, qui fecit cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt.* Quæ considerans Chrysostomus Homil. 31. ait: *Vide Apostolos omnia cum vehementia facientes: sciderunt vestes, exilierunt, clamarunt: quæ fiebant omnia ex affectu aversantes, & luctus signa dantes. Luctus quippe verè erat, luctus non consolabilis, si quidem voluissent pro Diis haberi & idololatriam inducere, quam solutum venerant. Illud porrò erat Diaboli machinamentum; at illi non quiescunt; sed quid?* „Nos similes vobis passibiles sumus homines„ *inquiunt: statim ab initio malum subverterunt: non dixerunt simpliciter homines, sed sicut vos. Deinde, ne viderentur Deos venerari, audi quid adjiciant* „ Annuntian-

tiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum,, &c. Hæc & alia Apoſtoli dixerunt: *Et hæc dicentes vix ſedaverunt Turbas, ne ſibi immolarent*, v.17.

IX. Verùm, ut variabilis eſt hominum genius, Apoſtolos, quibus inſanientes tanquam Diis immolare volebant, mox furentes lapidibus obruere ac necare tentarunt; ſic enim Lucas v.18.: *Supervenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Judæi; & perſuaſis Turbis, lapidanteſque Paulum, traxerunt extra Civitatem, exiſtimantes eum mortuum eſſe.* Non contenti, Apoſtolos expuliſſe è Civitatibus ſuis, eos quoque in alienis perſequuntur: *Verè Diaboli filii* (inquit Chryſoſtomus Homil.31.) *non in Civitatibus modò ſuis, ſed extra illas hoc faciebant: & tanto ſtudio curabant prædicationem de medio tollere, quanto Apoſtoli illam firmare conabantur*: & quod rarius eſt, in eadem Civitate, in qua apud Turbas in tanta admiratione fuerunt, ut Dii proclamarentur, mox ab eiſdem, vel ſaltèm à multis quærerentur ad necem. Putat S.Aſterius Orat.12., lapides iſtos, quibus lapidatus eſt Paulus, ſerviviſſe Divinæ juſtitiæ ad puniendum ipſum de lapidibus, quos, etſi aliorum manu, ipſe jecerat in Stephanum, ut ſic eodem ſupplicio expiaret culpam.

Cum tamen Paulus, quem lapidantes reliquerant tanquam mortuum, adhuc vivus eſſet v.19.: *Circumdantibus eum Diſcipulis, ſurgens intravit Civitatem.* Magna ſanè alacritas: in eandem Civitatem, à qua lapidibus ejectus fuerat & penè extinctus, impavidus revertitur.

X. Ne tamen ibi morans magis irritaret, & quidem inutiliter, perſecutores: *Poſtera die profectus eſt cum Barnaba in Derben.* Ibi quaſi oblitus lapidum, quibus nuper ferè ad interitum obrutus fuerat, & ac ſi mors ei præſentata ad illi ſe exponendum magis eum animaſſet, Evangelium etiam ibi prædicare cœpit: ut dici poſſit, Paulum poſſe quidem occidi, ſed non vinci. Gregorius in Job. L. 31. cap. 15.. Cùm ergo ibi multos Jeſu Chriſto Diſcipulos acquiſiviſſent, dicit Lucas v.20., quòd *reverſi ſunt Lyſtram & Iconium & Antiochiam* (Piſidiæ) *confirmantes animas Diſcipulorum, exhortanteſque, ut permanerent in Fide: & quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei: & cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, & oraſſent cum jejunationibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt.* Hæc erant hortamenta, hæc monita, quæ Diſcipulis Apoſtoli relinquebant: his totam terram Chriſto lucrati ſunt, his Fides inter perſecutiones firma permanſit: & adhuc inde ejectis Apoſtolis, Lyſtris Iconii & Antiochiæ ſtabant

Ecclesiæ, quibus regendis Apostoli in reditu Presbyteros constituerunt. Ubi etiam notat Chrysostomus, quòd Paulus Lystrensibus relictis, *priùs in Derben venit, dans illis respirandi locum à furore, & tunc rursùs venit Lystram Iconium & Antiochiam: furentibus illis cedens, sedatos verò adiens: Vides, eos non omnia per gratiam, sed etiam per proprium studium administrasse*.

XI. Demum *Transeuntes Pisidiam, venerunt in Pamphyliam: & loquentes Verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam; & inde navigaverunt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ Dei, in opus quod compleverunt. Cùm autem venissent & congregassent Ecclesiam, retulerunt, quanta fecisset Deus cum illis, & quia aperuisset Gentibus ostium Fidei. Morati sunt autem tempus non modicum cum Discipulis*. Hucusque Lucas Act.14. à v.23. ad 27. Antiochiam igitur Syriæ, unde discesserant, reversi sunt; ut illi florentissimæ Ecclesiæ in qua ordinati fuerunt nuntiarent, quæ Deus per illos fecisset in Gentibus, scirentque, etiam illis ostium ad Fidem jam esse apertum; ac in quibusdam, maximè ex Hierosolymis, cessaret scrupulus ad Gentes abeundi. Antiochiam etiam reversi sunt (quod Chrysostomus Hom. 31. observat) ut narrantes ea, quæ fecerant, Ecclesiæ à qua missi fuerant testimonium redderent suæ fidelitatis & obedientiæ; post tanta & tam mirabilia, quæ patrarant & passi fuerant haud minùs humiles.

XII. Cùm S.Lucas, narrato reditu Pauli & Barnabæ Antiochiam, dicat, quòd *morati sunt tempus non modicum cum Discipulis*: nec de iis quidquam ampliùs loquatur usque ad annum, quo Concilium Hierosolymis celebratum fuit, nempè Christi 51. Idcircò obscurum reliquit, quid hoc medio tempore egerint, & quò prædicationem suam asportaverint. Incertum etiam est, quantum temporis spatium interfluxerit à reditu eorum Antiochiam usque ad ann.51., qui ex dictis fuit annus Concilii; nam Baronius, qui ad ann. 49. ponit reditum Pauli & Barnabæ Antiochiam, solius biennii spatium interponit. Alii verò ex Recentioribus, Tilmontius Nota 17. & Calmet *in Paulo*, ad quinquennii spatium extendunt. Videntur enim statuere ann.44. Paulum & Barnabam Antiochiâ post ordinationem dimissos, anno 46. desinente illuc fuisse reversos, & sic supra relatum prædicationis cursum duobus annis perfecisse: unde usque ad ann. 51. Concilii, quinque ferè anni intercurrerint: & quid hoc tempore egerint, certò deprehendi non possit. Missâ ergo quæstione de annis à reditu Antiochiam ad Concilium;

XIII. Ve-

XIII. Verisimile existimatur, hoc medio tempore (quantumcumque fuerit) Paulum post consummatam per totam Judæam, quam antea inchoaverat, prædicationem, eam ad Illyricum usque, ubi ante non fuerat nominatus Christus, deportasse: ad hoc enim tempus credibile est, ipsum respexisse Rom. 15. v. 19. cùm dans gloriam Deo de iis, quæ verbo aut facto operatus fuerat in Gentibus, ait: *In virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti, itaut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligent.* Quibus apparet, in iis tantùm locis pedem fixisse, ubi nihil hactenus de Christo auditum fuerat, alia vero loca solùm excurrisse. Porrò dum dicit: *Ab Jerusalem per circuitum*, ut ait Chrysostomus Homil. 29. in cap. 15. ad Rom. *numerat & Urbes & Regiones & Gentes & Populos, non eos tantùm, qui sub Romanis, sed eos etiam, qui sub Barbaris erant. Ne mihi enim solam Phœnicem & Syriam & Ciliciam & Cappadociam adeas: sed etiam quæ retrò sunt cogita, Saracenos, Persas, Armenios, aliosque Barbaros: ideò enim dixit*,, per Circuitum ,, *ut non solùm viam tritam carpas, sed etiam Australem Asiam mente percurras.* Similiter dum addit *usque ad Illyricum*, indicat, se non solùm usque ad confines Illyrici prædicatione pervenisse, puta Epirum, sed intra ipsum Illyricum, ut sentit S. Hieronymus Ep. 148.; Unde Gregorius L. 27. Moral. cap. 6. meritò Paulum comparat nubi, quæ vento caritatis perflata universam terram excurrerit, pluviam Verbi vitæ expandendo.

XIV. Ad hæc tempora referuntur passiones & persecutiones, quas perpessus fuit Paulus. Nam præter eas, quas ex Luca supra retulimus, alias & quidem graves sibi illatas, sicut & pericula quæ superavit, recenset ipse 2. Cor. 11. à v. 23.; & de eis gloriatur dicens, se quinquies à Judæis triginta novem flagrorum ictibus fuisse cæsum: *A Judæis quinquies quadragenas* (plagas) *unâ minùs accepi*: (numquam enim Judæi hunc numerum excedere solebant, notante Moyse, ne ultra 40. ictus infligantur. Deuteron. 25. v. 3.): Ter à Romanis virgarum animadversionem tolerasse *Ter virgis cæsus sum*: Semel lapidibus impetitum fuisse (nimirum Lystris, ut supra vidimus) *semel lapidatus sum*: Ter naufragii periculum subjisse *ter naufragium feci*: ac die nocteque in profundo maris fuisse, *die nocteque in profundo maris fui*. Hæc ultima verba diversimode exponuntur, S. Hilarius

rius L.6. de Trinitate sentit, Paulum integrâ die demersum in profundo maris fuisse, & Divino prodigio servatum, idem dicit S. Th. in cap.11. 2. ad Cor. Lect.5. his verbis: *Semel stetit sub aqua per diem & noctem, Divinâ eum virtute protegente*. Sulpitius Severus Ep.1. putat, eum velut alterum Jonam triduo in imo maris mansisse. Quidam apud Theophylact. existimant, in imo putei latuisse, ut denuò imminens à Lystrensibus lapidum periculum evitaret. Alii apud Baron. ad ann.58. num.43. malunt intelligere de Carcere Cyziceno, cui nomen *Bythos*, sive profundum, ubi Paulus detentus fuit; volunt enim id quod additur *Maris* in Vulgata, in textu non legi, sed solùm *in profundo*. Communiter tamen Patres, Chrysostomus, Theodoritus, Œcumenius, & Recentiores plurimi censent, Apostolum ita locutum, ut exprimeret, se adeò cum undis nocte ac die colluctatum, ut in profundum maris dejici videretur.

Alia deinde enarrans, quæ passus fuerat, ait v.26.: *In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex Genere*, (ideſt à Judæis) *periculis ex Gentibus, periculis in Civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus; in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate* &c. Hæc enim omnia longorum itinerum, & eorum maximè, quibus omnia necessaria desunt, commeatus esse solent. Et hoc magis experiebatur Paulus, qui non ut cæteri Apostoli, in itineribus suis pias feminas aut alios, qui sibi necessaria ministrarent, secum ducebat, sed ex suis laboribus plerumque, ne ulli molestus esset, sibi victum comparabat.

XV. Hæc omnia hactenus recensita passus quidem fuerat Paulus antequam Epistolam secundam ad Corinthios scriberet, nempè, ante annum Christi 58.; non tamen saltèm omnia passus fuit illo medio tempore, quod à reditu Antiochiam usque ad adventum Hierosolymam occasione Concilii anno 51. interfluxit; cum seriò cogitanti aliqua appareat passum fuisse ante, ut lapidationem Lystris; aliqua etiam post. Neque tamen hinc quispiam putet, nihil humanum fuisse in Paulo, quo passionibus & afflictionibus corporis premeretur, sed omnia naturali quadâm constantiâ quasi insensibilis ad ea contemneret; homo enim erat, ut cæteri, timori cæterisque infirmitatibus obnoxius. Se talem confitetur 1. Cor.2. v.3.: *Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos*, & 2.Cor.1.v.8.: *Non enim volumus vos ignorare fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia: quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem; itaut tæ-*

taederet nos etiam vivere. Sed ex hac infirmitate carnis in Paulo magis elucebat ardor caritatis ejus erga Deum, & animi vigor, quo à Dei gratia roboratus omnia obstantia contemnebat, & omnia quamvis ardua aggrediens fortiter superabat. Hinc fiebat, ut in persecutionibus magis gauderet, quàm in signis & prodigiis, quæ per Dei gratiam operabatur. Quod in ipso & aliis Apostolis admirans Chrysostomus Hom. 31. in Acta ait: *Nusquam dicit, ipsos reversos esse gaudentes, quòd signa fecissent; sed quòd digni habiti fuissent pro nomine Ejus contumeliam pati: nam & hoc à Christo edocti fuerant dicente.* Lucæ 10.v.20.,, Nolite gaudere, quia dæmonia vobis subjiciuntur ,, *Verùm enim ac sincerum gaudium hoc est: aliquid pati pro Christo. Deinde in Civitates omnes illas venerunt, in quibus periclitati fuerant.*

§. IX.

Gesta post Concilium, Separatio Barnabæ à Paulo.

I. POstularet Ordo Historiæ, ut hìc agerem de Concilio ab Apostolis Hierosolymis coacto: quæ illius occasio fuerit, & quid in eo statutum; sed quia de hoc egi Cap.1.§.12. in S.Petro; idcircò ibi dicta Lector adeat, ne inutiliter eadem repetantur. Hoc certum est, Paulum cum Barnaba eidem interfuisse Act.15. Cùm enim quidam descendentes de Judæa docere cœpissent Antiochiæ, absque Circumcisione & observantiâ Legis neminem posse salvari, factâ super hoc seditione, Paulo & Barnabâ pro viribus resistentibus, Apostolos aliosque Seniores Hierosolymam existentes super hoc consulere visum est. Missi ergo Paulus & Barnabas ad Urbem, causam ad Apostolos detulerunt; neque enim Paulus, quamvis tantâ signorum auctoritate munitus, litem hanc dirimere censuit; sed Deo sibi revelante hoc iter assumsit, quod ipse enarrat Galat.2. factum quatuordecim annis post primum, quod egerat anno 37. nempè post suam conversionem tertio. Hoc itinere Paulus & Barnabas transeuntes per Phæniciam & Samariam magno gaudio affecerunt fratres, conversionem Gentium eis narrantes. Hierosolymam appulsi, benignè suscepti fuerunt, ibi tamen easdem contentiones, quas Antiochiæ, & propter quas sedandas venerant, invenerunt. Quidam enim Fideles ex Pharisæis conversi Gentes ad Circumcisionis & legalium observantiam obligandas esse contendebant. Re tamen ad cœtum Apostolorum & Sacerdotum ad hunc finem coactum, delatâ, aliter statutum & decretum, ethnicis ad Fidem

dem adductis, exceptâ abstinentiâ ab idololatria, fornicatione, suffocato & sanguine, nihil ultra imponendum.

II. Synodicam Concilii Epistolam Paulus & Barnabas ad Antiochenos detulerunt, quibus adjungendos Judam cognomento Barsabam & Silam, viros inter Fideles spectatissimos (qui fortè erant ex 70. Discipulis) ut majorem rei Fidem facerent, censuerunt. Qui cum Antiochiam pervenissent, congregatâ Ecclesiâ Concilii Epistola lecta est: & ab Ethnicis Christo nomen dantibus, sicut & tota Ecclesia cum gaudio suscepta. Tenorem præfatæ Epistolæ supra citato loco expendi & difficultates aliquas solvi, quæ ibi videri possunt.

III. Prætereundum non est quod ipse Paulus narrat Galat.2. v.2. nempè iter hoc monente Spiritu Hierosolymam assumsisse, ut exponeret publicè Doctrinam, quam prædicabat apud Gentes, eamque præcipuè cum Petro Jacobo & Joanne circa quædam difficilia conferret, num ad veritatem Evangelii procederet: *Ascendi autem*, inquit, *secundùm revelationem, & contuli cum illis Evangelium quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem aut cucurrissem*. Ubi S.Thom. Lect.1.: *Contuli*, inquit, *non ut addiscerem, quia jam doctus eram à Christo; non ut certificarer, quia sic certus sum, quòd si Angelus diceret contrarium, non crederem ut supra 1. Cap. sed contuli propter duo: scilicet ad insinuandam unitatem Doctrinæ meæ cum Doctrina aliorum Apostolorum. 1. Cor.*,, Idipsum dicatis omnes,, &c.. .. *Item ad vitandum calumniam aliorum. Apostolus enim, quia non fuerat conversatus cum Christo, nec edoctus ab Apostolis, sed statim post Conversionem suam incœpit prædicare, quæ erant odiosa Judæis & specialiter de vocatione Gentium, & quòd non debebant servari legalia: sic ergo contulit Evangelium*: & infra ,,Ne in vacuum currerem, aut cucurrissem,, *Vocat autem prædicationem suam cursum propter velocitatem suæ Doctrinæ, quia in modico tempore à Jerusalem usque in Illyricum & usque in Hispaniam prædicavit Evangelium: unde posset dici de illo illud Psalmi* 147. *v.* 15. ,, Velociter currit sermo ejus,, & 2. *Thessal.* 3. ,, Fratres orate pro nobis, ut sermo Domini currat ,, &c. *Sed numquid dubitabat, quòd in vacuum curreret? Dicendum est, quòd sibi non dubitabat, sed illis, quibus prædicaverat, quia nisi ab illis firmiter teneretur sua Doctrina, quantùm ad illos in vacuum cucurrisset; & ideò voluit conferre cum eis, ut dum scirent auditores, quòd Doctrina sua concordaret cum Doctrina aliorum Apostolorum, & approbaretur ab eis, firmiùs ejus Doctrinam tenerent; & sic quantùm ad eos non in vanum curreret*. Ita S. Thom. Quid ad hæc Protestantes

tes

tes hodierni, qui spiritu privato, quem sibi fingunt, nec ullis signis probare possunt, Evangelium prædicant; & dum eorum Doctrina utpotè sensui Catholicæ Ecclesiæ contraria reprobatur, tantùm abest, ut se in vacuum currere arbitrentur, quin potiùs velint, se solos certos esse, sibi solis quasi verè Evangelicis credi, & ab Ecclesiæ Pastoribus Spiritum veritatis jamdiù recessisse? Quid, inquam, quando Paulus Spiritu Sancto revelante edoctus, qui multis signis Evangelii sui veritatem probaverat, non vult sibi soli credi, sed Doctrinam suam ab Ecclesia probari, timens, ne hoc omittendo, apud eos quibus prædicabat, in vacuum curreret? Paulus Spiritu Christi, qui est Spiritus veritatis & unitatis, agebatur: qui verò aliter se gerunt, Spiritu non Christi, sed Antichristi & Satanæ, qui Spiritus superbiæ mendacii & schismatis est, se agi manifestant.

IV. Collatâ igitur Doctrinâ, quam prædicabat Paulus, cum ea, quam prædicabant Apostoli Petrus Jacobus Joannes & cæteri, nihil inventum fuit corrigendum, nihil Doctrinæ tam puræ ac perfectæ addendum, sed communi calculo conclusum fuit, quòd Deus vocaverat Paulum ad conversionem Gentium, sicut Petrum ad conversionem Judæorum, ideoque dexteras sibi invicem in fœdus & societatem dederunt. Ita Paulus v. 7. & 9.: *Cùm vidissent, quòd creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro Circumcisionis.... Et cùm cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in Circumcisionem*: sic Paulus & Barnabas Apostoli ad Gentes declarati sunt: hoc solo eis injuncto onere caritatis, ut scilicet hortarentur Fideles Nationum, ad subveniendum Fidelibus, qui in Judæa manebant, utpotè in angustias & necessitatem redactis, quòd vel bona sua vendidissent & pretium ad pedes Apostolorum detulissent, vel quòd bonis suis Judæorum rabie spoliati fuissent, quod Paulus se implevisse testatur v. 9. dicens: *Tantùm ut pauperum memores essemus: quòd etiam sollicitus fui hoc ipsum facere*: & inferius apparebit.

V. Dum post Hierosolymitanum Concilium de abrogatione Legalium Paulus adhuc Antiochiæ moraretur, contigit, ut illuc adventaret Petrus, quem cùm observasset Paulus, advenientibus à Judaismo conversis, à mensis Gentilium se subtrahere, putans, posse illum hoc facto aliis videri in ea sententia, quòd Legalia adhuc essent de necessitate observanda, contra nuperrima in Concilio statuta, Apostolicâ libertate ac zelo ipsum reprehendit. De hoc jam egi supra c. 1. in Petro §. 2. à n. 10.; illuc ergo lectorem remitto.

VI. Nunc Historiæ ordinem resumendo, sic prosequitur S. Lucas Act.15. v.32.: *Judas autem & Silas* (post præsentatam Antiochenis Epistolam Concilii) *& ipsi cùm essent Prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres & confirmaverunt. Facto autem ibi aliquo tempore dimissi sunt cum pace à Fratribus ad eos, qui miserant illos; visum est autem Silæ ibi manere, Judas autem solus abiit in Jerusalem.* De Juda Barsabas dicto nil aliud ex Scriptura habemus, nisi quòd fuerit vir inter primos ex Fratribus, & dono Prophetiæ ornatus: de Sila assumto postea in Socium à S.Paulo inferiùs sermo erit.

VII. Interea v.35. *Paulus & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes & Evangelizantes cum aliis pluribus Verbum Dei;* sed Paulus, quem sollicitudo Ecclesiarum quiescere non permittebat, post aliquot dies dixit ad Barnabam, v.36.: *Revertentes visitemus Fratres per universas Civitates, in quibus prædicavimus Verbum Domini, quomodo se habeant.* Assentiebatur Barnabas, sed comitem itineris habere volebat Joannem Marcum ita petentem (erat enim ei consobrinus, eumque Barnabas genio facilis & indulgens consolari cupiebat.) *Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus) non debere recipi*: non enim idoneum militiæ Apostolicæ judicabat illum, qui (ut supra cap.13. v.13.) vix ei adscriptus, factus fuerat desertor; sed Barnabâ contendente Marcum secum habere comitem, Paulo verò reluctante (v.39.): *Facta est dissensio, itaut discederent ab invicem: & Barnabas quidem assumto Marco navigaret Cyprum, Paulus verò electo Silâ profectus est traditus gratiæ Dei à Fratribus.*

VIII. Discordia hæc opinionum fuit, non animorum, in mente manens, non transiens ad voluntatem: idem volebant Paulus & Barnabas, nempè gloriam Dei & Fidei bonum, sed sub diverso lumine: uterque salutem Marci Joannis cupiebat; sed Paulus severitate volebat ut culpam agnosceret & resipisceret, Barnabas lenitate sua, ne desperaret: uterque finem consecutus est; nam & hâc discessione ad plures Provincias Christi Fides fuit deportata, quàm si conjuncti permansissent; & Joannes Marcus Barnabæ fidelis comes, magis Christo adhærens, meruerit ut Pauli comes iterum effectus fuerit, & ut perseverans usque ad mortem in ministerio, inter sanctos ad diem 27. Septembris fuerit relatus.

Super hoc audiendus est Chrysostomus Homil.34. in Acta ita discurrens: *Sic & in Prophetis diversas sententias comperimus, & varios mores, verbi gratia Elias austerus, Moyses mitis. Hìc igitur*

tur vehementior est Paulus: sed sic tamen vide mansuetudinem ejus: „Rogabat, *inquit*, ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, non debere recipi „ *Ut enim Dux exercitus nollet bajulum semper habere sordidum, sic neque Apostolus. Hoc etiam alios docuit, & illum emendavit: ergo ne improbus Barnabas? Minimè; imo valdè absurdum esset id putare. Quomodo non absurdum esset ob rem adeo levem illum dicere improbum? Sed vide, primùm hinc nihil mali provenisse, si cum integris Gentibus sufficere possent, separati sint; imò etiam hinc magnum prodiisse bonum. Deinde si hoc non accidisset, non facilè separari voluissent.... Sed si separari oportebat, inquies, saltèm sinè dissensione. At hinc maximè humana ostenduntur..... Alioquin verò dissensio non mala est, quando de talibus quispiam contendit, & cum justa ratione. Si certè eorum quispiam, quæ sua erant vel honorem quærens, exasperatus esset, benè improbaretur: si verò uterque docere instituereque volens, alter hâc, alter aliâ viâ processit; quod crimen fuerit? Multa ex humana mente faciebant; non enim erant lapides, aut ligna: & vide Paulum accusantem & causam dicentem: reverebatur enim Barnabam præ humilitate multa, qui in tantis rebus sibi consors & secum fuerat; sed non ita reverebatur, ut officium negligeret: uter ergo meliùs consuluerit, non est nostrum pronuntiare.... In hac quæstione observandum, non in quo dissenserint, sed in quo mutuò consenserint: sic majus bonum ex separatione prodiit, atque inde ortum est. Quid ergo? Inimicine recesserunt? Absit, vides enim posteà Barnabam multis laudibus à Paulo celebrari in Epistolis.* Dissensio, *inquit*, facta est, *non inimicitia, neque contentio.* Hactenus Chrysostomus.

Deinde proferens suam sententiam sic prosequitur. *Mihi videtur, illam separationem prudenter esse factam, illosque mutuò dixisse: quandoquidem ego nolo, tu autem vis; ut ne pugnemus, loca distribuamus. Itaque multum sibi mutuò cedentes hoc faciebant. Utinam nos quoque tales separationes admitteremus, ut ad prædicandum abiremus.... Plurimum verò Marco profuit hæc pugna. Pauli namque severitas convertit illum, benignitas autem Barnabæ fecit ut ne relinqueretur. Itaque pugnant quidem, ad unum verò finem lucrum pertingit. Paulum enim videns velle discedere, multùm exterritus, se ipsum damnavit; iterumque Barnabam videns ita sibi patrocinantem, valdè illum dilexit; & ex Doctorum pugna emendatus est Discipulus: tantùm abfuit, ne id offendiculo ei esset.* Hæc placuit ex Chrysostomo exscribere, quia in hoc facto omnia mirè componunt. Sed relinquamus Barnabam cum Joanne Marco in Cyprum navigantem.

IX. Paulus ergo electo Silâ Fidelium precibus Gratiæ Dei

 com-

commendatus: *Perambulabat Syriam & Ciliciam confirmans Ecclesias* (v. 41.) ubi Chrysostomus: *Vide*, inquit, *Pauli prudentiam: non priùs ad alias transit Urbes, quàm eas quæ Verbum acceperant visitasset*: qui etiam ex illo verbo „ *perambulabat*„ colligit iter pedestrem egisse: *Ac deinceps pedes ambulabat, ut in itinere videntibus se prodesset*: commendans quàcumque transibat, ac præcipiens custodire præcepta Apostolorum, edita scilicet in Concilio Hierosolymitano.

§. X.

Paulus suscipit & circumcidit Timotheum, prædicat in Galatia, vocatur in Macedoniam.

I. ITa Ecclesias suis exhortationibus in Fide confirmans, & numero Fidelium augens, ait S.Lucas cap.16. à v.1., pervenit Derben & LystramUrbes Lycaoniæ,quæ suæ Prædicationis terminus fuerant. Ibi (& probabiliter Lystris) erat Discipulus quidam *nomine Timotheus, filius mulieris Judææ Fidelis, patre Gentili. Huic testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant, & Iconio Fratres. Hunc voluit Paulus secum proficisci, & assumens circumcidit eum, propter Judæos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quòd pater ejus erat Gentilis. Cùm autem pertransirent Civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Hierosolymis*. Ad hoc factum nemo non judicabit, Paulum pugnasse contra se ipsum, & contra Dogmata Apostolorum, quæ tradebat; quibus (& quidem ipso promovente) Circumcisio sublata fuerat. Qui enim Judæis prædicabat tollendam esse Circumcisionem, nunc propter Judæos ipse Timotheum circumcidit: certè hoc factum videtur totam ejus Doctrinam evertere; & tamen totum prudentia Pauli fuit, ut sic faciliùs Circumcisionem tolleret (inquit Chrysostomus Hom.34. in Acta:) *Qui tantoperè pugnaverat propter Circumcisionem, qui omnia moverat, & non priùs destitit, donec rem perficeret; confirmato Dogmate, circumcidit Discipulum. Non modò alios non cohibet, sed hoc & ipse facit: nihil Paulo prudentius: omnia ut conducerent, spectans, nihil temerè & ex præjudicata opinione agebat. Hunc* voluit, *inquit*, secum proficisci: *Hoc mirabile est, quòd assumserit eum*, propter Judæos, *inquit*, qui erant in illis locis. *Hæc causa circumcidendi fuit: non enim tulissent audire verbum ab incircumciso: Et cur? Vide præclarum opus: circumcidit, ut Circumcisionem tolleret. Dogmata enim prædicabat Apo-*

Apostolorum: *Vides pugnam & per pugnam ædificationem? Non ab aliis impugnabantur, sed ipsi contraria facientes, ita Ecclesiam ædificabant. Dogma afferebant non circumcidendi, & circumcidit*: & abundabant, *inquit*, numero quotidie: *Vidistin utilitatem Circumcisionis?* Ita Chrysostomus.

II. Nolim tamen, ut aliquis ex hoc Pauli facto; qui licèt prædicaret tollendam esse Circumcisionem, tamen Timotheum prudenter circumcidit, ut sic libentiùs à Judæis audiretur prædicans contra Circumcisionem & sic faciliùs Circumsionem tolleret; deduceret, ita hoc exemplo posse prudenter ac licitè Missionarios nostrorum temporum Ritus aliquos paganicæ seu alterius falsæ Religionis, contra quos prædicant, in suis Discipulis recèns ad Christum conversis tolerare, ut libentiùs ab Infidelibus suis Concivibus auditi, faciliùs etiam eos inducere possint, ad eos relinquendos, & puritatem Christianæ Religionis amplectendam.

III. Non inquam, quia in utroque casu nimis diversa est ratio. Ritus enim Paganici, sive cujuscumque alterius falsæ Religionis, sunt per se & ab intrinseco mali; & ideò nullius boni finis obtentu, vel nullâ bonâ causa sunt admittendi. At Ritus Circumcisionis & cæteræ Legales observantiæ pro tempore quo prædicabat Paulus, redditæ quidem fuerant inutiles ac nullius necessitatis ad salutem & proindè non amplius obligantes(& hoc est quod declaraverat Concilium Hierosolymitanum, & Paulus prædicabat); nondum tamen earum usus factus erat malus & illicitus; & erant quidem mortuæ, sed nondum evaserant mortiferæ, sicut postea; & ideò poterant sine crimine adhiberi, dummodò in eis non poneretur spes, nec necessariæ putarentur, quia earum tempus jam transierat: nec enim statim, sed paulatim fuerant destruendæ, ut quemadmodum dicit Augustinus Synagoga cum honore sepeliretur. Eâdem ratione alias in aliis circumstantiis Legis observantias Paulus admisit mirâ sapientiâ & Caritate omnibus se accommodans, infirmus infirmis, Judæus Judæis, omnibus omnia factus, ut Christo lucrifaceret, atque interdum observabat Legem, ut majori facilitate & auctoritate Legis servitutem aboleret, prout S. Spiritus ei suggerebat. Videndus est S. August. Ep. 82. alias 19. ad Hieron.

IV. Sed cur, inquies, Paulus, qui spontè circumcidit Timotheum, constanter Titum circumcidere antea recusaverat, etsi instarent Judæi, unde Galat 2. v. 5; *Quibus*, inquit, *neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.*

V. Va-

V. Variè respondetur. Quidam voluêre, quòd Paulus esto nollet Titum circumcidi; ad vitandam tamen seditionem cessit, permittens illum circumcidi. Sic Tertullianus L.5. contra Marc. cap.3.. Unde in præfatis verbis: *Quibus neque ad horam cessimus*, dicunt, illud *neque* mendosè additum esse, & dici debere: *quibus ad horam cessimus*. Alii tamen, inter quos Ambrosius, apud S.Thom. in cap.2. ad Galat.Lect.1., volunt quidem, illud *neque* superfluè apponi, & S.Paulum ad horam cessisse; sed intelligunt cessisse, non ut circumcideretur Titus, sed Timotheus; ut sit sensus: non permisi circuncidi Titum, sed Timotheum propter introductos falsos fratres, quibus propter hoc *cessimus ad horam subjectione* circumcidendo Timotheum, *ut veritas Evangelii permaneat*; quæ habet, quòd nec præputium, nec Circumcisio aliquid conferat, sed Fides.

Verius tamen censeo, verba Epist. ad Galatas non esse corrupta, sed legendum: *Quibus neque ad horam cessimus*, scilicet ut circumcideretur Titus, de quo ibi ante locutus fuerat v.3.: *Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm esset Gentilis, compulsus est circumcidi*.

Statuto ergo, quòd Paulus noluerit circumcidi Titum, viget difficultas, cur Timotheum posteà circumcidit? Cui S.Thom. citato loco occurrit dicens: *Quòd fuit specialis causa, quare Timotheus circumcisus fuit, & non Titus; quia Timotheus fuit ex patre Gentili & matre Judæa, Titus verò ex utroque parente Gentili: & sententia Apostoli erat, quòd qui ex aliquo parente Judæo nati fuerant, circumciderentur; qui verò totaliter ex Gentilibus parentibus nati essent, nullo modo debeant circumcidi*.

Probabilior tamen est prior responsio, quam idem S.Thomas ibi suggerit, nimirùm ideò Paulum restitisse, ne Titus circumcideretur; quia subintroducti falsi fratres hoc volebant, ut hoc facto suum confirmarent errorem, Legem scilicèt etiam post Christum obligare, & Gentes, quæ ad Fidem veniebant, debere subjici Legi. Ad hoc enim subintroierunt, ut in servitutem Legis & carnalium observantiarum redigerent, sicut ante Passionem Christi, quod non est faciendum: & ideò dicit Paulus, *ut veritas Evangelii permaneat apud vos*, in nullo cessimus; ne occasionem daremus eis, qui sine Circumcisione dicebant, vos non posse salvari; quod est contra veritatem Evangelii, quod prædicavi vobis. Et sic Circumcisio Titi in iis circumstantiis fuisset actus protestativus eorum erroris contra veritatem Evangelii, quod nullo modo debet fieri: sicut, ut alibi ostendi, non licet Chri-

Christiano, vel Catholico illis actibus communicare, vel eos in se admittere, in quibus sciunt, Hæreticos aut Infideles velle, ut suos errores illis actibus protestentur. Hoc autem in Timotheo non contigit; tunc enim jam definitum erat, Circumcisionem & alia Legalia non amplius obligare; nec Paulus Timotheum circumcidit, quia Judæi peterent, sed sponte sua id fecit, tum ut ostenderet, Circumcisionem non obligare quidem, sed nondum esse mortiferam, tum ut Judæi libentiùs audirent sibi prædicari, Circumcisionem non esse ampliùs necessariam; hoc audientes à non suspecto quia à jam circumciso, quod de facto evenit ut supra dixi.

VI. *Ratio autem* (inquit S. Thom. citato loco) *quare post passionem Christi non debent servari Legalia, assignatur à Chrysostomo talis. Manifestum est enim, quòd Instrumentum, quod fit de aliqua promissione seu fœdere tenet tantùm, quousque compleatur fœdus & promissio, quibus completis Instrumentum prædictum in hoc non tenet. Circumcisio autem est quoddam Instrumentum promissionis & fœderis inter Deum & Fideles homines; unde & Abraham accepit Circumcisionem in signum promissionis, ut dicitur Gen.17.. Et quia Christi peractâ passione soluta fuit promissio & completum fœdus, ideò post passionem non tenet nec valet Circumcisio.*

VII. Lycaoniam relinquentes Paulus Sila & Timotheus Phrygiam & Galatiam pertranseunt: *Transeuntes autem Phrygiam & Galatiæ Regionem* &c. Act.16. v.6. Pertransiisse autem has Regiones imprimendo ibi non sola vestigia pedum, sed operum, prædicationis nempè Evangelii & Doctrinæ Apostolorum, vel in ea confirmando Fideles, ut fecerat per Syriam & Ciliciam (Act.15. v.41.) credibile est: transitus enim Pauli non erant otiosi, sed relinquebant fructum in Regionibus, per quas pertransibat: quod ex eo etiam colligitur, quòd cùm aliquot post annos in Galatiam & Phrygiam venisset, dicit S.Lucas Act.18. v.23., quòd erat perambulans ex ordine Galaticam Regionem & Phrygiam, confirmans omnes Discipulos. Signum est ergo, quòd in priori transitu Evangelii semina jecerat; ni fortè dicatur, quòd ea invenerit in Galatia jacta jam prædicatione D. Petri. Utrumque tamen verificari potest, & quòd Petrus primus semina Evangelii in Galatas fuderit, & similiter primus Paulus: nimirùm primus Petrus in solos Judæos, primus Paulus in Gentes. Certum est, quòd cùm Paulus primò ad Galatas venit, fuit ab eis exceptus velut Angelus Dei, & sicut Christus Jesus, ut ipse fatetur Galat.4. v.13. & 14.

VIII. Pertransitâ Phrygiâ & Galatiâ, in animo habebant Ver-

Verbum Dei annuntiare in Asia (propriè tali, quæ Joniam Æoliam Lydiam complectitur, sicut & Ephesum) sed ut refert Lucas Act. *16.* v.*6.*: *Vetati sunt à Spiritu Sancto loqui Verbum Dei in Asia*. Illi nec quærentes causam statim paruerunt. Unde Chrysostomus Hom. 24. ait: *Quare probibiti fuerunt, non dicit, sed tantùm probibitos fuisse; nos docens, ut solùm obtemperemus, nec causas inquiramus*: & Auctor Lib. de Vocat. Gent. L.2.cap.3. apud Leonem dicit, relinquendum esse Sapientiæ Æternæ scire, quo consilio malit hos Populos modò veritatis lumine perfundere, & non alios, quos tamen vult, sed posteà. Et S.Gregorius L.28. Moral. cap.*6.* putat, hæc occulto Dei judicio facta, quia in Asia aliqui essent, qui mererentur in sua infidelitate perire: vel tandem, ut ait Chrysostomus citato loco, Asiam & Mysiam aliasque Asiæ Provincias Deus Joanni Evangelistæ reservabat, qui diutiùs ibi moraturus, & Ecclesias fundaturus erat, & Paulum ad alias partes destinaverat. Propterea (ait Lucas v.7.:) *Cùm venissent in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Jesu*, qui eos aliò vocabat.

IX. *Cùm autem pertransissent Mysiam descenderunt Troadem*, Mysiæ sive Phrygiæ Urbem. Dum illuc pervenisset Paulus, noctu sibi per visum apparuit *Macedo quidam stans, & deprecans eum & dicens, Transiens in Macedoniam adjuva nos* v.*9.* Cognovit tunc Paulus, quænam esset voluntas Dei, & nil ampliùs quàm ei obsequi cogitans, sine mora illuc iter disposuit: unde v.10.: *Ut autem visum vidit statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quòd vocasset nos Deus Evangelizare eis*: quo novo verbo *quæsivimus* indicat Lucas, se tunc cœpisse comitem fieri indivisum Pauli. Hunc Macedonem, qui in visu Paulo apparuit, fuisse Angelum Macedoniæ præsidem, qui sub hac forma Paulo apparuit, & pro suis Clientibus opem prædicationis efflagitavit, sentiunt multi. Apparuit autem per somnium non per visionem, quia noverat, Paulum statim & facilè assensurum, ideoque non dixit præcipiens, sed obsecrans sicut medicum pro iis, qui curatione indigebant. Itaque certi, Spiritum Dei, qui ante vetuerat eos ire ad prædicandum in Asiam & Bithyniam, esse illum eundem, qui per somnium Paulum vocabat in Macedoniam, conscenso navigio illuc recto cursu iter direxerunt. Sic Act. *16.* v.11.: *Navigantes autem à Troade, recto cursu venimus Samothraciam, & sequenti die Neapolim* (Urbem Maritimam Macedoniæ) *& inde Philippos* (Coloniam tunc Romanorum) *quæ est prima partis Macedoniæ Civitas Colonia. Eramus autem in hac Urbe diebus aliquot conferentes.*

X. Dum

X. Dum Philippis moras traherent, die unâ Sabbatorum (v. 13.) egressi Paulus & socii Silas & Lucas forâs portam juxta flumen, ubi videbatur Oratio esse, sedentes loquebantur mulieribus, quæ convenerant: *Neque enim tantùm ubi Synagoga erat, sed etiam foris precabantur, quasi locum quempiam assignantes* (inquit Chrysostomus Hom. 35. in Act.) Hæc autem Oratoria communia Judæis erant & Samaritanis, regulariter extra Urbes posita quantùm iter Sabbati patiebatur, & locum Synagogæ in locis, ubi non erat, obtinebant. De his Epiphanius hæref. 80.: *Fuerunt*, inquit, *quidam antiquitùs Orationum loci, tum inter Judæos extra Civitatem, tum inter Samaritas, velut etiam in Actibus Apostolorum invenimus, ubi purpurarum venditrix Lydia Paulo occurrit: & sic quoque Divina Scriptura narrat, quòd videbatur locus orationis esse: & accesserunt & docuerunt Apostoli mulieres, quæ illo tempore convenerant. Sed & Orationis locus est in Sicimis, quæ nunc appellatur Neapolis, extra Urbem in campestri regione, duorum fermè signorum distantiâ, speciem Theatri præseferens, in aere & sub Dio constructus à Samaritis, qui omnia Judæorum imitantur.* Ita Epiphanius. Inter mulieres autem, quæ Paulum ibi loquentem audiebant, (v. 14.) *quædam mulier nomine Lydia purpuraria Civitatis* Thiatirenorum (ideft vel purpuræ fabricatrix, vel purpuræ mercimonium exercens) *colens Deum audivit: cujus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo*. Ubi Chrysostomus Homil. 35. ait: *Aperire itaque Dei est, attendere verò illius; res igitur erat & Divina & Humana*. Hæc igitur credens petiit baptizari cum tota domo sua: *Cùm autem (v. 15.) baptizata esset, & domus ejus, deprecata est dicens: si judicastis me Fidelem Domino esse, introite in domum meam & manete; & coegit eos*. De hac muliere, inquit Chrysostomus Homil. 35., *Considera, quomodo suaserit omnibus: Deinde vide prudentiam, quomodo obsecret Apostolos, quàm humilia proferat verba, cum quanta sapientia*,, Si judicatis me, *inquit*, Fidelem Domino ,,: *Nihil ad persuadendum aptius: quem non emollirent hæc verba? Non rogavit, non precata est tantùm, non eorum arbitrio rem reliquit, sed etiam coegit. Id enim significat illud* ,, coegit nos ,, *ideft his verbis*. Quantos in una femina Fides illico produxit fructus! sed in ea continuavit usque in finem; unde in Martyrologio de ea fit memoria ad diem 3. Augusti.

XI. Dum adhuc Philippis morarentur singulare factum evenit, quo Paulus & Silas in angustias redacti, à Deo tandem prodigiosè erepti fuêre. Hoc Lucas Act. 16. à v. 16. ita enarrat: *Factum est autem, euntibus nobis ad Orationem, puellam quandam ba-*

habentem spiritum pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis divinando. Hæc subsecuta Paulum, & nos, clamabat dicens: Isti homines Servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conversus spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea: & exiit eâdem horâ. Sed cur spiritus iste Python (id est futura prænuntians), qui certè Dæmon erat puellæ insidens, de Apostolis, qui Regnum ejus destruebant, adeò favorabiliter loquitur? & rursùs cur Paulus Dæmonem istum causæ suæ patrocinantem increpat ac expellit? Utrumque dubium excitat Chrysostomus. Homil. 35. dicens: *Cur & Dæmon talia locutus est, & Paulus prohibuit?* Respondet: *Et ille malignè, & hic prudenter agebat; volebat enim non fide dignum reddere: Nam si testimonium ejus Paulus admisisset, multos etiam Fideles decepisset, ut ab illo approbatus: Ideò illos prædicat, ut sua stabiliat.* Ab initio Paulus illum quidem respuit, sed non ejecit, quia nolebat tam facilè signa edere; sed quia perseverabat, & opus monstrabat, ideò præcepit illi ut exiret. Ita ex Chrysostomo; qui post multa Dæmonem illum sic increpat: *O scelesté & scelestissime! Si ergo nosti, illos viam salutis annuntiare, cur non egrederis lubens? Sed idipsum quod Simon volebat, cùm diceret,* „ Date mihi, ut cui imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum, „ : *hoc & iste faciebat: quia videbat, illos celebrari, ita simulat; hâc ratione sperans, se relinquendum esse in corpore, si eadem prædicaret.... Si ab hominibus testimonium non accipit Christus, nec à Joanne, multò minùs à Dæmone.*

XII. Sed quid ejecto Dæmone secutum sit, audiamus: *Videntes autem Domini ejus* (puellæ), *quia exivit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum & Silam adduxerunt eos ad Principes: & offerentes eos magistratibus dixerunt: Hi homines conturbant Civitatem nostram, cùm sint Judæi: & annuntiant morem, quem non licet nobis suscipere neque facere, cùm simus Romani.* En Dæmon, qui ante per os puellæ dicebat Paulum & socios esse Servos Dei, qui *annuntiant viam salutis*, à Paulo ejectus in rabiem versus contraria loquitur per os istorum, tanquam homines seditiosos eos evulgans, *conturbant*, inquiunt, *Civitatem nostram*. Quo factum est, ut, quos eo edito miraculo adorare oportebat, & pro servatoribus ac beneficis habere (tantum egit spes quæstus amissa) prosequatur Lucas: *Et cucurrit plebs adversùs eos: & magistratus, scissis tunicis eorum, jusserunt eos virgis cædi: & cùm multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in Carcerem, præcipientes Custodi, ut diligenter custodiret eos. Qui cùm tale præceptum accepisset,*

pisset, misit eos in interiorem Carcerem, & pedes eorum strinxit ligno (ait Chrystostomus, *ac si diceret in Nervo*; Nervo enim bovis pedes reorum constringere morem fuisse apud Romanos sentiunt multi.)

XIII. Sed totum hoc Divinâ providentiâ factum, nam *quantò diligentior custodia erat, tantò miraculum splendidius* (inquit Chrysostomus) Quare sequitur. *Mediâ autem nocte Paulus & Silas orantes laudabant Deum, & audiebant eos qui in custodia erant. Subitò verò terræmotus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta Carceris: & statim aperta sunt omnia ostia, & universorum vincula soluta sunt. Expergefactus autem Custos carceris, & videns januas apertas Carceris, evaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. Clamavit autem Paulus voce magnâ dicens: nihil tibi mali feceris, universi enim hic sumus. Petitoque lumine introgressus est; & tremefactus procidit Paulo & Silæ ad pedes: & producens eos foras, ait: Domine, quid me oportet facere, ut salvus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Jesum, & salvus eris tu & domus tua. Et locuti sunt ei Verbum Domini cum omnibus, qui erant in domo ejus. Et tollens eos in illa hora noctis, lavit plagas eorum; & baptizatus est ipse, & domus ejus continuò. Cùmque perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & lætatus est cum omni domo sua, credens Deo*. Vide hic Gratiæ œconomiam: solutum ab infidelitatis vinculo custodem istum, ejusque domum volebat: disponit, ut Apostoli ob solutam à Dæmone puellam in vincula & carcerem conjiciantur, ut terræmotu concussus Custos Carceris januas videns apertas, timens eos fugisse, velit se interficere, sed voce Pauli ad eum clamantis deterritus, ad pedes ejus procidat, & subitò credens in Jesum cum domo sua baptizetur, eorum plagas lavet, & ad mensam invitet: & sic dicat Chrysostomus Homil. 36.: *Lavit eos & lotus est. Illos quidem à plagis abluit, ipse à peccatis ablutus est; nutrivit & nutritus est.* Hæc lucra Paulus è Vinculis & Carceribus ad Christum afferebat.

XIV. Perlatâ fortè ad Magistratum facti notitiâ, pergit Lucas v. 35.: *Et cùm dies factus esset, miserunt Magistratus lictores dicentes: Dimitte homines illos. Nuntiavit autem Custos Carceris verba hæc Paulo: quia miserunt Magistratus, ut dimittamini: nunc igitur exeuntes, ite in pace. Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publicè, indemnatos homines Romanos miserunt in Carcerem, & nunc occultè nos ejiciunt? Non ita: sed veniant, & ipsi nos ejiciant. Nuntiaverunt autem Magistratibus lictores verba hæc; timueruntque, audito quòd Romani essent: & venientes deprecati sunt eos,*

& educentes rogabant, ut egrederentur de Urbe. Quibus verbis triplex delictum Magistratibus Paulus opponit, ait Chrysostomus Hom.*36.*, nempè *quòd Romanos, quòd non damnatos, quòd publicè in Carcerem conjecissent*. Id tamen, quod Magistratus timuêre, fuit quòd Cives Romanos virgis verberassent; quod vetitum erat, utpotè supplicium servorum, & contra privilegia Romanorum; inter quæ fortè etiam erat, quòd injuria eis publice illata, non occultè, sed publico honore à Magistratibus compensaretur: ex quibus apparet, non solùm Paulum, sed & Silam Romanum Civem fuisse.

XV. Porrò hoc honore se dimittendum censuit Paulus, non propter se, qui potiùs in ignominiis propter Christum gloriabatur, sed propter Fideles, qui ibi erant, & maximè Lydiam, ejusque domum; ne ipso discedente, tamquam sequaces virorum Romana jura turbantium persecutioni forent expositi. Ideoque v.40.: *Exeuntes de Carcere introierunt ad Lydiam, & visis fratribus, consolati sunt eos, & profecti sunt*.

XVI. Quamvis autem talia Philippis passus sit Paulus, Philippenses tamen corpore relinquens secum gestavit in corde, ut testatur ad Philip. 1. v. 4.: *Semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis cum gaudio deprecationem faciens, super communicatione vestra in Evangelio Christi à prima die usque nunc*. Unde patet, quòd estò ibi aliquos contradictores invenerit, multos tamen Fideles ibi reliquerit; ac tales, ut ab eis in necessitatibus subsidia plus quàm ab aliis semper obtinuerit; ea enim semèl atque iterum Thessalonicam illos ad se misisse, & cùm à Macedonia profectus esset, nullam aliam Ecclesiam subsidia sibi communicasse præter solam Philippensem, fatetur ipse ibid. cap.4. v.15. & 16.; nec non Philippenses fuisse fratres illos, qui è Macedonia venientes Corinthum, quæ sibi ibi necessaria erant, detulerunt, indicat ipse 2.Cor. 11. v.9. Primò etiam dum esset in Carceribus Romæ, idem erga ipsum officium pietatis per Epaphroditum exercuisse, testatur Philip. 4. v. 18. Jure ergo tùm propter in Fide profectum, cùm etiam ob singularem in se beneficentiam, speciali dilectione Philippenses Paulus complectebatur.

* * *
* *

§. XI.

§. XI.

Paulus prædicat Thessalonicæ, Berææ, & Athenis.

I. PHilippis ergo exeuntes Paulus & Socii per Amphipolim & Appolloniam se contulerunt Thessalonicam Caput & Metropolim Macedoniæ. Ita Lucas cap. 17. v. 1.: *Cùm autem perambulassent Amphipolim & Appolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat Synagoga Judæorum.* Hic Chrysostomus Homil. 37. *Rursùs*, inquit, *parvas prætercurrunt Civitates, & ad majores festinant: quòd indè quasi ex fonte verbum deberet in vicinas Urbes manare.* Cùm autem Thessalonicæ esset Synagoga Judæorum v. 2.: *Secundùm consuetudinem Paulus introivit ad eos, & per Sabbata tria disserebat eis de Scripturis, adaperiens, & insinuans, quia Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis, & quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vobis.* Adhuc recentia illi erant mala quæ passus fuerat, & plagæ quas Philippis acceperat nondum plenè sanatæ, & adhuc pergit prædicans & quidem in Synagoga Judæorum, à quibus tota semper in eum commotio. Sed mala & plagæ pro Christo animum Pauli non terrent, sed roborant & accendunt.

II. Sed nunquid Paulus erat Apostolus missus ad Gentes, sicut Petrus Jacobus & Joannes ad Judæos? Hoc fatetur ipse Galat. 2. v. 9., vbi dicit, quòd Jacobus Cephas & Joannes *dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in Circumcisionem.* Cur ergo quòcumque pervenit, statim Synagogam Judæorum ingreditur, eisque prædicat? Hoc est in alieno agro semen jacere.

Respondet Chrysostomus Homil. 37., quòd *sicut etiam illi Gentibus loquebantur, licèt ad Circumcisionem segregati; ita & hic sæpiùs cum Gentibus agebat, nec tamen Judæos negligebat, ut ne viderentur divisi esse: & quomodo, inquies, priùs in Synagogas intrabat? Sed Gentilibus persuadebat per Judæos, & ex iis, quæ Judæis dicebat; sciebat enim, hoc Gentilibus ad Fidem adducendis idoneum esse.*

III. Prædicante igitur Paulo Judæis & Gentilibus (v. 4.) *Quidam ex eis* (Judæis) *crediderunt & adjuncti sunt Paulo & Silæ, & de colentibus Gentilibusque multitudo magna, & mulieres nobiles non paucæ.* Hi Verbum Pauli tamquam verè Verbum Dei suscipientes, adeò profecerunt, ut de eis Paulus ipse 1. Thessal. 1. v. 7. dicat, quòd forma facti fuerint omnibus creden-tibus

tibus in Macedonia & in Achaja, & ab eis diffamatus fuerit sermo Domini non solùm in Macedonia & in Achaja, sed & in omni loco Fides eorum, quæ est ad Deum profecta sit, ut sibi non sit necesse quidquam loqui: quæ repetit ibidem cap.2. v.14., addens, propterea ipsos tanta à Contribulibus suis passos esse, quanta fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, passi fuerant à Judæis. Quare (cap. 2. v.7. & 11.) erga illos se gerebat sicut nutrix & Pater erga filios; & v.8. cupiebat non solùm tradere eis Evangelium Dei, sed etiam animam suam pro illis (cap. 3. v.1.) Ad eos confirmandos misit Timotheum; cap.4. multis salutaribus monitis eos instruit de vita etiam futura, de futuro judicio; & cap.5., ut ad illud parati semper inveniantur, ostendit eis v.2., quòd *Dies Domini sicut fur in nocte ita veniet*. Et Epist.2. cap.2. idem argumentum prosequens, ne seducantur eos præmunit contra adventum Antichristi ejusque præcursorum, concludens v.15.: *Itaque fratres state; & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.*

IV. Speciali hac dilectione Fideles Thessalonicæ prosequebatur Paulus, quia eorum in Fide sinceritatem & constantiam detexerat. Sed infidelitas, quæ in multis præsertim ex Judæis permanserat, eorumque corda induraverat, multum laboris, & periculi peperit Paulo, ut dicam. Hospitabatur Paulus apud Fidelem quemdam *Jasonem* nomine. Huc ergo, qui obdurati manserant Judæi, concitatâ perditorum turbâ furentes venerunt: quærentesque Paulum & Silam, nec invenientes, Jasonem ipsum tamquam conspirationis in Cæsarem complicem ad Magistratus rapuerunt. Ita Act.17. v.5.: *Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, & turbâ factâ, concitaverunt Civitatem; & assistentes domui Jasonis, quærebant eos producere in Populum. Et cùm non invenissent eos, trahebant Jasonem, & quosdam fratres ad Principes Civitatis, clamantes; quoniam hi, qui Urbem concitant, & huc venerunt, quos suscepit Jason, & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse Jesum. Concitaverunt autem Plebem, & Principes Civitatis audientes hæc.* Vides apertam calumniam. Annuntiaverat Paulus, Christum Jesum oportuisse pati, & resurgere à mortuis, & isti dicunt, eos facere Regem alium & hunc esse Jesum. Jure ergo dicit Chrysostomus Homil.37., quòd *quia rationabilem causam non habebant, ex tumultu semper hæc omnia perficiunt, & assumtis improbis hominibus ..... Et quia illis nihil decretis contrarium dicebant, nec Civitatem concitabant, in aliud illos crimen ducunt, & læsæ majestatis falsò accusant.* Eorum tamen clamores

res non obstiterunt, quin Magistratus Jasonem aliosque Fideles datâ satisfactione, ideft cautione præsentandi Paulum, si contra eum aliud emersisset, liberos dimiserint. Unde v.9.: *Et acceptâ satisfactione à Jasone & cæteris, dimiserunt eos.* Ubi Chrysostomus: *Vide*, inquit, *quomodo satisfactione datâ Jason Paulum emisit: & ita animam suam pro illo posuit.* Itaque supra Jasonem totum periculum & tota gloria hujus actionis cecidit.

V. Quis fuerit iste Jason, qui adeò pro Paulo laboravit, rem adhuc ambiguam puto. Censent aliqui, hunc eundem fuisse, qui cum Timotheo, Luca (seu Lucio), & Sosipatro, de quibus Paulus Rom. 16. v. 21. ait: *Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius & Jason & Sosipater cognati mei*, quibus indicare videtur, hos sibi cognatione aliquâ sanguinis fuisse conjunctos. Hujus sententiæ est Chrysostomus Homil. 32. in Epist. ad Rom. dicens: *Jasonis hujus Lucas quoque meminit, fortitudinemque ejus nobis commendat dicens, quòd duxerint eum ad Magistratus Urbis clamantes: & alios quoque verisimile est, ex insignibus fuisse. Neque enim simpliciter cognatos memoraret, nisi pietate sibi similes essent.* Certè quòd Paulus primò Thessalonicam veniens apud Jasonem hospitatus sit, quòd pro salvando Paulo Jason se ipsum cautionem dederit, indicant eum fuisse arcto aliquo vinculo cum Paulo priùs conjunctum. Patriam quidem Thessalonicam habebat, sicut Sosipater Berœam in Macedonia, Urbes à Tharso unde erat Paulus valdè dissitas. Sed ut supra dixi §.1. novum non est, familias in Regionibus remotis degentes aliquo cognationis genere esse conjunctas. Origenes videtur sentire, Jasonem & Sosipatrum fuisse Gentiles, quamvis non neget, potuisse esse Judæos. Græci utrumque venerantur in Menologio ad diem 28. vel 29. Aprilis. Bollandus ad diem 28. Aprilis utrumque inter 70. Discipulos recenset. Baronius ad diem 12. Julii duos Jasones distinguit, unum Thessalonicensem S. Pauli cognatum, alterum origine Cyprum, quem Acta cap. 21. v. 16. vocant *Mnason*, & hunc dicit fuisse unum ex 70. Discipulis; sed in re tam incerta non vacat diutiùs immorari.

VI. Sedato tumultu, quem Thessalonicæ adversùm Paulum excitaverant Judæi, ne ulteriori periculo exponeretur (Act. 17. v. 10.): *Fratres confestim per noctem dimiserunt Paulum & Silam in Berœam* (Thessalonicæ non multum distantem): *Qui cùm venissent, in Synagogam Judæorum introierunt* (nihil territi ijs, quæ ob id sibi Thessalonicæ acciderant). Ibi Paulus veritatem Verbi, quod prædicabat, urgere cœpit ex Scripturis, ostendendo ex eis Jesum esse Christum promissum. Quod argumentum teste Chry-

Chryſoſtomo Homil. 37. in Acta, ad convincendum plus valet quàm ſigna: & reverâ Berœæ ita contigit. Nam Berœenſes, utpotè Teſſalonicenſibus faciliores (v. 11. & 12.): *Susceperunt verbum cum omni aviditate quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, & mulierum Gentilium honeſtarum, & viri non pauci.* Inter iſtos fuiſſe Soſipatrem, ſeu Sopatrem, de quo ſupra (ut enim Act. 20. 4. dicitur, natus erat Berœæ & Patrem habuit Pyrrhum) cenſent multi; quo poſito, eorum ruit opinio, qui putant, quòd Soſipater ſeu Sopater fuerit unus ex 70. Diſcipulis. Dicuntur autem *ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent*, non ut crederent, *jam enim crediderant*, inquit Chryſoſtomus, ſed ut certiores fierent de Chriſti Paſſione, quam in Scripturis prædictam, & in Jeſu impletam, Paulus prædicabat.

VII. Facilitas hæc & felicitas, quâm apud Berœenſes Evangelium obtinuerat, Theſſalonicenſium furore ac invidiâ interrupta eſt. Nam (v. 13. & 14.) *Cùm cognoviſſent in Theſſalonica Judæi, quia & Berœæ prædicatum eſt à Paulo Verbum Dei, venerunt & illuc commoventes & turbantes multitudinem. Statimque tunc Paulum dimiſerunt fratres, ut iret uſque ad mare. Silas autem & Timotheus remanſerunt ibi.* Hæc Pauli ſors, ut à quocumque loco deſcederet pulſus, Providentiæ Dei opus erat, ne alicubi quieſcendo, prædicatio extingueretur. Poterat Deus à furentibus ubique illos præſervare; *at non ubique Gratia operabatur, ſed ſinebat illos humana agere, illos excitans & expergefaciens, atque in ſollicitudinem injiciens: Vide ergo, uſque Philippos ſervavit eos: inde verò non item* (Chryſoſt. Hom. 37.)

Qui autem (v. 15.) *deducebant Paulum, perduxerunt eum uſque Athenas; & accepto mandato ab eo ad Silam & Timotheum, ut quàm celeriter venirent ad illum, profecti ſunt.* Dimiſſus fuerat ſolus; & quamvis ſolus non Athenis ſolùm ſed toti Orbi ſufficeret, noluit tamen operi manum apponere, niſi laboris ſocios & adiutores ſecum haberet, adeòut irrequietus eſſet, donec venirent. Sic v. 16.: *Paulus autem cùm Athenis eos expectaret, incitabatur ſpiritus ejus in ipſo, videns idololatriæ deditam Civitatem.*

VIII. Athenarum Civitas omnium ſcientiarum & præſertim Philoſophicarum celeberrima cultrix olim erat, ad illam vividiora ac litterarum amantiora ingenia confluebant; ſed quia veri Dei cognitio aberat, omnis idololatriæ ac erroris ſedes effecta fuerat, adeò ut nulla eſſet Civitas, quæ Idolis ac ſuperſtitionibus magis abundaret, ut ex Auguſt. ſerm. 150. cap. 1.

Con-

Contra hæc ergo incitatus ſpiritus Pauli diſputare cœpit, tum diebus Sabbatorum in Synagoga apud Judæos ac Proſelytos; tum quotidie publicè, & in foro apud colentes Deos; ex quibus in Urbe novitatum cultrice non paucos auditores habebat: ac inter iſtos quoſdam Epicureos ac Stoicos, quorum aliqui per contemtum vocabant eum *feminiverbium*, alii Doctrinam Dæmoniorum inducentem appellabant. Sic v.17.: *Diſputabat igitur in Synagoga cum Judæis, & colentibus* (ideſt proſelytis ex Chryſoſtomo Hom. 38.) *& in foro per omnes dies ad eos, qui aderant. Quidam autem Epicurei & Stoici Philoſophi differebant cum eo, & quidam dicebant: Quid vult ſeminiverbius hic dicere? Alii verò novorum Dæmoniorum videtur annuntiator eſſe; quia Jeſum & Reſurrectionem annuntiabat eis.* Hi autem non ut Judæi furentes in eum irruerunt, ſed ad Areopagum ſecundùm jura judicandum adduxerunt v.19.: *& apprehenſum eum ad Areopagum duxerunt.*

IX. Areopagus autem ex Baronio ad ann.52. n.2. & 3. erat locus juxta Mare, Promontorium Martis dictum, unde nomen Areopagi ſumtum, licèt Auguſtinus L.18. de Civit. Dei c.10., & alii hujus nominis aliam afferant cauſam. Hujus Judices, quorum erat cauſas majores nempè ſanguinis morum ac Religionis judicare, à loco Areopagitæ dicebantur. Hi probatæ integritatis, ſapientiæ, & rerum experientiæ viri eſſe debebant. Nemo ad hoc tribunal aſſumebatur, niſi priùs per annum in Magiſtratu inferiori, dicto Theſmotheſiæ (ad quem nec eligi poterat niſi publico anteactæ vitæ teſtimonio irreprehenſibilis adinventus) ſpecimen ſui dediſſet. Quòd ſi quis dolo intruſus, nec talis, qualis putabatur, deprehenſus fuiſſet, ab Areopagitarum numero ſpontè diſcedere cogebatur. Ter tantùm in menſe Areopagum aſcendebant judicaturi, quartò, tertiò, & pridiè Kal. Qui cauſam dicturi erant, ab omni verborum eloquentia ac ſermone ad perſuadendum compoſito abſtinere jubebantur, ſed ſimplici narratione rei geſtæ id perficiebant: & hoc ne verborum illecebris judices flecterentur: & qui ſecùs egiſſet, præconis voce tacere cogebatur. Eâdem quoque ratione, ne Judices miſerando reorum commoverentur aſpectu, ipsâ nocte, nullis admotis luminibus, tabellarem quiſque dabat ſententiam; unde in proverbium venit illud *Areopagitâ taciturnior*: ſicut etiam ab exacta Judicum in judicando rectitudine factum fuit, ut quiſque ſummæ vir integritatis hoc *Areopagitæ* cognomine demonſtraretur. Hoc tribunal, etiam Athenienſibus à Romanis ſubjugatis, Athenis perſeveraſſe apparet, quia adhuc erat illuc adveniente Paulo. Quin & Romani Proconſules Aſiæ perdifficiles

 cauſas

causas ejus judicio definiendas committebant, ut Cn. Dolabellam fecisse, ex Valerio testatur Gellius L.12. c.7.

X. Adductus ergo in Areopagum Paulus interrogatus fuit v.19.: *Possumus scire, quæ est hæc nova, quæ à te dicitur, Doctrina? Nova enim quædam infers auribus nostris: volumus enim scire, quidnam velint hæc esse (Athenienses autem omnes, & advenæ hospites, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.)* Ad perdifficilem sanè provinciam vocabatur Paulus, ad loquendum nempè coram Senatu, à quo vel Romani ipsi judicia quasi Leges acceperant, in suorum Deorum cultu adeò rigido, ut capitis supplicium immineret ei, qui vel Deos negaret, vel inconsulto ipso novam Religionem tentaret inducere. Si teste Josepho L. 2. contra Appionem, existimantibus Atheniensibus Solem esse Deum, Anaxagoras, qui dicebat, aliud non esse solem, quàm saxum ignitum, paucorum sententiâ morte damnatus fuit: si contra Diagoram Melitum talentum decreverunt ei, qui occideret eum, quia eorum Mysteria deridere ferebatur. Si Protagoras, eo quòd de Diis Atheniensium, an essent, revocasset in dubium, nisi citò fugisset, fuisset occisus. Si Socrates ipse à Melito de eodem Crimine accusatus, ducentis octoginta & unâ sententiis morte mulctatus fuit. Quid Paulo non erat timendum, qui contra omnes Deos, quos ipsi colebant, erat locuturus, ut ipsis unicum verum assereret Deum, hominem Judæum, à Judæis ipsis crucifixum?

XI. Impavidus tamen & simul circumspectus Paulus non illos tamquam idololatras apertè accusat, nec illorum Deos damnat, sed potiùs eos Religioni nimiùm addictos declarans, dicit, se, cùm inter eorum simulacra invenerit aram *Deo ignoto* sacram, venisse ad annuntiandum eis Numen, quod ignorantes colebant: *Stans autem Paulus in medio Areopagi ait* (v.22.) *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Præteriens enim, & videns simulacra vestra, inveni & aram, in qua scriptum erat* IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Hanc loquendi artem in Paulo commendat Chrysostomus Homil.38. in Acta his verbis: *Ac si illos laudaret videtur nihil molestum dicere „ Quasi superstitiosiores, inquit, vos video „ idest quasi pios. „* In qua scriptum erat Ignoto Deo „: *Quid est hoc? Athenienses quia per multa tempora acceperant Deos etiam extraneos, nempè templum Minervæ, Pana, aliosque aliunde: timentes ne fortè quis alius nondum notus sibi esset, qui tamen coleretur alibi, ad majorem securitatem, huic quoque aram erexerunt. Quia verò non erat manifestus Deus, inscriptum erat* „ Ignoto Deo „

Deo „. *Hunc ergo Jesum Christum esse, Paulus dicit, imo potiùs universorum Deum.* „ Quem ergo ignorantes colitis,*inquit*, hunc ego annuntio vobis „ *Vide, quomodo ostendat, ipsos jam pridem ipsum acceptavisse: nihil extraneum, inquit, nihilque novum affero*: Quo refutat, quod illi perpetuo dicebant: *Quæ est ista nova à te prolata Doctrina?* Ita Chrysostomus.

XII. Hieronymus tamen in Epist. ad Titum cap.1. sentit, aram illam non uni tantùm, sed pluribus ignotis Diis fuisse dicatam, ait enim: *Inscriptio autem Aræ non ita erat, ut Paulus asseruit*, „ Ignoto Deo „ *sed ita*: Diis Asiæ Europæ & Lybiæ, Diis ignotis & peregrinis. *Verùm quia Paulus non pluribus Diis indigebat ignotis, sed uno tantùm ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret suum illum esse Deum, quem Athenienses in Aræ titulo prænotassent, & eum rectè scientes colere deberent, quem ignorantes venerabantur, & nescire non poterant*. Œcumenius verò titulum his verbis conceptum tradit in Acta cap. 17. *Diis Asiæ Europæ & Lybiæ, Deo ignoto & Peregrino*. Sed hæc non facilè admiserim; nisi fortè dicatur, fuisse quidem Athenis aras dicatas Diis ignotis & peregrinis, sed fuisse unam specialem *Deo ignoto* sacram; & ad hanc respexisse Paulum. Nam apud Lucianum in Philopatr. habetur homo Gentilis jurans *Per Ignotum Athenis*, & ex persona Triephontis *Nos autem illum Athenis Ignotum inventum adorantes* &c. Placitis enim antiquorum & Philosophorum, ut Trismegisti & aliorum, quin & Sybillinis oraculis (ut Tertull. Apolog. cap. 46., Euseb. de Præpar. l. 8. cap.5. L.11. cap. 8. 9.) receptum erat, dari unum Deum invisibilem & ineffabilem, unde ne cui Numini suus honor deesset, Athenienses huic Aram erexerant: quia tamen *cùm* hunc Deum *cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt* (Rom. 1. v. 21.) propterea ad hunc colendum Athenienses Paulus hortatur. Vide Baron. ad ann.52. n.7. & 9.

XIII. Postquam ergo hoc loquendi modo magis attentos, & audiendi cupidos adstantes reddidit, cœpit eis exponere quis esset ille Deus, quem ignorantes colebant (à v. 24.) nempè Deus, qui fecit Mundum & omnia quæ in eo sunt: *Hic Cæli & Terræ cùm sit Dominus non in manufactis templis habitat, nec manibus hominum colitur indigens aliquo, cum ipse det vitam & inspirationem & omnia*: Deindè ostendit, hunc formasse ex uno omne genus hominum, qui licèt adeò sit excelsus, non longè tamen est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus movemur & sumus: *Ipsius enim & genus sumus*, ut *Aratus* quidam ex eorum Poetis dixit. Quo statuto sic infert: *Genus ergo cùm simus*

 Dei,

Dei, non debemus æstimare, auro & argento aut lapidi sculpturæ artis & cogitationis hominis Divinum esse simile. Quibus propositâ homini suâ nobilitate, quòd nempè de genere Dei ipse sit, demonstrat, quàm indignum sit æstimare aurum, argentum, lapides, quæ homo ipse facit, & proinde homine viliora sunt, Divinum aliquid habere.

XIV. Ita igitur universâ Idololatriâ, quamvis non eam expresse impugnando, eversâ, eos hortari incipit, ut pœnitentiam agant super ignorantia, quâ honores Divinos aliis, quàm ipsi vero Deo, nescientes detulerunt, ut rigorem, quo in extremo judicaturus est, declinent; quod obtinebant, si pœnitentiam conciperent in Fide illius, quem Deus statuit propitiatorem pro omnibus, & quem Deus suscitavit à mortuis, nempè Jesum. Hæc Pauli ad Athenienses Concio; adversùs quam nihil quod opponerent, invenerunt, nisi quia eam clauserat asserendo resurrectionem mortuorum. Unde v. 32. dicitur: *Cùm audissent autem resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum*. At, inquit Chrysostomus Homil. 39., *Cur Paulus, cum sic persuasisset, ut Athenienses dicerent* „ Audiemus te de hoc iterum „ *cumque nulla essent pericula, festinat Athenienses relinquere?* Respondet. *Fortè sciebat, se non multum lucri facturum. Alioquin etiam à Spiritu Corinthum ducebatur*: & infra. *Jure Corinthum, ut dixi, à Spiritu ducitur, in qua manere oportebat; Athenienses enim etsi novæ concionis amatores essent, non attendebant tamen. Neque enim curabant; sed ut semper quid dicendum haberent: id quod etiam fecit ut secederent.... Attamen persuasit Dionysio Areopagitæ, & aliis quibusdam; nam qui de vita rectè agenda curabant, citò verbum acceperunt: cæteri verò non item. Videtur ergo Paulus satis habuisse, quòd Fidei semina jecisset*.

XV. Aliquos ergo suâ concione Paulus Christo lucratus fuit. Unde cap. 17. v. 34. dicitur: *Quidam verò viri adhærentes ei crediderunt, in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis*. Is fuit celebris ille Dionysius Senator Areopagi, qui posteà à S. Paulo ordinatus primus Athenarum Episcopus fuit, & glorioso martyrio coronatus, ut omnia Martyrologia testantur, sub cujus nomine scripta, adhuc extant, quamvis Recentiores Critici, ut dixi, ea illi abjudicare conentur. Damarim autem fuisse Dionysii conjugem, plures Patres asseruerunt, ut Ambrosius Epist. ad Vercell., Chrysostomus L. 4. de Sacerd. cap. 7. dicens: *Rursùs Areopagita ille, qui fuit superstitiosissimæ Civitatis illius Civis, nonne una cum Uxore, auditâ tantùm*

tùm Pauli Concione, illum secutus est? His addit Hilduinus in Areopag. apud Surium die 9. Octob., ut legere per extensum quis poterit in Baronio ad ann. 52. n. 11., Dionysium ex discursu habito cum Paulo discessisse quidem conceptâ jam Fide in Christum, sed baptizatum fuisse cum Damari uxore, & tota domo sua, vi miraculi cæci nati à Paulo sanati. Sed quanta Fides huic narrationi sit adhibenda, determinare non audeo. Hæc anno Christi 52. arbitror contigisse.

§. XII.

Pergit Corinthum: Quid ibi egerit?

I. DUm Paulus Athenis moraretur, Timotheus, qui cum Sila Berœæ remanserat, ad eum venit: cùmque didicisset, Thessalonicenses à contribulibus suis multa pati, Paulus, qui eos specialiter diligebat, desiderabat eos videre (1. Thessal. 2. v. 17. & 18.) sed impediente eum Satanâ, judicavit ad illos confortandos mittere Timotheum, manens ipse Athenis solus, (quod signum est, Silam aliquâ causâ detentum vel Berœæ, vel alibi, Athenas cum Timotheo non venisse). Hoc scribit ipse 1. Thess. 3. v. 1. 2.: *Propter quod non sustinentes ampliùs, placuit nobis remanere Athenis solis: & misimus Timotheum fratrem nostrum & ministrum Dei in Evangelio Christi, ad confirmandos vos, & exhortandos pro Fide vestra.* Ex quibus colligitur, Paulum moram non brevem, sed aliquot saltem mensium, Athenis traxisse.

II. Tandem ait Lucas Act. 18. v. 1. Paulus *egressus ab Athenis venit Corinthum*, totius Achajæ seu Græciæ & Athenarum Metropolim. Propter hoc, & etiam quia inter duo maria sita, quibus omnibus partibus Orientis & Occidentis communicabat, Corinthus & Populo & divitiis abundabat: ejus tamen Cives quantò divitiis abundabant, tantò earum tenaces erant & avari, ut supra tetigi. Eloquentiæ fastum ostentasse ac scientiarum amatores fuisse creduntur, sed effræni impudicitiæ dediti. Ad hanc ergo Urbem misit Spiritus S. Paulum, ut ibi maneret anno uno & sex mensibus v. 11.: *Sedit autem ibi annum unum & sex menses, docens apud eos Verbum Dei;* & circa finem anni 52. Corinthum adventasse, probabile est.

III. Cùm Corinthum advenisset, ibi *Inveniens* (v. 2.) *quemdam Judæum nomine Aquilam Ponticum genere, & Priscillam Uxorem ejus (eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos à Ro-*

à Roma) *accessit ad eos. Et quia ejusdem erat artis, manebat apud eos* (*erant autem scenofactoriæ artis*). Consueverat Paulus, ut sæpè dixi, ne onere esset illis quibus prædicabat, labore manuum suarum victitare. Hoc multò magis apud Corinthios excercere voluit, ne occasionem acciperent dicendi, cum prætextu lucri, vel saltèm victum ab aliis sibi comparandi, Orbem prædicando circumire: quod Corinthii avari, facilè dubitassent. Hâc ratione inventis Aquilâ & Priscillâ eandem, ac ipse artem scenofactoriam (nempè tentoria faciendi, ut supra dixi §.1.n.4.) exercentes, apud illos divertit, & cum eis laborans de opere suo vivebat. Porrò Aquila & Priscilla licèt fixum domicilium Romæ haberent, Corinthum tamen venerant occasione generalis Edicti, quo Imperator Claudius Judæos omnes Româ exire paulò ante mandaverat.

IV. Sequitur v. 4.: *Et disputabat in Synagoga per omne Sabbatum, interponens nomen Domini Jesu, suadebatque Judæis & Græcis*. Fuit ipse primus, qui nomen Jesu Corinthi annuntiavit, & Evangelii fundamenta ibi jecit. Unde 1. Cor. 3. v. 6.: *Ego*, inquit, *plantavi*, & v. 10. *fundamentum posui*. Singulis diebus Sabbati in Synagoga disputans Judæis & Græcis Evangelii veritatem suadere conabatur. Interea Timotheus & Silas è Macedonia Corinthum venerunt: quorum adventu non parum gavisus fuit Paulus; tum quia non ampliùs solus, sed in laboribus socios habere incipiebat; tum quia Timotheus Thessalonicâ reversus (quò eum ut supra miserat) retulit ei, quantum in pietate & Fide constantes Fideles illius Urbis invenisset. Eos videndi majori æstuabat desiderio; sed quia impeditus, non multò post ad eos scripsit priorem Epistolam, in cujus titulo nomina Silvani & Timothei conjunxit 1. Thess. 1. v. 1.: *Paulus & Silvanus & Timotheus Ecclesiæ Thessalonicensium* &c. Hunc Silvanum eundem esse, quem Lucas in Actis appellat Silam, sentit inter alios Hieronymus Ep. 144. dicens, mendum esse legere *Silvanum* pro *Sila*. Theodoritus tamen putat idem esse nomen latinè redditum; mos enim Judæis erat, qui apud exteras Regiones degebant, sua nomina accommodare usui nationum: ita etiam Æstius in 2. ad Cor. cap. 1. Hanc Epistolam scriptam fuisse Corinthi paulò post reditum Timothei, indicant illa verba c. 3. v. 6.: *Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuntiante nobis Fidem & Caritatem vestram, & quia memoriam nostri habetis bonam semper desiderantes nos videre, sicut & nos quoque vos: ideò consolati sumus* &c. Unde non Athenis, ut aliqui putarunt, sed Corinthi data fuit (quamvis supra tom. 1. de Auct.

Lib.

Lib. novi Test. cap.2. §. 1. num.15. in suspenso reliquerim) & creditur fuisse primam ex omnibus, quas Paulus scripsit.

V. In hac priore Epistola, specialia dilectionis signa erga Fideles Thessalonicenses exhibet, & simul æstimationis eorum Fidei & constantiæ in ferendis persecutionibus. Laudat eorum caritatem erga omnes Christianos Macedoniæ; eos tamen monet, ut matrimonio sanctè utantur, ut evitent otium laborando manibus; ut mortuos defleant quidem, sed modo digno Fide, quàm profitentur, scilicet non sicut cæteri, qui spem resurrectionis non habent; & tandem ut semper vigiles sint, & parati ad adventum supremi Judicis.

VI. Non multò post, anno scilicet 53., manens adhuc Corinthi, scripsit ad eosdem secundam Epistolam, eundem titulum Pauli Silvani & Timothei præferentem: quod arguit, eam, sicut & primam, Corinthi non Athenis scripsisse, nempè post reditum Timothei Thessalonicâ, qui ab Athenis missus rediens Paulum jam Corinthi invenerat, ut dictum est. Occasio hanc scribendi fuit hæc. Resciverat Paulus, quosdam Pseudo-Apostolos sub pietatis specie quæstum ambientes, monitos, quòd Thessalonicenses ad sua bona largienda essent cæteris promtiores, evulgare cœpisse, jam instare Mundi finem, & hoc divinitùs sibi fuisse revelatum: & ad hoc etiam vel ementitam Pauli Epistolam afferebant, vel priorem Epistolam ejus falsâ interpretatione trahebant. Volebat Paulus, ut se optare sæpius testatus fuerat, ad illos à deceptione tuendos transire, sed cùm non posset, his verbis ad eos scripsit c. 2. v. 1.: *Rogamus autem vos Fratres, per adventum Domini Nostri Jesu Christi, & nostræ Congregationis in ipsum; ut non citò moveamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per Sermonem, neque per Epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo.* Hortatur deinde illos ad ferendas persecutiones, & ut se subtrahant ab illis, qui otiosè vivere volunt.

VII. Silâ igitur & Timotheo jam ad eum Corinthi reversis, dicit Lucas cap. 18. v. 5.: *Instabat verbo Paulus, testificans Judæis esse Christum Jesum. Contradicentibus autem eis, & blasphemantibus, excutiens vestimenta sua, dixit ad eos: Sanguis vester super caput vestrum; mundus ego ex hoc ad Gentes vadam.* Inde relicto hospitio Aquilæ, qui Judæus erat, ut quod comminatus fuerat facto comprobaret, se recepit in domum Titi Justi, qui Gentilis erat sed proselytus, Synagogæ conjunctam (V. 7.) *Et migrans inde, intravit in domum cujusdam nomine Titi Justi, colentis Deum,*

Deum, cujus domus erat conjuncta Synagogæ. Elegit domum Synagogæ vicinam, ut viderent Judæi, se illos prorsùs non deseruisse, sed paratum esse amplecti si vellent: *Vicinus erat* (inquit Chrysostomus Homil. *39.*) *ut ex vicinia zelum haberent, si vellent*, & ut Judæi sæpè videntes Gentiles ad Christum converti & Paulum frequentare, saltèm quâdam æmulatione ad idipsum & ipsi moverentur: Uno verbo: totum agebat Paulus erga Judæos, ut illos ad pœnitentiam traheret, ac illis se subtrahebat, ut eum ardentiùs quærerent.

VIII. *Justus* iste, ad cujus domum Paulus divertit, à Luca vocatur etiam *Titus*; & quamvis Chrysostomus Hom. *39.* solo Justi nomine ipsum appellet, & *migrans venit in domum Justi*: omnia tamen Manuscripta tum Græca tum Latina Titum Justum eum nominant, quin & Syriaca & Arabica. Voluerunt aliqui, hunc Titum esse illum eundem Pauli Discipulum, ad quem Paulus scripsit, & cui Ecclesiam Cretensem administrandam commisit; sed immeritò. Nam primò iste Titus, ad quem Paulus scripsit, semper vocatur Titus, nunquam verò Titus Justus. Deinde: iste erat Pauli Discipulus etiam antè Concilium Hierosolymitanum, & consequenter antequam Paulus veniret Corinthum. Tertiò iste missus à Paulo Corinthum 2. Cor. 12. v. 18. erat veluti Socius Pauli in ministerio, & de ministerio potens vivere: hoc autem dici non poterat de viro Corinthio magis, quàm de cæteris ad quos scribebat; Titus autem Justus Corinthius erat. Hunc Titum Justum dicit Lucas esse *colentem Deum*; Chrysostomus hoc nomine intelligit *Proselytum*. Alii autem *Colentes Deum* volunt fuisse omnes illos, qui ex commercio cum Judæis verum Deum adorare didicerant, sive Circumcisionem & alias Legis observantias suscepissent, ut Proselyti, sive non, ut erat Cornelius.

IX. Separationem Pauli a Judæis fuisse, ut dixi, comminatoriam solùm & ad terrorem, indicat Lucas v. 8., ubi narrans Conversionem Crispi Archisynagogi ait: *Crispus autem Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua*: quem Paulus, nedum suscepit, sed etiam suis manibus baptizavit, ut testatur ipse 1. Cor. 1. v. *16.*, tanquam factum singulare dicens: *Neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum & Cajum.... Non enim misit me Christus baptizare, sed Evangelizare*. Hunc tradunt posteà Ecclesiam Æginensem propè Athenas administrasse. Festum ejus unà cum Cajo seu Gajo, de quo infra, celebrant Latini ad diem 4. Octobris.

X. Præter Crispum Judæum, inquit S. Lucas, *Multi Corinthio-*

thiorum (Gentilium) *credebant & baptizabantur*, manibus fortè Timothei & Silæ adjutorum Pauli. Verùm quia de hoc Sila seu Silvano, ut supra dixi, nulla amplius fortè mentio erit, sciendum, ejus festum in Martyrol. Rom. diei 13. Julii consignari his verbis: *In Macedonia Beati Silæ, qui cùm esset de primis Fratribus, & ab Apostolis ad Ecclesias Gentium unà cum Paulo & Barnaba destinatus, prædicationis officium Gratiâ Dei plenus instanter consummavit, atque in passionibus suis Christum clarificans postmodum requievit*. Quibus indicari videtur, non sinè Martyrii palma decessisse. Græci, qui Silam à Silvano distinguunt, utriusque unà cum Crescente, Egenete, & Andronico in suo Menologio ad diem 30. Julii commemorant. His adhærentes Dorothæus in Synopsi & Hyppolitus in libello 72. Apost. Silam Episcopum Corinthiorum faciunt, Silvanum verò Thessalonicensium. Sunt qui de Sila locutum Paulum existiment 2. Cor. 8. v. 18., cùm ait: *Misimus etiam cum illo* (Tito) *fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Non solùm autem, sed & ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ*. Attamen S. Chrysostomus & S. Thomas volunt, Paulum in dictis verbis respexisse potiùs ad Barnabam, sive ad Lucam.

XI. Quò magis Evangelium Corinthi, Paulo prædicante, progressibus augebatur, *eò majus ipsi tunc erat periculum, multis credentibus, & ipso Archisynagogo*, (inquit Chrysostomus Hom. 39. in Acta). Unde ut ipse testatur 2. Cor. 11. v. 9., multis etiam necessariis ad victum caruisset, nisi à fratribus de Macedonia ei subventum fuisset. Imo 1. Cor. 2. v. 3. fatetur, se in timore & terrore multo fuisse propter insidias & pericula, quæ illi imminebant; quibus tamen à munere suo Apostolico nihil deterrebatur. Quare Chrysostomus Homil. 6. in 1. ad Cor. observans illa verba *In timore & tremore multò fui apud vos*, ait: *Quid dicis? Paulus quoque timebat pericula? Timebat, & valdè timebat. Etiamsi enim Paulus esset; at homo erat. Hoc autem non erat Pauli crimen, sed infirmitas naturæ, & propositi encomium, quòd mortem & plagas timens, nihil indignum ex timore fecerit. Itaut qui dicunt, illum non timuisse plagas, non modò illum non honorent, sed & multum ex laudibus demant. Nam si non timebat, quæ perseverantia, quæ Philosophia in ferendis periculis? Ego verò ideò illum admiror, quòd timens, nec modò timens, sed tremens in periculis, semper cucurrit coronatus, & nulli cessit periculo, expurgans Orbem, & ubique terrarum & marium prædicationem seminans*. His Pauli constantiam laudat Chrysostomus.

XII. Poterat autem Paulus timorem in periculis vincere,

aderat enim ei Is, quo confortante omnia poterat. Unde refert Lucas Act. 18. v. 9., quòd in hisce angustiis laboranti, *Dixit Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas: Propter quod ego sum tecum: & nemo apponetur tibi, ut noceat te, quoniam Populus est mihi multus in hac Civitate*. Quâ promissione roboratus *sedit ibi annum & sex menses, docens apud eos Verbum Dei*. Existimant tamen multi cum Baronio ad ann. 58. num. 44., illis 18. mensibus non sic Corinthi mansisse, quin ad alias propinquiores Achajæ Civitates prædicatione excurrerit, atque iterum Corinthum rediens dictum tempus expleverit; & sic verificetur, quòd tribus vicibus venerit Corinthum, ut ipse dicit 2. Cor. 13. v. 1.: *Ecce tertiò hoc venio ad vos*. Cùm de secundo ejus adventu Corinthum neque ex Luca neque ex Epistolis Pauli mentio habeatur.

XIII. Dum Paulus Corinthi moraretur, hospitatus fuit non solùm apud Aquilam & Titum Justum, sed etiam (sive in hoc primo, sive in alio adventu) apud Cajum seu Gajum, & apud Phœben Ecclesiæ Cenchreensis (Suburbii, quod Corinthi versus Asiam portus erat) Diaconissam. De Cajo testatur ipse Rom. 16. v. 23.: *Salutat vos Cajus hospes meus*: hunc suis manibus baptizasse, 1. Cor. 1. v. 14. ipse dicit: fuisse genere Macedonem, constat Act. 19. v. 29., incolam tamen Corinthi, ac eundem Apostolum euntem in Asiam cum Aristarcho Ephesum usque comitatum fuisse, ubi diutiùs substitit. Hunc aliqui confundunt cum Cajo seu veriùs Gajo, cui S. Joannes tertiam ex suis Epistolis inscripsit: plerique tamen distinguunt & volunt, hunc fuisse alium S. Pauli Discipulum Derbensem in Lycaonia. Caii hospitis S. Pauli unà cum Crispo Festum agitur die 4. Octobris. De Phœbe Diaconissa, sui etiam & multorum hospite, mentionem facit ad Rom. 16. v. 1.: de qua Martyrol. Rom. 3. Sept. ait: *Corinthi Natalis Sanctæ Phoebes, cujus meminit beatus Apostolus Paulus ad Romanos scribens*.

XIV. Dum Paulus Corinthi adhuc maneret, ut refert Baronius ad ann. 53. num. 35., Achajam factam tunc Provinciam Proconsularem (ex Lege Clodia, ut Cicero ait Orat. in Pison.) curabat Junius Gallio Lucii Annæi Senecæ germanus frater, qui à Junio Gallione adoptatus, priore nomine relicto, scil. Marci Annæi Novati, de adoptantis nomine nuncupari cœpit Gallio. Is igitur in Proconsulatum, sub Nerone in gratiam Senecæ fratris Neronis præceptoris vel assumtus, vel in eo saltèm confirmatus fuit. Indolis erat lenis & jucundæ, dignus propterea, cui Seneca germanus libellum de Ira inscripserit. Communem tamen

tamen cum Seneca fratre fortunam expertus, Nerone jubente extinctus fuit.

XV. Cùm ergo Gallio Corinthi ageret, Judæi de more in Paulum concitati, ad ejus tribunal Apostolum rapuerunt. Factum narrat Lucas Act. 18. à v. 12. his verbis: *Gallione autem Proconsule Achajæ, insurrexerunt uno animo Judæi in Paulum, & adjuxerunt eum ad tribunal, dicentes: Quia contra Legem hic persuadet hominibus colere Deum. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Judæos: Si quidem esset iniquum aliquid, aut facinus pessimum, Viri Judæi, rectè vos sustinerem; si verò quæstiones sunt de verbo & nominibus, & Lege vestra, vos ipsi videritis: Judex ego horum nolo esse: & minavit eos à tribunali*. Unde videntes, Proconsulem eorum instantiam nihil curare, pergit Lucas, *Apprehendentes autem omnes Sosthenem Principem Synagogæ* (qui fortè Crispo successerat & Paulo favebat), *percutiebant eum ante tribunal, & nihil eorum Gallioni curæ erat*. Et addit Chrysostomus in prooemio 1. ad Cor., quòd etiam Paulus verberatus coram ipso est: ex quo idem Chrysostomus Homil. 39. in Acta colligit Judicis æquitatem & mansuetudinem, & ex adverso Judæorum audaciam & furorem. Poterat secundùm Leges Proconsulares etiam in causis de Religione judicare; tantùm tamen detulit Religioni Judæorum, ut à judicio abstinuerit. Poterat & quasi debebat injuriam percussionis coram ipso pro tribunali sedente irrogatam vindicare, sed maluit in hoc etiam eorum furenti amentiæ ignoscere.

XVI. S. Augustinus Ep. 93. aliàs 48. cap. 2. & Beda in Acta putant, Sosthenem fuisse percussum non à Judæis sed à Græcis Gentilibus. Cùm enim Pagani malè exceptos à Judice Hebræos cernerent, Præsidis exemplo audaciores facti, de Principe Synagogæ sive ludibrium, sive ultionem de Paulo sibi capiendam putarunt. Paria Cajetanus, Lyranus, Grotius & alii senserunt, quibus præivit Petrus Comest. Hist. Scholast. in Acta c. 91.

Alii verò, ut dixi, sentiunt, Sosthenem à Judæis fuisse percussum, quòd eum clam favere Paulo deprehenderent, inter quos Chrysostomus Hom. 39. in Acta: & favet Martyrol. Rom. ad diem 28. Novembris his verbis: *Apud Corinthum Natalis Sancti Sosthenis Discipuli beati Pauli Apostoli, cujus mentionem facit idem Apostolus Corinthiis scribens. Hic ex Principe Synagogæ conversus ad Christum, ante Gallionem Proconsulem acriter verberatus præclaro initio Fidei suæ primordia consecravit*. Unde diversus est iste Sosthenes ab illo, quem Eusebius L. 1. Hist. Eccl. c. 12. inter 70. Discipulos recenset.

§. XIII.

Adventus Pauli Ephesum: de Aquila, Priscilla & Apollo.

I. Cùm Judæi nil ampliùs moliri possent contra Paulum, cui Deus suam protectionem, ut supra, promiserat, quâ etiam factum fuit, ut Gallio eorum accusationes contra ipsum contemneret, acquieverunt. Unde potuit Paulus usque ad complementum 18. mensium Corinthi manere, atque indè incolumis discedere. Sic enim ait Lucas Act. 18. v. 18.: *Paulus verò cùm adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, navigavit in Syriam (& cum eo Priscilla & Aquila), qui sibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum.* Hæc postrema verba quibus dicitur, quòd Paulus cùm esset Cenchris Corinthi Portu, totondit sibi caput, quia habebat votum, indicant, eum voto Nazaræorum fuisse obstrictum, eâ tonsione declarans, se à voto esse solutum. Votum hoc abstinentiam à vino & capillos non tondendos injungebat, donec voti tempus esset completum. Cæremoniæ & obligationes hujus voti distinctè exponuntur Num. 6., ubi additur, quòd si contingat, etiam ante tempus impleti voti aliquem coram Nazaræo mori, tunc tenebatur statim sibi tondere caput, & iterum septimâ & octavâ die offerre duas turtures, & inde iterum inchoare voti tempus. Hanc fuisse causam, cur Paulus Cenchris caput totonderit, censent aliqui, quia scilicet aliquis coram eo ibi mortuus fuerit; omisit tamen turtures offerre, quia hoc Hierosolymis tantùm fieri poterat.

II. Nec miretur aliquis, Paulum, qui tanto zelo exarsit contra observantiam Legalium, votum legale Nazaræatus observasse: nam, ut superiùs dixi, conatus Pauli fuit persuadere, observantiam Circumcisionis & aliorum Legalium non esse ampliùs necessariam ad salutem, ut aliqui è Judaismo conversi contendebant; non tamen eam ita damnare, ut si quis ex pietate vel motivo honesto aliquid Legalium pro eo tempore admittere judicaret, id non posset. Hâc ratione ut supra dixi Timotheum circumcidit, votum Nazaræatus observavit, & alia admisit, ut Judæos faciliùs ad Christum traheret, ut ipse ait 1. Cor. 9. v. 20.: *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer* &c., ostendens eis, se honorare eorum Legem tanquam Sanctam quia à Deo, non tamen tanquam necessariam quia ejus tempus jam præteriit: de quo videri potest Augustinus Ep. 82.

Ep.82. aliàs 19. ad Hieron., ubi ait: *Ipsum verò Paulum non ad hoc id egisse; quòd vel Timotheum circumcidit, vel Cenchreis votum persolvit, vel Jerosolymis à Jacobo admonitus, cum eis, qui noverant, legitima illa celebranda suscepit; ut putari videretur, per ea Sacramenta etiam Christianam salutem dari: sed ne illa, quæ prioribus ut congruebat temporibus in umbris rerum futurarum Deus fieri jusserat, tamquam Idololatriam Gentilium damnare crederetur. Hoc est enim, quod illi Jacobus ait* (Act.21. v.21.) *auditum de illo esse, quòd discissionem doceat à Moyse: quod utique nefas est, ut credentes in Christum discindantur à Propheta Christi.* Ita August. Ut ergo hanc accusationem depelleret Paulus, votum Nazaræatus & aliqua alia Legalia identidem frequentabat.

III. Dubitant aliqui, an solus Paulus comam totonderit, an etiam Aquila, imò & ejus uxor Priscilla, cum feminæ à voto Nazaræatus non excluderentur Num.6.v.1.: cui respondetur, solum Paulum totondisse ex voto; id enim verba citata Lucæ ostendunt, qui in singulari loquitur *totonderat, habebat enim votum*. Quamvis autem dicat *Et cum eo Priscilla & Aquila*, sub parenthesi ponitur; & significat, istos cum eo navigasse, non cum eo totondisse.

IV. Paulus navigans Syriam pervenit Ephesum, ibique Aquilam & Priscillam reliquit; & ingressus Synagogam disputabat cum Judæis (Act.18. v.19.): reliquit autem Aquilam & Priscillam Ephesi (ait Chrysostomus Hom.40. in Acta), *Vel quia nolebat illos circumducere, ideò reliquit, vel potiùs, ut Doctores manerent Ephesiis. Ipsi verò posteà Corinthi habitarunt: de quibus etiam magnificè testificatur, & Romanis scribens salutat ipsos. Quare videtur mihi, ipsos posteà venisse Romam, utpotè qui libenter frequentabant loca, unde ejecti fuerant, sub Nerone.* Hæc Chrysostomus. Verùm eos Ephesi adhuc moratos fuisse anno 57., quo Paulus primam ad Corinthios dedit Epistolam; eumque hospitio suscepisse, colligitur ex illo 1. Cor. 16. v. 19.: *Salutant vos in Domino multùm Aquila & Priscilla cum domestica sua Ecclesia, apud quos & hospitor.* Eos tamen jam fuisse Romæ anno 58., mortuo Claudio & Nerone Imperante, quo ad Romanos Paulus scripsit constat Rom. 16. v. 3. ait: *Salutate Priscam & Aquilam adjutores meos in Christo Jesu* (*Qui pro anima mea suas cervices supposuerunt, quibus non solus ego gratias ago, sed & cunctæ Ecclesiæ Gentium*) *& domesticam Ecclesiam eorum.* Vocat autem *Priscam*, quam alibi *Priscillam*; quia Priscilla est diminutivum Priscæ: quibus patet quantum hi duo conjuges pro Evangelio laboraverint, exponendo vitam pro salute Pauli, hospi-

ſpitalitatem exercendo, non ſolùm erga ipſum, ſed erga cunctos Fideles tam ex Judæis quàm ex Gentibus, cui omnes eorum domeſtici cooperabantur, adeòut eorum Domum Paulus Eccleſiam nuncupet. De eis inſigne texit elogium S.Jo: Chryſoſtomus Homil.30. in Ep. ad Romanos. Poſt aliquod tempus Aquila & Priſcilla Româ in Aſiam reverſi ſunt, eoſque S. Paulus anno Chriſti 65. in ſecunda Epiſtola ad Timotheum cap. 4. v. 19. ſalutari juſſit. Ibidem diem clauſiſſe feruntur. Martyrio obiiſſe Chryſoſtomus loco citato ſupponit, dicens: *Reſpice laborem illorum circa prædicationem, martyrii coronam, in pecuniis liberalitatem, erga Paulum dilectionem, erga Chriſtum amorem*. Eorum Feſtum die 8. Julii celebrant Latini; Græci verò in Menologio die 13. Februarii, ubi ſic dicitur inter multa: *Poſt mortem verò Apoſtoli, cùm Chriſtum profiteri non deſiſterent, correpti ab Idololatris, poſt multa tormenta decollati ſunt*. Hæc de Aquila & Priſcilla.

V. Nunc redeundo ad S. Paulum, Is cum veniſſet Epheſum introgreſſus Synagogam, ut conſueverat, inde abire decrevit: *Rogantibus autem eis* (Act.18. v.20.) *ut ampliori tempore maneret, non conſenſit: ſed valefaciens, & dicens, Iterum revertar ad vos, Deo volente profectus eſt ab Epheſo: & deſcendens Cæſaream, aſcendit et ſalutavit Eccleſiam, et deſcendit Antiochiam*. Ita in Vulgata. In textu autem Græco, etiam apud Chryſoſtomum legitur: *Sed valedixit eis dicens, Oportet me omninò Feſtum, quod inſtat, agere Jeroſolymis. Iterum autem* &c. Quibus apparet, cauſam, quare Paulus voluit Epheſo ſtatim proficiſci, fuiſſe, quia intendebat intereſſe feſto, quod Jeroſolymis proximè celebrandum erat anno Chriſti 54.: quapropter aſſumto navigio deſcendit Cæſaream, & inde aſcendit Jeroſolymam implendæ Religionis cauſa. Quæritur proinde quale fuerit hoc Feſtum, ad quod pergere Paulus properabat. Aliqui, inter quos Grotius in cap.18. Actorum, cenſent fuiſſe Feſtum Paſchæ, quia ex praxi Scripturæ *Feſtum* ſine addito ſtat pro Feſto Paſchatis: verùm ſi ita eſſet, oportuiſſet, ut Paulus menſe Februarii Epheſo diſceſſiſſet, & proindè menſe navigationis minùs proprio. Alii cenſent fuiſſe Feſtum Pentecoſtes, quod ſecundùm Bucherii calculum eo anno in 29. Maii incidit, & ſic initio Aprilis anni 54. Epheſum reliquiſſe.

VI. Verùm quidquid ſit, Paulus ſalutatâ Eccleſiâ, quæ Jeroſolymis erat, *deſcendit Antiochiam, et* (ut habetur v. 23.) *facto ibi aliquanto tempore profectus eſt, perambulans ex ordine Galaticam Regionem, et Phrygiam, confirmans omnes Diſcipulos*.

Ca-

Cæsaream, ad quam Paulus profectus est Epheso, probabilius est, fuisse Cæsaream Palæstinæ, quæ iter præbebat Jerosolymam; non verò Cappadociæ, quæ ab itinere Jerosolymam valdè distabat. Antiochiam fuisse non Pisidiæ sed Syriæ, putat Chrysostomus Homil. 40. in Acta dicens: *Cur ergo rursùs Antiochiam concedit? .... Humano quodam affectu Civitatem illam prosequebatur. Ibi enim appellati sunt Discipuli Christiani, ibi traditus est Gratiæ Dei, ibi dogmatis negotia perfecit*: & propterea aliquanto tempore ibi moratus est. Deindè ne cuiquam deesset, ordine Galatiæ & Phrygiæ Ecclesias visitans, ac Discipulorum conventus faciens, omnes in Fide confirmabat.

VII. Eo tempore, quo Paulus præfatas Provincias peragrabat, imo paulò post ejus discessum, Judæus quidam nomine Apollo genere Alexandrinus Ephesum venit. Hic licèt adhuc Cathecumenus, utpotè solo baptismo Joannis initiatus, quia tamen viarum Domini peritus, & eloquens ac in Scripturis versatus, cœpit de Jesu in Synagoga disserere. Quem audientes Aquila & Priscilla, de Religione pleniùs instruxêre, & fortè Baptismo Christi etiam tinxerunt. Ita narrat S. Lucas Act. 18. à v. 24.: *Judæus autem quidam Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum potens in Scripturis. Hic erat edoctus vias Domini, et fervens Spiritu loquebatur, et docebat diligenter ea, quæ sunt Jesu, sciens tantùm Baptisma Joannis. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in Synagoga: quem cum audissent Priscilla et Aquila, assumserunt eum, et diligentiùs exposuerunt ei viam Domini.*

VIII. Baptizatum fuisse Baptismo Christi Apollo ab Aquila & Priscilla post pleniorem expositionem de viis Domini, probabile est, ut dixi. Attamen Chrysostomus Hom. 40. in Acta *Si hic*, inquit, *Baptisma Joannis tantùm sciebat, quomodo fervebat Spiritu? Spiritus enim non ita dabatur. Si autem, qui post illum fuerunt, opus habuère Christi Baptismo, multò magis hic opus habuisset: quid ergo dicendum? neque enim sine causa utrumque posuit Scriptor. Videtur mihi, hunc esse unum ex centum viginti, qui cum Apostolis baptizati sunt: vel si non ita sit, quod in Cornelio, in hoc quoque factum est. Sed non baptizatur, donec illi accuratiùs exposuerunt. Hoc mihi verum esse videtur, quia baptizari illum oportebat, quoniam duodecim alii nihil perfectè noverunt, neque ea quæ Jesum spectabant: verisimile est autem eum baptizatum fuisse*. Quibus estò ambigat Chrysostomus, quando & à quibus Apollo baptizatus fuerit Baptismo Christi, supponit tamen certum, illum fuisse Baptismo Christo baptizatum, & probabiliùs post accu-

accuratam expositionem de Jesu, ab Aquila & Priscilla ei factam.

IX. Post modicum temporis transire in Achajam exoptavit Apollo. Re cum fratribus collatâ, obtinuit ab eis litteras ad Discipulos ibi existentes, ut eum susciperent. Illuc autem, & maximè Corinthum Metropolim perveniens, adeò feliciter laboravit, ut ea, quæ Paulus ibi plantaverat, opportunè irrigaverit, teste Paulo ipso 1. Cor. 3. v. 6.: *Ego plantavi, Apollo rigavit*. Ita Lucas Act. 18. v. 27.: *Cùm autem vellet ire in Achajam, exhortati fratres, scripserunt Discipulis, ut susciperent eum. Qui cùm venisset, contulit multum his, qui crediderant. Vehementer enim Judæos revincebat publicè, ostendens per Scripturas, esse Christum Jesum*. In tanta æstimatione à Corinthiis habitus fuit, vt quidam ejus sequelæ addicti, illius Doctrinæ studiosiores, dicerent, se esse Apollo, aliis interim dicentibus se esse Pauli, aliis se esse Cephæ: quo parum abfuit, ne schisma excitaretur. Unde ad hoc præfocandum præcipuè, Paulus priorem Epistolam ad Corinthios scripsit; in qua c. 3. eis ostendit, quòd licèt ipse plantaverit, Apollo rigaverit; attamen *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: qui autem plantat & qui rigat, unum sunt*.

Porrò tantum abfuit, ut hâc studiorum divisione Apollo se extolleret, ac se à Paulo divelleret; quin potiùs Corintho relicto Ephesum ad Paulum transierit; à quo etiam rogatus, ut Corinthum rediret, noluit tamen saltèm pro illo tempore. Testis est Paulus ipse 1. Cor. 16. v. 12. dicens: *De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum, ut veniret ad vos cum fratribus: & utique non fuit voluntas, ut nunc veniret: veniet autem cùm ei vacuum fuerit*. Imò S. Hieronymus in Epist. ad Titum cap. 3. tradit, eam divisionem occasione sui inter Corinthios ortam, adeò Apollo displicuisse, ut Corintho relicto, in Cretam cum Zena Legis perito confugerit; nec priùs rediisse, quàm per Apostolum Paulum dissidentes animi conciliarentur: tandem verò rebus compositis Corinthum reversum, à Paulo Corinthiorum Episcopum fuisse constitutum. Græci tamen in Menologio Basilii Imp. ad diem 9. Decembris faciunt eum Episcopum Cæsareæ: in alio Menologio Canisii 8. Decembris Episcopum Duræ, vel juxta alia Menol. Colophonis in Asia; eumque unum ex 70. Discipulis faciunt: Ferrario autem est Episcopus Coni sive Iconii in Phrygia, ex quibus patet incertum esse cujus Urbis Episcopus fuerit. Eum martyrio obiisse unà cum aliis Discipulis, autumat Menologium Basilii loco supra citato.

§. XIV.

§. XIV.

Reditus & Mora Pauli Ephesi, & quid ibi egerit.

I. F*Actum est* (inquit S. Lucas Act.19. v.1.) *cùm Apollo esset Corinthi, ut Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum*, ubi triennio mansit (Act.20. v.31.) ut ibi fundaret Ecclesiam, secum comites habens Cajum & Aristarchum Macedones (cap.19. v.29.) ac Timotheum Derbensem seu Lystrensem, & Erastum Corinthium (ibid. v.22.), qui ei adjutores erant in ministerio. Hìc dubium emergit, an Paulus Ecclesiam Ephesi primus fundaverit, quam deindè suâ præsentiâ confirmare, & sua morte honorare S. Joannes Evangelista debebat. In quo partem affirmativam tenuit secundo Sæculo Irenæus L.3. cap.3., ubi loquens de Ecclesiis, quæ suo tempore poterant testificari Apostolicam Traditionem, postquam ut testem principalem protulit Ecclesiam Romanam ab Apostolis Petro & Paulo fundatam, & deindè omnes alias Asiæ Ecclesias, concludit: *Sed & quæ est Ephesi Ecclesia à Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos usque ad Trajani tempora, testis est verus Apostolorum Traditionis*: quibus asserit, Joannem quidem Ephesi diù permansisse, sed Ecclesiam jam à Paulo fundatam invenisse. Et quidem si Acta Apostolorum conferimus, primùm qui illuc appulerit Paulum fuisse deprehendemus. Accedit, quòd Pauli genius erat ibi annuntiare Evangelium, ubi nondum Christus fuerat nominatus, ne super alienum fundamentum ædificaret, ut ipse fatetur Roman. 15. v. 20.: quod etiam indicatur, quia Paulus Ephesi non transeunter, sed ex consilio & per triennium prædicans moratus fuit, quod nullibi fortè fecit. Undè etiam admisso, quòd Petrus & Joannes illac anteà pertransierint, cùm ibi moram non traxerint, par est credere, Ecclesiam ibi non erexisse. Erant quidem aliqui Fideles Ephesi, ut Aquila, Priscilla, & aliquis forte, qui in primò Pauli adventu Corintho eum comitati fuerant, vel aliqui ex alia parte illuc appulsi, sed Fidelium cœtus, qui est Ecclesia, ante hunc Pauli reditum Ephesi nondum erat.

II. Anno igitur à suo discessu elapso, non enim minore tempore potuit itinera prænarrata perficere, rediit Paulus Ephesum, hoc est anno Christi 55., cùmque ibi (ait Lucas c.19. v.2.) invenisset quosdam Discipulos, dixit ad eos: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: sed neque si Spiritus San-*

Sanctus est, audivimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis Baptismate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ Populum dicens: In eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant: erant autem omnes viri fere duodecim. Hi ut putat Chrysostomus Hom.40., ex iis forte erant, *qui tunc Jerosolymam se contulerant & abierunt: & baptizati sunt: sed etiam baptizati, Jesum non sciebant.* Quo facto apertè reviucitur error Calvini, volentis Baptismum Joannis esse eundem cum Baptismo Christi: contra quem alibi dixi. Unde Chrysostomus Hom.40. in Acta: *Rectè autem dixit Baptisma Joannis Pœnitentiæ esse, non autem remissionis: erigens illos suadensque eis hoc, vacuum fuisse Baptismum illum. Nam posterius dati Baptismi opus erat remissio illa.* Neque, quòd modo impositione manuum non dentur nobis Charismata illa Linguarum & Prophetiæ, conqueri debemus. Nam inquit Chrysostomus ibi: *Nihil hinc nobis damni, si nobis attendere voluerimus. Caput bonorum habemus per Baptismum: peccatorum remissionem accepimus, sanctificationem, Spiritus participationem, adoptionem, vitam æternam. Quid ampliùs vultis? Signa? Sed cessaverunt. Fidem habes, Spem, Caritatem, quæ manent. Hæc quære: hæc signis sunt majora.* Ita Chrysostomus.

III. Statim ac Ephesi fixit pedem Paulus, cùm (v.8.) *Introgressus Synagogam cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans, & suadens de Regno Dei.* Utique se in Synagogas immittit, & ab eis occasionem accipit. Nam Gentes (ait Chrysostomus Hom.41.) jam zelo fervebant, & libenter eum suscipiebant: Volebat Discipulos à Judæis abstrahere, ut faciliùs cum Gentibus congregarentur. De Regno Dei disputabat, eosque ad Regnum invitabat: quis talia prædicantem libenter non audisset? Sed contrarium de more evenit. Unde v.9.: *Cùm autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis segregavit Discipulos, quotidiè disputans in schola Tyranni cujusdam.* Hic Paulo accidit, quod sæpè & maximè Corinthi evenerat, ut relictâ Synagogâ Judæorum Dei gratiam respuente, ad Gentes demigrare cogeretur. Quæri solet, quid intelligatur nomine Tyranni cujusdam, in cujus scholam ad prædicandum Paulus se recepit.

Putant aliqui, fuisse Principem seù Optimatem aliquem, qui domum suam in eum usum concesserit. Plerique tamen sentiunt, nomen esse Gentilis cujusdam inter amicos Apostoli, qui

Fi-

Fidem Christi susceperat. In hac schola seu domo feliciùs, quàm in Synagoga res Paulo successit. Nam sequitur v.10.: *Hoc autem factum est per biennium: ita ut omnes, qui habitabant in Asia, audirent Verbum Domini, Judæi, atque Græci*: qui sive ex partibus vicinioribus Asiæ ad illum confluebant, sive quia Paulus totó illo biennio non Ephesi hæsit, quin identidem per alias Asiæ partes prædicando discurreret.

IV. Dum Ephesi Paulus moram traheret, placuit Deo per ipsum signa mirabilia facere, ut dicat Lucas v.11.: *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli: itaut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur*. Quæ admirans Cyrillus Jerosol. Catech. 17. ait: *Tantaque super eo gratia Spiritus erat, ut non solùm contactus ipsius sanitatem refunderet; verùm etiam delata à carne ejus sudaria & semicinctia morbos curarent, & malos spiritus abigerent*. Quid ad hæc Novatores Sanctorum reliquias contemnentes? Scriptura narrat, sudaria & semicinctia à corpore Pauli delata, eis quibus imponebantur ægris attulisse sanitatem, & eorum contactu Dæmones à corporibus fugisse territos. Si modò illa ipsa Pauli sudaria & semicinctia extarent, & ob ipsorum oculos Novatorum ponerentur: plus dicam: si fimbria vestis Christi, cujus contactu Hemorrhoissa curata fuit, eis exhiberetur, quid quæso facerent? Aversarentur ne? redigerent ne per contemtum in cineres, ut alibi fecerunt, aut eas conculcarent, vel in auras spargerent? Pejores ipsis Dæmonibus essent, qui eorum aspectu territi statim fugiebant, vel saltèm illis pares essent, qui eadem aversabantur. Norint ergo, velint, nolint, eâdem virtute, quâ Christus fimbriam vestis suæ donavit, ditasse etiam Reliquias & vestes servorum suorum, ut eis, qui cum Fide eas tangunt, gratias quas orant virtute Christi impertiantur, juxta ejusdem promissum Jo: 14. v.12.: *Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet*: sed de his alibi pro dignitate egi. Ideoque hæc sufficiant.

V. An inter cætera dona, quibus S.Paulus ornabatur, fuerit etiam istud: quòd umbra sui corporis transeuntis ægros sanaret: negativè censet Baronius ad ann.55. num.11.; ubi ait, quòd estò Chrysostomus Hom.8. in Ep.ad Rom., & Hom.6. in 1. ad Cor. hoc videatur asserere, rhetoricâ amplificatione potiùs quàm rei veritate locutus sit, cùm de solo Petro hoc Scriptura referat Act.5. v.15. Cæterùm Chrysostomus Hom.8. ad Rom. hoc non tribuit determinatè Paulo, sed Apostolis vagè; ait enim: *Quâ*

igitur excusatione digni fuerimus, si cùm illorum umbra & vestimenta mortem depellerent, nec orationes quidem nostræ passiones reprimant? In eodem sensu loquitur Augustinus tract.44. in Joan. dicens: *Numquid nox erat, quando transeuntibus Discipulis ægri cum lectulis ponebantur, ut vel umbrâ transeuntium tangerentur?* Cyrillus L.6. contra Julian. hoc etiam Joanni & aliis tribuens: *Qui*, inquit, *Christi tempore fuerunt, Petrum dico & Joannem, aliosque, qui umbrâ solâ corporum ægritudines sanabant, Paulum eximit eum* &c. Non est ergo inverisimile, alios a Petro ac etiam Paulum solâ umbrâ corporis ægros sanasse, licèt de solo Petro Scriptura hoc exprimat.

VI. Videntes quidam Judæi, invocato Jesu, & impositis sudariis & semicinctiis Pauli, Dæmones à corporibus fugari; hoc idem & ipsi Exorcismis tentaverunt: Quid evenerit narratur Act.19.v.13. sic: *Tentaverunt autem quidam & de circumstantibus Judæis Exorcistis invocare super eos, qui habebant Spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Judæi Scevæ Principis Sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant. Respondens autem Spiritus nequam dixit eis: Jesum novi & Paulum scio: vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat Dæmonium pessimum, & dominatus amborum, invaluit contra eos, itant nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem notum factum est omnibus Judæis, atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes, & magnificabatur nomen Domini Jesu.* Ausus verè temerarius, & dignus, qui Dæmonem ipsum haberet vindicem & ultorem. Non credentes in Jesum, imo ad lucrum & quæstum Jesu nomine abutentes, Dæmonem ejicere tentabant. Res hæc displicuit quodammodò etiam Dæmoni, adeòut qui debuerat esse adiutor eorum flagitii, eos vel invitus punire coactus sit. Simile quid Lucæ 9. v. 49. & 50. accidisse narrat Christo Joannes: *Vidimus quemquam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, & prohibuimus eum: quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illum Jesus: nolite prohibere: qui enim non est adversùm vos, vobiscum est.* Cur ergo hoc idem facientes hic non permittit, ut faciant, sed punit? Respondet Chrysostomus Hom.41. in Acta, quòd *tunc non impediebatur, quia tunc initium rerum erat. Etenim & Judas fur non cohibebatur. Ananias verò & Sapphira interfecti sunt. Multi Judæi obsistentes, nihil passi sunt: Elymas verò excæcatus est.* „ Non enim, *inquit*, veni ut Judicem Mundum, sed ut salvetur Mundus„. Accedit quòd, ut ait Ambrosius in caput 9.Lucæ, illi occulti erant Discipuli propter metum, sicut Joseph & Nicodemus;

mus; & ideò non prohibuit, quia sciebat quid in tempore essent facturi. At isti (addit Chrysostomus) *Judæi adhuc manentes, ex ipso nomine lucrari volebant; itaque omnia ad gloriam & lucrum faciebant;* & ideò justè prohibiti & puniti sunt: & etiam, ut ait infra, *videtur illos irridendi causâ hoc fecisse, ideoque plectuntur, itaut postbac nemo auderet temerè hoc Nomen proferre.*

VII. Meritò igitur hoc factum, & quia publicum, & quia in personis conspicuis, nempè septem filiis Scevæ Principis Sacerdotum, evenit, omnes timore concussit, & gloriam Nominis Jesu mirè promovit. Unde v.18.: *Multi credentes veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus; & computatis pretiis illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Ita fortiter crescebat Verbum Dei; & confirmabatur.* Ecce quomodo ad promovendam gloriam suam etiam Dæmone usus est Christus: *Hoc* (inquit Chrysostomus citatus) *Fidelium multos ad confessionem deduxit, hoc & timorem ipsis incussit; maximumque hoc argumentum fuit, Deum omnia nosse. Priusquam à Dæmonibus redarguerentur, se ipsos accusabant, timentes ne eadem paterentur, & jure quidem. Quando enim adjutores Dæmones accusatores illorum erant non auxiliatores, qualis spes supererat, nisi confessio per opera?* Hos quos Lucas vocat *credentes*, volunt aliqui, fuisse Paganos tunc conversos, & primò Fidem Christi amplectentes; veriùs tamen creditur, fuisse Christianos, qui terrore concussi se peccatores confitebantur.

Qui verò combusserunt libros, censent aliqui fuisse Paganos, tunc ad Fidem conversos, alii verò, ut supra, censent fuisse eosdem jam credentes, qui licèt ante errores in illis libris contentos ejurassent, libros tamen apud se adhuc retinebant. Libri autem isti magici erant & astrologici: quo exemplo consuevit Ecclesia posterioribus seculis libros magicos, & ab Hæreticis contra Fidem Catholicam conscriptos, igni tradere publicè comburendos. Quoad Libros Magicos S. Augustinus in Psal. 61. circa finem de quodam Mago, qui conversus fuerat, ait: *Nostis, in Actibus Apostolorum esse scriptum, quia multi perditi, idest talium artium homines & doctrinarum nefariarum sectatores, omnes codices suos ad Apostolos detulerunt, & incensi sunt libri tam multi, ut pertineret ad Scriptorem æstimationem eorum facere, & summam pretii conscribere.... Perierat ergo iste; nunc quæsitus, inventus, adductus est: portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat.* De Li-

Libris verò Hæreticorum comburendis extant Christianòrum Imperatorum Leges Cod. Theodos. L. ultim. de Hæreticis.

VIII. Dum Ephesi moraretur Paulus, magis magisque Verbum Dei crescebat, & confirmabatur; sed non deerant adversarii, qui illud oppugnarent, nec persecutiones præsertim à Judæis: quæ estò Lucas omittat, ipse scribens ad Corinthios Ep. 1. cap. 16. v. 8. & 9. indicat his verbis: *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecostem. Ostium enim mihi apertum est magnum & evidens, & adversarii multi*: & cap. 15. v. 30.: *Ut quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior per vestram gloriam, Fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro. Si secundùm hominem ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt?* Quibus fatetur, tot fuisse pericula & insidias, quæ ejus vitæ Ephesi parabantur, ut quotidie crederet se moriturum. Difficultas est in ultimis verbis, quibus dicit, se Ephesi pugnasse ad bestias. Origenes enim in Periarcho L. 2., & ex eo Nicephorus L. 1. cap. 25., censent in sensu litterali esse accipienda, nimirùm quod Paulus Ephesi fuerit reverâ in Amphiteatro expositus bestiis devorandus, sed Divina virtute præservatus. Tertullianus etiam L. de Pudicitia cap. 22. loquens de Martyribus, dicit: *Jam ad bestias depugnaverat Paulus Ephesi*. S. Cyprianus Ep. 6. hortans nos, ut Pauli documenta sectemur, ait: *Qui post carcerem sæpè repetitum, post flagella, post bestias, mitis & humilis perseveravit*. Sicut ergo Paulus revera *in carceribus fuit, ac flagella sustinuit*; ita revera vult Cyprianus, damnatum fuisse ad bestias: & S. Hilarius L. contra Auxentium: *Anne*, inquit, *aliquam sibi assumebant e Palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere inter catenos & post flagella cantantes* (Apostoli), *edictisque Regis Paulus cùm in Theatro spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat?* Certè Sancti non dicuntur facti spectaculum in Theatro, nisi bestiis expositi.

IX. Baronius autem ad ann. 55. num 5. &c. censet, verba Pauli esse accipienda in sensu metaphorico, itaut bestias intellexerit homines bestiales, & ferinos, sicut cùm 2. ad Timotheum 4. v. 17. dicit: *Liberatus sum de ore Leonis*, per Leonem intelligens Neronem. Addit, quòd si ad bestias damnatus fuisset, hoc in 2. Epistola, quam post duos annos ad Corinthios scripsit, inter certamina memorasset, qui enim ibi cap. 11. cætera etiam his minora enumerat, non omisisset: sibique favere putat Chrysostomum Homil. 40. in 1. ad Cor., ubi ait: *Quid est*,, Si secundùm hominem? *Quod ad hominem attinet pugnavi cum bestiis*: & ex modo loquendi Pauli *pugnavi ad bestias* se colligere autumat,

mat, nam qui bestiis tradebantur ad mortem, non exponebantur ut pugnarent cum bestiis, sed ut à bestiis vorarentur: & concludit, quòd contraria opinio fundatur in libro apocrypho, qui inscribitur *Acta Pauli*. Utramque opinionem Lectoris judicio permitto, ut eligat, quam maluerit.

X. Multa etiam Ephesi passum fuisse Paulum occasionè Apollonii Tyanæi insignis Magi, qui circa illa tempora nempè annum 56. vel 55. illuc advenit, credibile est. Ejus Historiam seu veriùs præstigias scripsit Philostratus. Hic tantam apud Ephesios æstimationem obtinuit, ut eum statuâ donatum inter Divos retulerint. Epheso relicto, mox in Græciam, deindè Romam Neronis Imperio inchoato venit, ubique magicis suis illusionibus Populos dementans; adeòut illum Christo conferre vel etiam præferre, aliqui conarentur, ut ait Augustinus Ep. 138. aliàs 5. ad Marcellinum cap. 4.: sic permittente Deo, ut sicut Magi olim in Ægypto coram Pharaone Dei opera per Moysen facta æmulari conati sunt, atque irrita reddere: sic & Simon & Apollonius Magi Petri & Pauli opera virtute Christi facta æmulari, & sic Verbum Dei infirmare coram Gentibus, conarentur. At sicut Moyses Ægyptios Magos confudit; sic & Petrus Christi ope Simonem prostravit, & Paulus Apollonio contemto aliisque Magis devictis, Christum toto Orbe clariorem reddidit; ut nec Simonis nec Apollonii memoria nisi in opprobrium remanserit. Quamvis Philostratus Apollonium in Cœlum sublatum ut Christum scribere, conatus sit; hoc tamen impium esse mendacium, vel ipse modus, quo idem Philostratus loquitur, apertè demonstrat, ut inter alios probat Eusebius L. contra Hieroclem Confutat. Libri 8. Philostrati de morte Apollonii.

XI. Superius §. 12. & 13. probabiliter dixi, quòd etsi Paulus triennio Ephesi moratus sit, non sic tamen ibi hæsit, quin ad alias partes discurrerit pro sui Apostolatus munere; tum occasione itineris Jerosolymam, tum etiam post: & præcipuè Corinthum iterum rediisse, & Galatiam percurrisse non semel. Nunc in eadem sententia permaneo. Et quoad Corinthum maximè: quia estò Lucas de secundo itinere Pauli Corinthum nihil dicat, illud tamen indicat Paulus ipse 2. Cor. 13. dicens: *Ecce tertiò hoc venio ad vos*. Porrò cùm hic secundus adventus Corinthum nullibi legatur expressus, valdè credibile est, eo triennio, quo Ephesi moratus est, saltèm per brevem puta mensis moram contigisse.

Ephesi etiam didisse Epistolam ad Galatas, credibile est, quamvis alii Nicopoli, alii Romæ datam putent, ut alibi dixi; ubi

ubi ostendi, argumentum hujus Epistolæ totum esse in persuadendo eis, Christianos exemtos esse ab onere Legis contra quosdam, qui oppositum eis prædicabant. Galatis prædicaverat Petrus, ut ex prima ejus Epistola ad Populos Ponti, Galatiæ, Capadociæ directa apparet, sed solis Judæis. Posteà veniens Paulus, & incipiens verbum facere etiam Gentibus, cum eis ostenderet Legalia jam cessasse, nec ad eorum observantiam teneri; commoti, fortè Judæi, qui Petrum de hoc nihil differentem audierant, cœperunt spargere, Paulum prædicare contraria iis quæ eis prædicaverat Petrus, eumque despicere, quasi minorem Petro: propter quod Pauli Discipuli multa passi fuerant, ut testatur ipse Galat. 3. v. 4. Id ergo resciens Paulus ad eos Epistolam scripsit, in qua c. 1. v. 8. anathema dicit cuicumque, etiamsi esset ipse, aut Angelus de Cœlo, qui aliam Doctrinam ab ea, quam ipse docuerat, evangelizaret: deindè cap. 2. ostendit, suam Doctrinam eandem esse cum Doctrina Jacobi Petri & Joannis, qui dexteram unionis ipsi dederunt, ut ipse in Gentes, illi verò in Circumcisionem irent: addens, cùm sibi visus esset Petrus facto suo oppositum comprobare, se palàm ipsum reprehendisse, nec Petrum ei contradixisse. Tandem plura ex Scripturis profert, ut Galatas ab hoc errore abducat; & sciant, se non esse ampliùs servos sub Lege, sed liberos sub Gratia constitutos.

§. XV.

Mittit in Macedoniam Timotheum, scribit Priorem Epistolam ad Corinthios: & seditio Ephesi contra ipsum.

I. POstquam Lucas Act. 19. dixit, quòd ex facto Dæmonis contra filios Scevæ fortiter crescebat Verbum Dei, addit v. 21.: *His autem expletis, proposuit Paulus in Spiritu, transitâ Macedoniâ & Achajâ ire Jerosolymam, dicens: quoniam postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre*. Desinente igitur anno Christi 56., vel 57. inchoato ut vult Baronius, Paulus (inquit Chrysostomus Homil. 42. in Acta) *satis moratus in illa Civitate* (Ephesi) *vult iterum aliò migrare; & ideò mittit Timotheum & Erastum in Macedoniam, ipse verò manet Ephesi. Quomodo autem initio volens in Syriam abire, in Macedoniam revertitur? Ut ostendat, se non omnia propriâ virtute facere.* Hæc Chrysostomus. Volebat ergo Epheso discedere post Pentecosten. Unde 1. Cor. 16. v. 8.: *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten*, & pertransitâ Macedo-

cedo-

cedoniâ & Achajâ, Corinthi hyemare, ut ibi ait v.6.: *Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hyemabo .... Nolo enim vos modò in transitu videre: spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit.*

II. Dixit Paulus *Oportet me Romam videre.* Hoc enim se à pluribus annis desiderasse, testatur Rom.1.v.10. his verbis: *Semper in orationibus meis obsecrans, si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos*: quod repetit v.13.; & cap.15. v.23. summoperè optabat illius Ecclesiæ videre Fideles (quorum Fides, ut ipse dicit Rom.1., v.8. annuntiabatur in universo Mundo) ut apud illos sicut apud cæteras Nationes aliquem fructum & spirituales gratias promoveret, in Fide suâ præsentiâ & dictis magis magisque roboraret, & tandem vicissim gauderent in Fide quam profitebantur. Chrysostomus Hom.42. in Acta advertens, quòd Paulus proposuit in Spiritu oportere se Romam videre, arguit hoc Spiritu prophetico eum dixisse: at certè tunc ei nondum fuerat revelatum tempus ac modus, quo ire debebat.

III. Interim tamen dum Asiam relinquere cogitabat, ait Lucas Act.19. v.22., *Mittens in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timotheum & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia;* injungens Timotheo, ut iret Corinthum 1.Cor.4. v.17.; monens Corinthios, ne illum spernant sed audiant tanquam se ipsum, & completo opere eum dimittant, ut ad se revertatur. Ita 1. Cor.16. v.11.: *Ne quis ergo illum spernat: deducite autem illum in pace, ut veniat ad me; expecto enim illum cum fratribus.* Creditur autem Paulus misisse in Macedoniam Timotheum & Erastum, ut pararent Collectas seu Eleemosynas pro Fidelibus Jerosolymis degentibus. Ita Beda in cap.19. Act.: *Præmisit Discipulos ad præparandas eleemosynas, quas Jerosolymam erat allaturus, ne cùm ipse veniret, tunc collectæ fierent.*

IV. Erastus seu Erastes, quem cum Timotheo Paulus misit Corinthum, Patriâ Corinthius erat, ab ipso Rom.16. v.23. Arcarius Civitatis appellatus, scilicet Præfectus Ærarii Corinthiorum, qua in Urbe tunc Paulus morabatur (quamvis Græci Recentiores eum faciant Præfectum Ærarii Jerosolymæ). Hic munere suo abdicato, & Pauli sequelæ addictus Ephesum petiit ubi Paulus anno 56. versabatur. Inde ab eo cum Timotheo in Macedoniam missus fuit, ut dixi. Corinthi ambos unà cum Paulo anno 58. fuisse deducitur, quia Paulus in Epistola ad Romanos, quam Corinthi manens scripsit, nomine utriusque Romanos salutat Rom.16. v.21. & 23.. Exinde verisimilius creditur, Era-

 stum

stum indivisibilem Pauli in itineribus comitem fuisse, quousque hic Corintho transiens Romam ivit ad martyrium. Tunc enim Erastum Corinthi reliquit 2. ad Tim. 40. v. 20. *Erastus remansit Corinthi*. Usuardus, Ado & Martyrologium Romanum ad diem 26. Julii tradunt, Erastum in Macedonia ab Apostolo relictum Episcopum Philippis fuisse, ibique martyrio coronatum. Græci verò ad diem 10. Novembris volunt, eum fuisse unum ex 70. Discipulis, Jerosolymitanæ Ecclesiæ primùm Oeconomum, deindè Episcopum Paneadis creatum ibi in pace quievisse. Quibus fides adhibenda sit, latet.

V. Paulus Ephesi adhuc manens nuntium accepit de contentionibus Corinthi subortis inter Fideles, ac veluti schisma inter eos parientibus, dum quidam eorum dicebant, se esse Pauli, quidam Apollo, quidam Cephæ, quidam verò Christi, de quo supra §. 14. aliqua dixi. Hanc autem notitiam accepisse se dicit ab illis, qui erant de domo Chloes 1. Cor. 1. v. 11.: *Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis, qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos*: & ut putat Chrysostomus in 1. ad Cor. cap. 16. v. 17. Homil. 44. fortè per Stephanam Fortunatum & Achajum, qui Paulum Ephesi adierant, unde ait: *Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, Fortunati, & Achaici, quoniam quod vobis deerat, ipsi suppleverunt*, sive voce narrantes, sive (ut putat Chrysostomus citato loco) etiam litteras nomine illius Ecclesiæ deferentes, ut Paulum de iis, de matrimonio, virginitate, & aliis consulerent, de quibus in priore Epistola eos instruit. Chloes autem, de cujus domo isti venerunt, secundùm plures mulier erat Corinthia Fidelis; sunt tamen qui velint, non feminam sed virum fuisse. Interim verò, fortè ob divisionem exortam Corintho abierat, & apud Paulum Ephesi se receperat.

VI. Ut hisce dissidiis occurreret, scripsit Paulus Ephesi priorem Epistolam ad Corinthios aliquantò ante Pentecostem anni sequentis, sive in fine anni præcedentis, sive initio sequentis Christi 57., ut vult Baronius. Et quidem post seditionem à Demetrio excitatam, de qua infra, missa creditur per Stephanam, Fortunatum, & Achajum, non per Timotheum, qui missus à Paulo in Macedoniam fuerat, nec adhuc Corinthum pervenerat. Unde 1. Cor. cap. 16. v. 10. dicit: *Si autem venerit Timotheus, videte, ut sine timore sit apud vos: opus enim Domini operatur, sicut & ego*: & hortatur eos, ut eum expeditè dimittant, ut ad se veniat, eum enim expectat. Signum ergo est, quòd Timotheus tunc cum Paulo non erat. Loco igitur Timothei Epistolæ ti-

titulus Sosthenem nominat, qui ille ipse creditur, qui Princeps Synagogæ Corinthi fuerat, & propter Paulum, cui posteà adhæsit, fuit flagellatus, de quo supra. Putarunt quidam, Paulum priùs aliam Epistolam ad Corinthios scripsisse modò deperditam, moti, quia 1. Cor.5. v.9. dicit: *Scripsi vobis in Epistola, ne commisceamini fornicariis*, & v. 11.: *Nunc autem scripsi vobis, non commisceri*. Ita Haymo existimans, parvam Epistolam fuisse à Paulo eis missam, ut moneret, fornicariis talibus non misceri; qualis fuerat Corinthius ille, qui habebat uxorem patris sui; sed quia illud malè intellexerant, putantes, quòd hoc non diceret Fidelibus, ideò scripsit eis hanc secundam, cui adhærere videtur S.Thomas in cap. 5. ad Cor. Lect.3.. Veriùs tamen cum Baronio ad ann.57. num.23., ex Chrysostomo Hom.16. in 1. ad Cor. & aliis, dici debet, illa Pauli verba ad ea potiùs, quæ proximè dixerat v.1. in eâdem esse referenda, quàm ad aliam Epistolam, cujus nulla est mentio. Ita sentit etiam Beda in hunc locum.

VII. Argumentum hujus Epistolæ exposui supra tom.1. de Lib. Novi Fœderis cap.2. §.1.num.7. Solùm occurrit scrupulus, quomodo occasione schismatis inter Corinthios aliqui dicerent *Ego sum Cephæ*, idest Petri, cum Petrus Corinthi anteà fuisse non legatur, sed solus Paulus primò, deinde Apollo. Scrupulum tollere, conatur Alexander in cap.1. primæ ad Cor. dicens, quòd hoc fortè dicebant Judæi, qui Petro prædicante ad Christi Fidem Romæ conversi, ab eoque instituti & baptizati Corinthum posteà venerant, ibique domicilium elegerant. Aliter tollit Baronius ad ann. 57. num. 3. his verbis: „ Non sic dice„ bant alii se esse Cephæ, quòd Cephas Corinthi prædicasset; „ sicut nec qui se dicerent esse Christi, id ob eam causam profi„ tebantur, quòd Christus cum in humanis esset, illis Evange„ lium annuntiasset: sed potiùs, quo illam contentionem & „ scissuram Ecclesiæ declinarent, rem ad suum Principem re„ ducentes (quòd sic falli non possent) dicebant, se esse primò „ omnium post Christum Pastoris & Ecclesiæ Capitis Petri Di„ scipulos, alii verò Auctoris omnium Christi. Idcircò idem „ Paulus inferiùs (cap.3) nulla de Cepha habita mentione, nec „ de Christo, sed quia sui tantùm causâ, & Apollo, fuerat oborta „ contentio, subdit v. 4.: *Cùm enim quis dicat: Ego quidem sum* „ *Pauli, alius autem Ego Apollo; nonne homines estis? Quid igitur* „ *est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri ejus, cui credidistis, &* „ *unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit;* „ *sed Deus incrementum dedit*. Sicque videas, cùm de Ministe„ rio & Officio agitur prædicationis, nullam ampliùs (secun-

„ dùm nuper dictam sententiam) de Petro haberi mentionem ,
„ eò quòd nondum prædicasset ipse , sicut Paulus & Apollo ,
„ Corinthiis Evangelium : sed quòd in Ecclesia primatum tene-
„ ret , esse ab aliis superiùs nominatum , sicut & Christum : ut
„ quia ille omnium Pastor, hic verò esset Christianæ Religionis
„ principium . Hactenus Baronius .

VIII. Nunc ad Act. Apost. revertamur , Ephesi adhuc morabatur Paulus , quia ibi, ut dixi, & Verbum Dei quotidie augebatur , nec deerant adversarii , contra quos pugnaret . Unde 1. Cor. 16. v. 9. causam suæ permanentiæ Ephesi exponens ait: *Ostium enim mihi apertum est magnum & evidens , & adversarii multi* . Ephesus enim utpotè totius minoris Asiæ Metropolis , & quòd in illa esset Dianæ Templum (de quo paulò infra) omnium Gentium concursu celeberrimum , & quòd denique Proconsul Asiæ illic agere consuevisset , ad quem necesse erat ex tota Provincia homines convenire , peropportunus ipsi visus est locus , ubi diutiùs Evangelium prædicando consisteret , & amplam Ecclesiam Christo erigeret . Quia etiam viris inter Gentiles doctis ac facundis abundabat : unde Philostratus L. 8. de illa dicit : *Abundat bonarum artium studiis , Philosophis , Oratoribusque redundat , ut verè dici possit , eam Civitatem non equitum robore , sed clarorum hominum millibus cæteras superare , in eaque plurimum vigere sapientiam* : ideò Paulus , qui non aliud optabat , quàm in agone pro Christo contendere , hanc elegit , ubi diutiùs subsideret , ac pugnaret : sed quod in eum non valuerunt zelo Religionis sapientes , amore quæstus & pecuniæ tentarunt Artifices .

IX. Ephesi igitur apud Paganos summo in honore habebatur quædam statua eburnea , seu ex alia materia , quam putabant è Cœlo delapsam,eamque sub Dianæ nomine colebant : ei erexerant magnificentissimum Templum , ad quod ex omni parte idololatræ confluentes quasdam argenteas statuas cum suis ædiculis , sive superstitionis sive voti causâ offerebant : quæ res in magnum argentariorum opificum quæstum & lucrum cedebat .

Videns ergo quidam Demetrius , opificum argentariorum caput , Pauli prædicationes ad evertendum Dianæ & totius Idololatriæ cultum conspirare , accitis cæteris suæ artis opificibus , seditionem contra Paulum excitavit ; quam his verbis describit Lucas Act. 19. à v. 23. : *Facta est autem illo tempore turbatio non minima de via Domini . Demetrius enim quidam nomine , argentarius , faciens ædes argenteas Dianæ , præstabat artificibus non modicum quæstum . Quos convocans , & eos qui hujusmodi erant opifices, dixit:*

dixit: Viri, scitis, quia de hoc artificio est nobis acquisitio: & videtis & auditis, quia non solùm Ephesi, sed penè totius Asiæ Paulus hic suadens avertit multam Turbam dicens: quoniam non sunt Dii, qui manibus fiunt. Non solùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ Templum in nihilum reputabitur, sed & destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia & Orbis colit. Vide callidam argentarii artem. Orationem ducit non solùm ab utili, sed & ab honesto, ut duplici laqueo audientes capiat, & cupiditatis lucri, & Religionis: quod ei benè cessit.

X. Nam *his auditis repleti sunt irâ & exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum: & impleta est Civitas confusione; & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gajo & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli. Paulo autem volente intrare in Populum, non permiserunt Discipuli. Quidam autem & de Asiæ Principibus, qui erant amici ejus, miserunt ad eum, rogantes, ne se daret in theatrum*. Popularis furor illico accenditur, sicut stipula cùm igne invaditur, maximè cùm de lucri jactura agitur, nec limites habet. Impavidus tamen Paulus in furentes se se injicere zelo Dei abreptus non timet, Discipulis tamen & amicis Asiæ Principibus eum deterrentibus obtemperat; *neque enim* (ait Chrysostomus Hom.42.) *erat vanæ gloriæ cupidus, vel ambitiosus*. Jure dicere potest Ephesi se pugnasse ad bestias. Illos Asiæ Principes Pauli amicos Chrysostomus Hom.42. in Acta dicit fuisse Christianos: Alii autem putant fuisse Pontifices paganos, qui Ephesum venerant ad celebrandos ludos in Theatro in honorem Dianæ, qui ditissimi erant. Theatrum autem (inquit Beda hic) *locus est semicirculi figuram habens, in quo stantes Populi ludos scenicos intus inspiciebant. Unde & à spectaculo Græcè Theatri nomen accepit. Itaque sicut Arator ait:*

Non alio decuit causam, meritumque Dianæ
Lascivos tractare foro, capit area turpis
Concilii deformis opus.

XI. Adeò incompositus ac cæcus tumultus erat, ut alii aliud clamarent nescientes quid dicerent, nec cur convenissent. *Alii autem aliud clamabant: erat enim Ecclesia confusa, & plures nescierunt, qua ex causa convenissent*. Adeòut vel ipsi Judæi Divinâ dispensatione unum ex suis è Turba extraxerint, qui tumultum sedaret. *De turba autem detraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Judæis: Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem Populo. Quem ut cognoverunt Judæum esse, vox facta est omnium quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum.*

Sed

Sed cùm nihil proficeret, tumultum tandem compescuit Scriba Civitatis (quem aliqui putant fuisse eundem Alexandrum, alii verò alium virum Paganum) Oratione prolixâ, ostendens eis, quòd tumultus iste tanquam seditio coram Cæsare reputabitur, ideòque ei debebunt rationem reddere: esse Ephesi Judices, ad eos confugiant, & quod justum erit obtinebunt. Quibus Populus acquievit: unde sequitur: *Et cum sedasset Scriba Turbas, dixit: viri Ephesii, quis enim est hominum, qui nesciat, Ephesiorum Civitatem cultricem esse magnæ Dianæ, Jovisque prolis?* (Dianam enim Jovem & Latonam parentes, & Apollinem fratrem habuisse Ethnici putabant) *cùm ergo his contradici non possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temerè agere. Adduxistis enim homines istos, neque sacrilegos, neque blasphemantes Deam vestram. Quòd si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent adversum aliquem causam, conventus forenses aguntur, & Proconsules sunt, accusent invicem. Si quid autem alterius rei quæritis: in legitima Ecclesia poterit absolvi. Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ; cùm nullus obnoxius sit (de quo possimus reddere rationem) concursus istius. Et cum hæc dixisset dimisit Ecclesiam*, idest cœtum Populi jam acquiescentis.

XII. Occasione prænarrati tumultus mentio tantùm fit Gaii seu Caii & Aristarchi Macedonum, qui in Theatrum rapti vix ne occiderentur evaserunt. Hi Paulum Corintho Ephesum comitati, ibi cum illo substitêre. De Cajo seu Gajo dixi supra §.12.: Aristarchus verò, cujus etiam meminit ad Colofs.4.v.10. & ad Philem. v.24. & ipse Macedo Thessalonicâ oriundus erat. Hic Epheso cum Paulo digressus, euntem in Asiam & exindè Judæam ac tandem Romam comitatus est, ubi sub Nerone capitali sententiâ damnatus obiit post Paulum, juxta Græcorum traditionem in Menol. 15. Aprilis; qui etiam eum faciunt Episcopum Apameæ in Syria: Thessalonicæ autem Latini in Martyrol. ad 4. Augusti his verbis: Aristarchus *ab eodem Apostolo Thessalonicensium Episcopus ordinatus post longos agones sub Nerone coronatus à Christo quievit.*

XIII. Nulla hìc Titi mentio fit: supponitur enim missus cum alio Discipulo à Paulo Corinthum ad ibi sedandas contentiones, ut habetur 2. Cor. 12. v.18.: *Rogavi Titum & misi cum illo fratrem* (& hoc fuisse labente anno 56.) Nondum autem fuisse Titum reversum, cùm Paulus Ephesum reliquit, ex eo constat, quia cùm Epheso Troadem venisset, ibi manere noluit quia Titum non invenit, ut ipse 2. Cor. 2. v.12. scribit: *Cùm venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, & ostium*

ostium mihi apertum esset in Domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum: sed valefaciens eis profectus sum in Macedoniam.

§. XVI.

Gesta & Itinera Pauli Epheso Miletum usque.

I. SEdato tumultu, quem Demetrius excitaverat, cùm in Asia tribus annis demoratus fuisset, dicto vale Discipulis, Ephesum relinquit iturus in Macedoniam. Ita Act. 20. v. 1.: *Postquam autem cessavit tumultus, vocatis Paulus Discipulis, & exhortans eos, valedixit, & profectus est ut iret in Macedoniam.* Discessum hunc circa finem Maii anni 57. contigisse, probabiliter aliqui autumant: cùm enim eo anno juxta calculum Bucherii Pascha contigerit die 10. Aprilis; & S. Chrysostomus in 2. ad Cor. Hom. 1. censeat, eum statim post Pentecosten Epheso discessisse, juxta illud quod 1. Cor. 16. v. 8. scripserat: *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecostem*: fit ut circa finem Maii inde discesserit. Ex hoc fit, eum circa medium anni 54. Ephesum venisse, & circa finem Maii anni 57. inde discessisse, ibique triennio permansisse. Quomodo autem sequenti anno 58. pervenerit Jerosolymam tempore Pentecostes, inferiùs pro viribus exponetur.

II. Putat Baronius ad ann. 57. num. 186., Paulum discessurum in Macedoniam, ne Ecclesiam Ephesinam penitùs pastore destitutam relinqueret, Timotheum Discipulum amantissimum ibi remanere voluisse: quod se colligere existimat ex 1. ad Tim. 1. v. 3.: *Rogavi te ut remaneres Ephesi cùm irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent, neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis, quàm ædificationem Dei, quæ est in Fide.* Ne tamen doctissimo Annalium parenti acquiescam, tenet me S. Lucas Act. 20. v. 4., ubi inter comites Pauli revertentis per Macedoniam post moram trium mensium recensetur Timotheus, ut statim dicam. Imò Timotheum secutum fuisse Paulum, dum iret in Macedoniam, ex eo etiam apparet, quia Epistola secunda ad Corinthios in Macedonia data amborum nomine inscripta est, & in Epistola ad Romanos Corinthi scripta eodem anno nomine Timothei Romanos salutat; quod signum est, Timotheum tunc cum eo fuisse. Igitur hoc certum est, Timotheum fuisse à Paulo relictum Ephesi, ut ibi tanquam Episcopus Ecclesiam regeret, & hoc cùm

cùm iret in Macedoniam: ſed cùm pluries in Macedoniam ſe contulerit Paulus, incertum eſt, in quo itinere & in quo anno illum reliquerit. Cenſet Calmet. in Dict. V. Timotheus, eum fuiſſe à Paulo relictum Epheſi, dum ſecundò Romam iret, anno ipſi 64., & citat Concilium Chalcedonenſe, & Conſtit. Apoſtol. L.7. cap.46.: ſed hæc rei præſentis non ſunt.

III. Paulus igitur profectus eſt Epheſo, ut iret in Macedoniam. *Cùm autem* (v.2.) *perambulaſſet partes illas, & exhortatus eos fuiſſet multo ſermone, venit ad Græciam. Ubi cùm fuiſſet menſes tres, factæ ſunt illi inſidiæ à Judæis navigaturo in Syriam: habuitque conſilium, ut reverteretur per Macedoniam. Comitatus eſt autem eum Sopater Pyrrhi Berœenſis, Theſſalonicenſium verò Ariſtarchus & Secundus & Gajus Derbeus & Timotheus; Aſiani verò Tychicus & Trophimus. Hi cùm præceſſiſſent, ſuſtinuerunt nos Troade. Nos verò navigavimus poſt dies Azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati ſumus diebus ſeptem.* Hæc Lucas.

IV. Epheſo igitur relicto, primò veniſſe Troadem Paulus creditur; ſed cùm ibi, ut putaverat, Titum non inveniſſet, noluit ut ſupra dixi ex 2. Cor.2. v.12. ibi morari; ſed conſcenſo navigio, & aſſumto ſecum Timotheo abiit in Macedoniam. Quid ibi egerit, Lucas paucis perſtringit, ſolùm dicens, quòd exhortatus fuit multo ſermone illarum partium Fideles: magnam illius anni partem, puta quinque vel ſex menſes, in eis confirmandis, eſtò ſcriptum non ſit, creditur inſumſiſſe. Dum Macedoniam perambularet, ſuo adventu Titus eum valdè conſolatus eſt: ſic enim ſcribit 2. Cor.7. v.5.: *Cùm veniſſemus in Macedoniam nullam requiem habuit caro noſtra, ſed omnem tribulationem paſſi ſumus* (tum ab Infidelibus, tum propter Fideles, quos valdè infirmos invenerat unde addit) *foris pugnæ, intus timores; ſed qui conſolatur humiles, conſolatus eſt nos Deus in adventu Titi.* Conſolatio autem fuit; quia, ut ibi proſequitur, Titus ei retulit optimum Eccleſiæ Corinthi, ad quam eum miſerat, ſtatum: quòd omnes Fideles (ut in ſua priore Epiſtola juſſerat) ſe ab inceſtuoſo etiam quoad menſam ſeparaverant; cum tamen per Timotheum & Titum pro venia deprecabantur, aſſerentes illum emendatum de patrato inceſtu pœnitentiam agere, & humilem Chriſti ovem effectum eſſe. Eum etiam certiorem reddit Titus de eleemoſynis à Corinthiis paratis pro Judææ pauperibus. Unde eorum exemplo uſus fuit, ut ad ſimile caritatis officium Fideles Macedoniæ magis accenderentur: quod adeò præſtitêre, ut eorum promtitudinem proponat Corinthiis ipſis imitandam.

V. Pro-

V. Propterea statuit secundam Epistolam ad Corinthios dare, & ut majorem efficaciam obtineret, & ipso illuc cum Macedonibus veniente omnia parata essent, hortatur Titum, ut Corinthum rediens ipse Epistolam deferat; cui novo itineri Titus libenter se exposuit, ut habetur 2. Cor. 8. v. 16. 17., eique ut habetur v. 18. adjunxit alium fratrem, *Cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias*: quem alii putant fuisse Barnabam, alii Silam, alii Lucam; imò, ut v. 22. addidit, tertium, quem fuisse Apollo, aliqui autumant. Ex his apparet, hanc posteriorem ad Corinthios Epistolam fuisse potiùs ex Macedonia, & fortè Philippis quàm ex Græcia scriptam. In ea ostendit, se ad ipsos non venisse, ne daret occasionem tristitiæ: Corinthio incestuoso veniam indulget: suum erga eos amorem testatur: hortatur ut in Fide permaneant; ut eleemosynas sollicitè parent: contra eos qui sibi detrahebant invehitur, Narrat gratias, quibus à Deo cumulatus fuerat, & simùl carnis suæ infirmitates. Demùm ad pœnitentiam sollicitat eos, qui peccaverunt, ne cùm venerit eos punire cogatur.

VI. Peragratis Macedoniæ partibus, tandem in Græciam seu Achajam veniens Apostolus, tribus ibi mensibus substitit, quos Corinthi saltèm majori ex parte egit; & hic fuit tertius ejus adventus Corinthum ut promiserat 2. Cor. 12. v. 14.; nec Corinthiis gravis fuit, cùm de more labore manuum suarum viveret. Quid ibi egerit scriptum non legitur. Delatis secum eleemosynis collectis ex Macedonia, uniens eas quoque quas invenerat jam collectas in Achaja & maximè Corinthi, de itinere Jerosolymam cogitabat. Interim verò antequam discederet, anno 58. Epistolam ad Romanos conscripsit, quam fuisse Corinthi scriptam ex eo colligitur, sive quia itinere quasi continuo nullibi moram faciens Corintho Jerusalem perrexit, sive quia nomine multorum, qui tunc cum eo Corinthi erant (ut Caii, apud quem hospitabatur & qui Corinthi domicilium habebat, Erasti Arcarii Civitatis, & aliorum Roman. 16. v. 23. & 21.) sive tandem quia eam misit per Phœben Corinthi Diaconissam; quam Romanis plurimùm commendat v. 1. & 2.: scripta fuit manu cujusdam nomine Tertii, dictante ut supponitur Paulo: unde cap. 16. v. 22. habetur: *Saluto vos ego Tertius, qui scripsi Epistolam in Domino*. Iste Tertius amanuensis erat S. Pauli, quem aliqui confundunt cum Sila, quia *Silas* Hebraicè idem sonat ac Latinè *Tertius*. Hunc Græci ad diem 10. Novembris faciunt Episcopum Iconii post Sosipatrum.

VII. In hac Epistola (inquit S. August. exposit. inchoata in

Epist. ad Romanos) *docere intendit, omnibus venisse gratiam Evangelii Domini nostri Jesu Christi: quod propterea etiam Gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum justitiæ redditum est, sed gratuitò datum. Cœperant etiam nonnulli, qui ex Judæis crediderant, tumultuari adversùs Gentes, & maximè adversùs Apostolum Paulum, quòd incircumcisos & Legis Veteris vinculis liberos admittebat ad Evangelii gratiam; prædicans eis, ut in Christum crederent, nullo imposito Circumcisionis jugo. Sed planè tantâ moderatione, uti nec Judæos superbire permittat tamquam de meritis operum legis, nec Gentes meritó fidei adversùs Judæos inflari, quòd ipsi receperint Christum, quem illi crucifixerunt: tanquam enim (sicut alio loco dicit) pro ipso Domino legatione fungens, hoc est pro Lapide Angulari, utrumque Populum tam ex Judæis quàm ex Gentibus connectit in Christo per vinculum gratiæ, utrisque auferens omnem superbiam meritorum, & justificandos utrosque per disciplinam humilitatis associans*. Ita Augustinus.

VIII. Post moram trium mensium in Græcia, idest Corinthi, decrevit tandem ire in Syriam, & ad fideles Judææ deferre eleemosynas, quas in Macedonia & Græcia collegerat. Per mare iter instituere in animo habebat, sed cùm detexisset, à Judæis sibi parari insidias, in Macedoniam reverti, mutatô consiliô, decrevit. Eum comitati sunt Sopater & alii, quos ex Luca supra retulimus, Philippos usque, unde ejus jussu Troadem præcedentes illius adventum ibi expectarunt. Ipse autem cum Luca Philippis mansit, judicans aliquantulùm ob eorum pietatem cum Philippensibus immorari; & etiam, quia instabat dies festus Paschæ, quem, ut ait Chrysost. hom.43., nonnisi in magnis Urbibus transigere curabat. Contigit autem eo anno dies festus secundùm Bucherium die 25. Martii, ibique dies Azymorum celebravit. Quibus transactis (fortè die Mercurii 3. Aprilis) navem conscendens spatio quinque dierum Troadem, ubi Socii eum sustinebant, pervenit, ibique diebus septem permansit, ut ex Luca supra didicimus.

IX. Dum Troade esset Paulus, factum mirabile operatus est. Unâ Sabbati (idest Dominicâ die) quâ Fideles convenerant ad frangendum Panem, Paulus in crastinum profecturus, prædicare eis cœpit, ac tanto ardore prosecutus est, ut sermonem protraxerit usque ad mediam noctem. Ita narrat Lucas Act.20. v.7.: *Unâ autem Sabbati, cùm convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem*. Quòd Una Sabbati intelligatur prima dies post Sabbatum idest Dominica, explora-

ratum est; quia, ut ait Augustinus Epist.86. modò 36. ad Casulanum cap.12., *Una Sabbati tunc appellabatur dies, qui nunc Dominicus appellatur, quod in Evangelio apertiùs invenitur. Nam dies Resurrectionis Domini prima Sabbati à Matthæo, à cæteris autem tribus Una Sabbati dicitur; quem constat eum esse, qui Dominicus postea appellatus est*. Dubium faciunt illa ultima verba *Protraxit sermonem usque ad mediam noctem*: nam, ut ait Augustinus, *aut post peractum diem Sabbati noctis initio fuerant congregati, quæ utique nox ad diem Dominicum, hoc est ad Unam Sabbati pertinebat; & ita eâdem nocte fracturus panem, sicut frangitur in Sacramento Corporis Christi, produxit sermonem usque ad mediam noctem, ut post Sacramenta celebrata, rursùs usque ad diluculum alloquens congregatos, quoniam multùm festinabat, ut proficisceretur Dominico die: aut certè si in Una Sabbati, non per noctem, sed per diem horâ Dominici fuerint congregati, eo ipso, quo dictum est, Paulus disputabat illis exiturus aliâ die, expressa est causa producendi sermonis, quia fuerat exiturus, & eos sufficienter instruere cupiebat*. Hæc Augustinus. Quæ secunda expositio videtur conformior Scripturæ, & Patribus Chrysost.hom.43., Bedæ in c.20. Act. dicentibus, quòd erat Dominica dies, cùm in Cœnaculo fuerunt congregati. Nec stupeat aliquis, quòd illâ die jejuni ab omni cibo manserint: hoc enim non fuit, quia, ut falsò putabant Manichæi & Priscillianistæ, die Dominico jejunandum esset, sed quia illis magis curæ fuit salutaribus Pauli monitis animam pascere, quàm corpus materiali cibo; *præsertim quia*, ut ait Augustinus citatus, *tunc ex illis terris, sicut consequentia docent, ita discessurus erat, ut jam non esset eos in carne visurus*.

X. Gaudium tamen Fidelium audientium Paulum inopinato eventu turbavit Diabolus, quem à v. 8. Lucas sic narrat: *Erant* (in tertio superiori Cœnaculo, ubi sermonem habebat noctu Paulus) *lampades copiosæ in Cœnaculo, ubi eramus congregati. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus super fenestram, cùm mergeretur somno gravi, disputante diù Paulo, ductus somno cecidit de tertio cœnaculo deorsùm, & sublatus est mortuus. Ad quem cùm descendisset Paulus, incubuit super eum: & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est. Ascendens autem, frangensque panem & gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est. Adduxerunt autem puerum viventem, & consolati sunt non minimè*. Hoc factum comparans Beda cum Tabitha, quam Petrus suscitavit: *Et ideò*, inquit, *illa in diebus infirmata moritur, hic mediâ nocte cadit & moritur. Illa post mortem lota in cœnaculo ponitur, hic tertio cœnaculo dela-*

psus deorsùm mortuus lugetur. Iste præsente & docente; illa absente Magistro. Ad hunc Paulus descendit, ad illam Petrus suscitaturus ascendit. Illa mox viso Petro resedit, hic nocte mediâ defunctus tandem manè resurgit, & justitiæ sole afflante adducitur. Hæc Beda, ut ostendat operosiorem esse resuscitationem eorum, qui per negligentiam (ut de isto Juvene dormiente putat) quàm eorum, qui per infirmitatem peccant (ut de Tabitha supponit).

XI. Troade igitur die Lunæ 17. Aprilis anni 58. profectus Paulus pedestri itinere usque Asson perrexit, Lucâ & aliis per mare dimissis. *Sæpè* (inquit Chrysost. hom.43.) *Paulus à discipulis segregatur. Ecce namque jam ille pedes iter facit, illi verò navi: quod levius erat, illis cedit, quod molestius ille assumit. Pedes ibat, tum ut multa dispensaret, tum ut doceret illos, nè ab eo separarentur.* Asson urbs erat Mysiæ maritima, non multùm Troade distans. Quò cùm pervenissent discipuli, assumto Paulo, qui cum eis navem conscendit, venerunt Mitylenem Insulæ Lesbi Metropolim itinere fortè unius diei. In crastinum contra Chium steterunt, sequenti die Samum, & alterâ Miletum pervenerunt. Narrat hoc Lucas c.20. à v.13. *Nos autem ascendentes navem navigavimus in Asson, indè suscepturi Paulum: sic enim disposuerat ipse per terram iter facturus; cùm autem convenisset nos in Asson, assumto eo, venimus Mitylenem, & indè navigantes sequenti die venimus contra Chium, & aliâ applicuimus Samum, & sequenti die venimus Miletum.* Deinde assignans causam, cur Paulus itinera adeò accelararet, subjungit v.16. *Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, nè qua mora illi fieret in Asia: festinabat enim, si possibile illi esset, ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis.*

§. XVII.

Pauli itinera Jerosolymam usque.

I. VOlebat Paulus præterire Ephesum, quia timebat, ne ibi cogeretur moram trahere, & sic impediri, ne, ut proposuerat, adesset Jerosolymis in festo Pentecostes: nolebat tamen suo Apostolico ministerio deesse. Quare, ut ait Lucas v.17., *A Mileto mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiæ. Qui cùm venissent ad eum, & simul essent, prolixâ oratione eos affatus est,* quam quisque apud Lucam legere poterit. In ea primò summâ humilitate ac moderatione exposuit, quid pro illis egisset: deinde eis nuntiat, se Jerosolymam pergere, & quid in ea sibi even-

eventurum sit ignorare, nisi quod spiritus per omnes Civitates sibi protestatur, vincula & carceres Jerosolymis eum manere; nihil tamen horum se vereri, dummodò consummet cursum suum, & ministerium verbi, quod accepit à Domino Jesu; addendo, se scire, quòd non ampliùs visuri essent faciem suam. Propterea tertiò eos hortatur, ut attendant sibi, & universo Gregi, cui regendo à Spiritu Sancto sunt præpositi, quia ipse scit, quòd post discessionem suam intrabunt viri loquentes perversa, & Populum à recta Fide seducentes, & hi ex ipsis exurgent: tamdemque promittit, se in Orationibus suis memorem fore ipsorum, sicut per triennium, quo cum illis mansit, nocte ac die facere non cessavit. Et protestatus se nihil ab eis quæsivisse, nisi eorum salutem, orationem clausit. Undè v.36. *Et cùm hæc dixisset, positis genibus suis oravit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium: & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum: dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam amplius faciem ejus non essent visuri, & deducebant eum ad navem.*

II. Considerans hæc Chrysostomus hom.45.in Acta. *Hoc*, inquit, *illorum erga ipsum affectum ostendebat. Procumbebant autem in collum, utpote qui postremos amplexus darent, & multam ex concione dilectionem hausissent, & amicitiam. Nam si nos cum vulgò discedimus, ingemiscimus, etsi sciamus, nos iterùm conventuros, quomodò illi non sine doloris affectu à Paulo avulsi fuissent? Ego Paulum quoque flevisse puto*. Censent, maximè ex Recentioribus non pauci, quòd Paulus quando Ephesiis dixit *Ecce scio quòd ampliùs non videbitis faciem meam*, non fuerit locutus spiritu prophetico, sed humano. Cùm enim spiritus ei revelasset vincula carceres, & alia quæ passurus erat Jerosolymis, existimavit, se ibi tradendum morti, quod utique evenisset, nisi Deus aliter disposuisset. Sed cùm hoc nondum fuisset Paulo revelatum, ex proprio existimabat, se ampliùs Ephesios non visurum. Cæterùm cùm postea saltem animum habuisset redeundi in Orientem Româ, colligere se putant ex ejus Epistolis Romæ datis, Philipp. 1. v.26. 2. v.24. *Veniam ad vos citò*: Ad Philemonem v.22. (qui creditur habitasse Ephesi, seu Colossis:) *Para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis*: & ex Epist. ad Hebræos, quam Romæ, vel saltem in Italia scriptam autumant, c.13. v.23. *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celeriùs venerit) videbo vos.* De facto autem hoc suum propositum implevisse arguunt, quia (licet contrarium sentiat Baronius)postea reliquit Ephesi Episcopum Timotheum, & Cre-

& Cretæ Titum, & Berœæ Onesimum. Sed de hoc infra. Credibile ergo est, Paulum incertum quid sibi Jerosolymis eventurum esset, dixisse Ephesiis, quòd faciem suam *fortè* non essent ampliùs visuri.

III. Cùm non plus unâ die Mileti substitisset Paulus, secundùm computum Chrysostomi hom. 45. inter lacrymas & amplexus, Majores natu Ephesi quasi violentiâ quâdam abstractum deduxerunt eum ad navem die 22. Aprilis. Die autem sequenti 23. Aprilis, quæ Dominica fuit, ait S. Lucas c.21. v.1. &c. *Cùm autem factum esset ut navigaremus abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum* (Insulam Arcipelagi) *& sequenti die Rhodum, & inde Pataram* (urbem Lyciæ); *& cùm invenissemus navem transfretantem in Phœnicem, ascendentes navigavimus. Cùm apparuissemus autem Cypro, relinquentes eam ad sinistram, navigavimus in Syriam, & venimus Tyrum: ibi enim navis expositura erat onus.* Hoc in itinere, dicit Chrysostomus, quinque dies insumsit, & ideò Tyrum pervenit die Dominico 30. Aprilis, idest vigesimo sexto die post discessum Philippis.

IV. Pergit S. Lucas v.4. &c. *Inventis autem discipulis, mansimus ibi* (Tyri) *diebus septem: qui Paulo dicebant per spiritum, ne ascenderet Jerosolymam. Et expletis diebus profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum uxoribus & filiis usque foràs Civitatem: & positis genibus in littore oravimus. Et cùm valefecissemus invicem, ascendimus navem: illi autem redierunt in sua. Nos verò navigatione expletâ à Tyro descendimus Ptolemaidam; & salutatis fratribus, mansimus die unâ apud illos.* Ex quibus conjicitur, quòd Tyro discesserit die 7. Maii, die pariter Dominico; quòd eâdem die Ptolemaidam pervenerit, cùm paucis horis de uno ad alium locum navigatio perficiatur; & quòd reliquum ejusdem diei Ptolemaidæ consummans, sequenti nèmpe 8. Maii Cæsaream transierit, ibique aliquot diebus, ut die 14. Maii Jerosolymis esse posset, moratus sit.

V. Porrò quid Paulo Cæsareæ contigerit sequitur v. 8. *Aliâ autem die* (8. Maii) *profecti venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi Evangelistæ, qui erat unus de septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.* (Ipsæ, ait Chrysostomus, nihil prædicunt Paulo, sed solùm Agabus.) Sequitur enim: *Et cùm moraremur per dies aliquot, supervenit quidam à Judæa Propheta, nomine Agabus,* (qui olim ut supra famem prædixerat). *Is cùm venisset ad nos, tulit zonam Pauli, & alligans sibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus Sanctus: Virum, cujus est zona hæc, sic alligabunt in Jerusalem Ju-*

Judæi, & tradent in manus Gentium. Quod cùm audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Jerosolymam. Tunc respondit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari sed & mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu. Et cùm ei suadere non possemus, quievimus, dicentes: Domini voluntas fiat. Post dies autem istos præparati ascendebamus in Jerusalem.

VI. Intrepida sanè Pauli constantia! De malo sibi imminente non dolet, dolet solùm de lacrymis discipulorum; undè Chrysost. hom.45. *Super vobis*, inquit, *ploro, non super passionibus meis; pro illis etiam mori volo*. Et infra. *Vide illum, quando spiritus non prohibebat, obsequentem. Dicebant, ne des te in Theatrum, & non dedit. Sæpè illum educebant, & morem gessit. Per fenestram iterùm effugit. Et nunc, ut ita dicam, innumeris rogantibus, & Tyri, & Cæsareæ flentibus, & innumera gravia prædicentibus, non cedit, quamvis non modò gravia prædicerent, sed etiam per spiritum prædicerent. Si ergo spiritus jussit, cur contradicebant? Quia nesciebant spiritus scopum. Alioquin verò adhortationem illam per spiritum non faciebant*. Sed Paulo Spiritus revelaverat, quæ eventura erant, ut ex eorum prænotione confirmato magis esset animo, ait Cyrillus Jerosolym. Catechef.16.

VII. Narrationem hanc itineris Pauli Jerosolymam enumeratione, quam facit Chrysost.citato loco, placet concludere. Dicit ergo: *Post Azyma in Troadem venerunt diebus quinque: deinde ibi dies septem, suntque dies duodecim. Deinde in Assum, Mitylenem, contra Chium in Trogylium, in Samum, Miletum. Dies omnes sunt octodecim. Postea in Coum, in Rhodum, Pataram, sunt viginti & una dies. Deinde isthinc per dies quinque Tyrum, ut sint dies viginti sex. Ibi postea septem dies; sunt dies triginta tres: hinc Ptolemaidem unâ die, sunt dies triginta quatuor. Deinde Cæsareæ manet pluribus, quàm alibi diebus. Et tunc demum inde illos abducit Propheta. Sic completur dies Pentecostes, & ibi illam peragit*. Quâ exactâ dierum enumeratione apertè colligitur, Paulum potuisse die Pentecostes Jerosolymis adesse, quæ eo anno die Dominico 14. Maii probabiliter contigit.



§.XVIII.

§. XVIII.

Adventus Pauli Hierosolymam, & quid ei ibi acciderit.

I. Relictâ Cæsareâ comitantibus multis venit Paulus Jerosolymam. Ita c.21. v.16. *Venerunt autem & ex discipulis à Cæsaræa nobiscum, adducentes secum, apud quem hospitaremur Mnasonem quemdam Cyprium antiquum discipulum.* Mnason iste ex Judæis oriundus ab ipso Jesu Fidem hausisse, atque ab ipso inter 70. Discipulos annumeratus creditur. In Catalogo tamen 70. Discipulorum S. Hippolyto tributo, *Mnaso* non legitur, sed *Jason*, apud quem S.Paulus Thessalonicæ divertit: sed iste à Mnasone diversus existimatur. Ut ut tamen sit, S.Lucas Mnasonem vocat *antiquum discipulum*.

Pergit S. Lucas c.17. *Et cùm venissemus Jerosolymam, libenter exceperunt nos Fratres. Sequenti autem die introibat Paulus nobiscum ad Jacobum, omnesque collecti sunt Seniores. Quos cùm salutasset, narrabat per singula, quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius. At illi cùm audissent, magnificabant Deum.* Erat Jacobus frater Domini, & Episcopus Jerosolymorum; ad hunc Paulus ab omni fastu alienus, ceu ad illius Urbis Præsulem sese primò præsentat: ad hunc cum Paulo convenerunt Seniores: apud istos unà cum Jacobo collectos exponit Paulus singula, quæ Deus per suum ministerium fecerat in Gentibus, quæ audientes glorificabant Deum.

II. Quia sciebant, Judæos, qui multi Jerosolymis erant, malè de Paulo sentire, tanquam de Legis Mosaicæ contemtore; ut hanc calumniosam suspicionem à se depelleret, eum hortati sunt, ut aliquo actu Legis observantiam, & præcipuè Nazaræatus, publicè profiteretur: *Dixeruntque ei: Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt Legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Judæorum dicens, non debere eos circumcidere filios suos, neque secundùm consuetudinem ingredi. Quid ergo est? utique oportet convenire multitudinem, audient enim te supervenisse. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus: sunt nobis viri quatuor, votum habentes super se. His assumtis sanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita; & sciant omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas & ipse custodiens Legem. De his autem, qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, judicantes, ut abstineant se ab Idolis, immolato, & sanguine, & suffocato, & for-*

fornicatione. Hoc dicebant, ait Chrysost. homil.46. *Quasi consilium dantes, non quasi imperantes*. Et hoc, ut tollerent præventionem, quâ imbuti Judæi, qui Christi fidem susceperant, malè de ipso sentiebant. Cæremonia hæc in hoc sita erat, ut quis quatuor viris Nazaræatus voto adstrictis sese conjungeret, & in eorum tonsuræ cæremonias & oblationes pecuniam, vel totam, vel partem impenderet; ita enim fiebat, ut alterius meriti partem consequeretur. Qui autem Nazaræatus alterius particeps fieri volebat, Templum adibat (ait Maimonides in num.6.) & sic dicebat Sacerdoti: Tali tempore suum Nazaræatum N. absolvit: ego vel partem, vel totum impendam in sumtus, qui in ejus tonsura exiguntur. Hoc actu Religionem Judaicam expressè profitebatur. Undè Josephus l.19. Antiquit. c.5. ostendit, Herodem Agrippam Religione Judæum esse, quia *multos Nazaræos tonderi mandavit*.

III. Paulus ergo, qui, ut supra dixi §.13. & habetur Act. 18. v. 18. spontè tale Votum in tenebris miserat, sine mora eorum consilio acquievit. Quare v.26. dicitur: *Tunc Paulus assumtis viris, posterâ die purificatus cum illis intravit in Templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio*. Censent aliqui, & ipsum per septem dies votum Nazaræatus emisisse. Imò S. Hieronymus in c. 2. ad Galat. putat, Paulum, qui in Cenchris caput sibi totonderat, facto calvitio, hic pro se etiam oblationem fecisse. Sed ad neutrum horum asserendum S. Lucas nos cogit.

IV. Hoc tamen cogitatum præservando à furore judaizantium Paulo nihil profuit; sequitur enim v.27. *Dum autem septem dies consummarentur, hi, qui de Asia erant Judæi, cùm vidissent eum in Templo, concitaverunt omnem Populum, & injecerunt ei manus clamantes: Viri Israelitæ, adjuvate: hic est homo, qui adversùs Populum & Legem, & locum hunc, omnes ubique docens, insuper & Gentiles induxit in Templum, & violavit locum sanctum istum. Viderant enim Trophimum Ephesium in Civitate cum ipso, quem æstimaverunt, quoniam in Templum introduxisset Paulus. Commotaque est Civitas tota, et facta est concursio Populi: & apprehendentes Paulum trahebant eum extra Templum, et statim clausæ sunt januæ*. Odium istorum in Paulum ex eo procedebat (inquit Augustinus Epist.19., modò 82. ad Hieron. c.2.) *Ipsum enim senserant vehementissimum Gratiæ Prædicatorem, et intentioni eorum maximè adversum, docentem non per illa hominem justificari, sed per gratiam Jesu Christi .... Et ideo illi invidiam et persecutionem molientes concitare, tanquam inimicum legis, mandatorumque*

Divinorum criminabantur, ac si omnia, quæ Legis sunt, reprobaret; & propterea ad hanc calumniam declinandam in Templum Nazaræatus votum impleturus ingressus est: sed inaniter: nam furore obcæcati, putantes fortè hanc esse simulationem, maximè videntes Trophimum Gentilem cum eo ingressum in Templum, magis exarserunt, putantes Paulum illuc eum introduxisse.

V. Iste autem Trophimus erat discipulus Pauli, & Ephesooriundus, qui ex Idolorum superstitione fuerat ad fidem Christi operâ ejusdem Apostoli conversus: & factus indivisus ejus comes in itinere, Jerosolymam eum secutus fuerat. Cùm ergo Judæi scirent, eum ex Gentilibus satum esse, videntes eum cum Paulo in Templo, rati ab eo fuisse introductum, in Paulum tanquam Templi profanatorem irruerunt. Ferunt, Trophimum Apostolum Romam traductum non deseruisse, ac deinde eundem in libertatem redactum anno 63. in Hispaniam primùm, deinde in Gallias comitatum fuisse, ac ab Apostolo Arelate Episcopum constitutum. Sed hoc ultimum non satis firmo nititur fundamento. Cùm enim anno 67.2.ad Timotheum c.4.v.20. scribat Paulus, se Trophimum infirmum reliquisse Mileti, oporteret, quòd post annum relictâ Ecclesiâ in Asiam transiisset; quod non est credibile. Martyrologium tamen Romanum ad diem 29. Decembris eum talem fatetur his verbis: *Arelate Natalis S. Trophimi, cujus meminit S.Paulus ad Timotheum scribens, qui ab eodem Apostolo Episcopus ordinatus præfatæ Urbi primus ad Christi Evangelium prædicandum directus est: ex cujus prædicationis fonte, ut Sanctus Zosimus Papa scribit, tota Gallia Fidei rivulos accepit.* Græci autem eum colunt die 15. Aprilis: qui addunt, eum post mortem Pauli, jussu Neronis, Martyrio Romæ coronatum fuisse.

VI. Nunc ad Paulum redeamus: Tractum extra Templum, & clausis januis furentes Judæi quærebant eum occidere, sed non permisit Deus: sequitur enim v.31. *Quærentibus autem eum occidere, nuntiatum est Tribuno Cohortis: quia tota confunditur Jerusalem. Qui statim assumtis militibus & Centurionibus decurrit ad illos. Qui cùm vidissent Tribunum et milites, cessaverunt percutere Paulum.* Tribunus iste vocabatur Claudius Lysias (de quo infra Act. 23. v.26.) qui Cohortem præsidiariam Jerusalem regebat. Hic ereptum Paulum è manibus eorum, nesciens causam tumultus in eum excitati, putans fortè esse aliquem seductorem, alligari jussit. Cap.21. v.33. *Tunc accedens Tribunus apprehendit eum, & jussit eum ligari catenis duabus: et interrogabat*

bat, quis esset, & quid fecisset. Alii autem aliud clamabant in Turba. Et cùm non posset certum cognoscere præ tumultu, jussit duci eum in Castra. Et cùm venisset ad gradus, contigit, ut portaretur à militibus propter vim Populi. Sequebatur enim multitudo Populi clamans: Tolle eum. Hic Chrysost. hom. 46. *Quid est*, inquit, „Tolle eum?" *Mos erat Judæis contra eos, quos damnarent, ita loqui, ut & contra Christum fecerunt dicentes* „Tolle illum" *hoc est, de numero viventium dele.*

VII. *Et cùm cæpisset* (v.37.) *induci in Castra Paulus, dicit Tribuno: Si licet mihi loqui aliquid ad te?* Hic modestiam & humilitatem Pauli admiratur Chrysostomus: priusquam loquatur, loquendi licentiam petit: *Qui* (Tribunus) *dixit: Græcè nosti? Nonne tu es Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum Sicariorum?* Quis autem fuerit iste vir Ægyptius, narrat Josephus lib. 20. Antiquit. c.6., & L. 2. de bello Judaico c.2., Ægyptius iste (nativitate & religione proculdubiò Judæus) fingens se Prophetam, adveniens in Provinciam (Judæ) Magus cùm esset, triginta fere millia hominum (inter quos S. Lucas numerat quatuor millia Sicariorum) vanâ seductione deceperat. Et circumducens eos de solitudine in Montem, qui vocatur Olivarum, promisit eis, illinc se visuros suo jussu cadere Jerosolymorum mœnia, & per eorum ruinas patefacto in Civitatem aditu, eam à Romanorum tyrannide liberaturos. Hoc cognito Felix Judææ Præses stipatus multis equitibus ac peditibus erumpens invasit Turbam ab Ægyptio seductam, & Judæorum etiam multitudine juvante, eorum quadringentis occisis, ducentos vivos cepit, reliquis dispersis; inter quos Ægyptius ipse pugnâ elapsus disparuit. Hunc ergo Paulum esse, Lysias Tribunus existimavit, dum ei dixit *Nonne es Ægyptius?*

VIII. Verùm (v.39.) *Dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Judæus à Tarso Ciliciæ non ignotæ Civitatis municeps. Rogo autem te: permitte mihi loqui ad Populum. Et cùm ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad Plebem, & magno silentio facto allocutus est lingua Hebræa*, idest Hebreo-Syriaca, tunc apud Palæstinos vulgari. Hanc Pauli concionem ad Populum per extensum refert Lucas c.22. à v.1. In ejus exordio quàm leni ac miti animo esset ostendit, dum eos, qui eum quærebant ad mortem, sic alloquitur tanquam amicos, imò tanquam fratres, & patres: *Viri fratres, & patres*, inquit, *audite*. Eorum quæ dicturus est ipsos testes appellat. Se ipse virum Judæum in Tarso natum, in Jerusalem nutritum, educatum ad pedes Ga-

malielis, ac in Lege eruditum, nec non æmulatorem Legis, ficut & ipsos, adeò ut, quod ipse Princeps Sacerdotum testificari poterat, persecutus fuerit usque ad mortem eos, qui à Lege descifcerent. Dum hanc necem executurus Damasco appropinquaret, subitâ luce perfusum, ac in terram prostratum audivisse de Cœlo vocem dicentem sibi: *Saule, Saule, quid me persequeris?* & petenti, *quis es Domine?* responsum fuisse: *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris;* atque iterum postulanti *quid faciam Domine?* ei imperasse, ut iret Damascum, ubi diceretur ei, quid cum oporteret facere. Cùmque ad manus deductus, erat enim nimiâ luce factus cæcus, Damascum accessisset, venisse ad eum Ananiam, à quo baptizatus lumen recuperavit. Cùmque subinde reversus in Jerusalem oraret in Templo, in stupore mentis sibi dictum fuisse, ut velociter exiret à Jerusalem, & iret ad Gentes: *Vade, quoniam ego in Nationes longè mittam te.*

IX. Hucusque Paulum pacato animo Populus audivit. Sed cùm hæc postrema verba de missione ejus ad Nationes seu Gentes audissent c. 22. v. 22. *Levaverunt vocem suam dicentes: Tolle de terra hujusmodi; non enim fas est eum vivere. Vociferantibus autem eis, & projicientibus vestimenta sua, & pulverem jactantibus in aerem, jussit Tribunus induci eum in Castra, & flagellis cædi, & torqueri eum, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei.* Vide superbam Judæorum invidiam. Sibi ipsis solis datum fuisse Christum contendunt, nec quamvis dicat Paulus, se ad Gentes missum à Deo, acquiescere volunt; sed magis furunt. Vide etiam, inquit Chrysostomus hom 48. in Acta) quàm temerè agit Tribunus: *Cùm oportuisset, ut examinaret, an res ita se haberet, illosque ipsos interrogaret; is nihil horum faciens jubet illum flagellis cædi .... Atqui ab illis discendum erat, qui acclamabant, & interrogandum, num aliquid ex ejus dictis incusandum haberent. Verùm ille temerè potestate suâ utitur, & illorum gratiam captat: Non enim curabat, ut justè ageret, sed ut illorum injustum furorem placaret.*

X. Jam parata erant Paulo flagella; sequitur enim v. 25. *Et cùm adstrinxissent eum loris, dixit adstanti sibi Centurioni Paulus: Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? Quo audito Centurio accessit ad Tribunum, & nuntiavit ei dicens: Quid acturus es? Hic enim homo Civis Romanus est.* Duo crimina objicit Paulus, & quòd non liceret Civem Romanum flagellare, & quòd inauditum. Centurio tamen omisso secundo, quamvis ordinem justitiæ vulneret, solùm primum, quia violans pri-

privilegia Imperatorum, detulit ad Tribunum *Accedens autem Tribunus dixit illi* (Paulo) *Dic mihi, si tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. Et respondit Tribunus: Ego multâ summâ Civilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem & natus sum.* Quasi diceret (inquit Beda in c.22. Act.) *In hoc ego plùs te Romanus sum, quòd non alibi natus Romanum nomen emi, sed ipsorum sum Civitate progenitus.* Tarsenses enim, ut dixi, prærogativâ Civis Romani potiebantur, & Paulus secundùm Chrysost. ex Patre Romano erat. *Protinùs ergo discesserunt ab illo, qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit, postquam rescivit, quia Civis Romanus esset, & quia alligasset eum.* Ex quo volunt aliqui, eum statim etiam à vinculis solvisse, quia æquè indignum erat Civem Romanum catenis vincire. Sed ex modo loquendi Lucæ non videtur, nisi die sequenti, fuisse solutus: sequitur enim v.30. *Posterâ autem die volens scire diligentiùs, qua ex causa accusaretur à Judæis, solvit eum, & jussit, Sacerdotes convenire & omne Concilium, & producens Paulum, statuit inter illos.*

XI. Cùm ergo convenissent cap.23. v.1. *Intendens in Concilium Paulus ait, Viri fratres, ego omni conscientiâ bonâ conversatus sum ante Deum usque in hodiernum diem. Princeps autem Sacerdotum Ananias* (ac si protulisset blasphemiam) *præcepit astantibus sibi percutere os ejus.* Considerat Chrysost. hom. 48. hinc moderationem Pauli, hinc Sacerdotis furorem. Quid enim Paulus dicit? *Non mihi conscius sum, quòd vos læserim, vel quid his vinculis dignum fecerim. Quid ergo Princeps Sacerdotum? Cùm oportuisset compungi, quòd in ipsorum gratiam injustè ligatus fuisset, ille aliud adjicit, & jubet eum verberari. Bonus certè & mitis Princeps Sacerdotum.* Sequitur autem v. 3. *Tunc Paulus dixit ad eum: Percutiet te Deus, paries dealbate. Et tu sedens judicas me secundùm Legem, & contra Legem jubes me percuti? Et qui adstabant dixerunt: Summum Sacerdotem Dei maledicis? Dixit autem Paulus: Nesciebam Fratres, quia Princeps est Sacerdotum: scriptum est enim: Principem Populi tui non maledices.*

XII. Difficultatem ingerit hoc Pauli responsum Summo Pontifici. Qui enim in una maxilla percussus debuerat præbere alteram juxta Christi monitum Matth.5. v.39., & Lucæ 6. v.29. qui etiam 1.Cor.4. v.12. scripserat *maledicimur, & benedicimus*, cur hic percutienti insultat, & maledicit?

Hanc difficultatem tollit S. Augustinus L. de Mendacio c.15. dicens, Paulum præbuisse percutienti alteram maxillam, eique benedixisse corde, estò ore ejus injustitiam reprehenderit; cum quo stat, quòd patienter sustinuerit. *Exemplum*, inquit, *pa-*

patientiæ nullum, quàm ipsius Domini potentius & excellentius invenimus: at ipse cùm alapa percussus esset, non ait: Ecce altera maxilla, sed ait „ Si malè dixi, exprobra de malo: si autem benè, quid me cædis?„ *Ubi ostendit, illam præparationem in corde faciendam. Quod etiam Apostolus Paulus utique noverat: nam & ipse cùm esset alapâ percussus ante Pontificem, non ait: Percute maxillam alteram, sed* „ Percutiet te Dominùs, *inquit*, paries dealbate: & tu sedes judicare me secundùm Legem, & contra Legem jubes me percuti? „ *altissimè intuens Sacerdotium Judæorum jam tale factum fuisse, ut nomine forinsecùs niteret, intrinsecùs autem luteis concupiscentiis sorderet: quod transiturum esse vindictâ Domini videbat in spiritu, cùm ille diceret: sed cor paratum habebat, non solùm ad alias alapas accipiendas, sed etiam qualibet tormenta pro veritate patienda, cum eorum dilectione, à quibus illa pateretur.*

Idem docet L.1. de serm. Domini in Monte c.19., ubi ostendens, Paulum patientiâ & clementiâ suâ corrigere voluisse eos, à quibus patiebatur, ait: *Nam & Pontificis jussu percussus, quòd contumeliosè visus est dicere, cùm ait* „ Percutiet re Deus, paries dealbate,„ *minùs intelligentibus convitium sonat; intelligentibus verò prophetia est. Paries quippe dealbatus hyprocrisis est, idest simulatio Sacerdotalem præferens dignitatem, & sub hoc nomine tanquam candido tegmine interiorem quasi luteam turpitudinem occultans. Nam quod humilitatis fuit, mirabiliter custodivit, cùm ei diceretur, Principi Sacerdotum maledicis? respondit: Nescivi, Fratres, quia Princeps est Sacerdotum... Ubi ostendit quantâ tranquillitate illud dixisset, quod iratus dixisse videbatur, quòd tam citò tam mansuetè respondit, quod ab indignantibus & perturbatis fieri non potest. Et in eo ipso intelligentibus verum dixit, nescivi, quia Princeps est Sacerdotum: tanquam si diceret: Ego alium scivi Principem Sacerdotum, pro cujus nomine ista sustineo, cui maledicere fas non est, & cui vos maledicitis, cùm in me nihil aliud quàm ejus odistis nomen.* Hæc & alia peracutè Augustinus ibi.

XIII. Hoc idem exponens Beda in Acta c.23. ait: *Non perturbatione animi commotus hoc dixit, sed utique prophetando locutus est; quia figurale illud Pontificium, quod erat in parietis dealbati similitudine, percutiendum esset ac destruendum, cùm jam verum Sacerdotium Christi, Apostolis Evangelium prædicantibus, advenisset. Et inde est quòd ait* „ Percutiet te Deus „ *non dixit*: Percutiat. *Indicativo utique modo hoc ipsum futurum significans, non optativo maledicens. Quòd tranquillo enim animo hæc diceret, sequenti responsione manifestat, dicens* „ Nesciebam, Fratres, quia Prin-

Princeps est Sacerdotum. *Nam etsi hunc verè noverat in novo Testamento Principem non esse Sacerdotum, tamen erudiens alios, atque erga eos, qui in potestate sunt, modestiùs conversari monens, ipse quoque hìc voluit temperare.* Ita Beda.

XIV. Quæri solet primò. An Paulus reverà sciverit, illum, cujus jussu percutiebatur, esse Principem Sacerdotum. Volunt aliqui, Paulum reverà scivisse, Ananiam tunc esse Principem Sacerdotum: qui enim Jerosolymis fuerat nutritus, educatus, & in Lege eruditus, ignorare non poterat, Caput illius Religionis, maximè quia ipsa dignitas semetipsam manifestabat; dixisse autem se nescire spiritu prophetico, quia Sacerdotium illud jam umbratile evaserat, ut dictum est. Alii verò cum Chrysostomo hom. 48. volunt, Paulum reverà ignorasse Ananiam tunc esse Principem Sacerdotum, quia cùm ibi cum solemnitate non interesset, sed aliis de Concilio permixtus esset, dum percuteretur, à quo percuteretur in ea turbatione advertere non potuit: Et cùm à viginti quatuor annis Jerosolymis abfuisset, facile erat, quòd Ananiam facie non cognosceret, & quòd tunc Princeps Sacerdotum esset.

XV. Quæri solet secundò. Quis fuerit iste Ananias. De hoc Josephus L. 20. Antiquitat. c. 3., fuisse Nebedæi filium, qui privato per Herodem Regem Chalcidis Josepho Camydæ filio, ei in Pontificatu suffectus fuit. Deinde cap. 5. propter dissidium ortum inter Judæos & Samaritanos, à Quadrato Præfecto Ananias Summus Pontifex & Ananus Dux Romam vincti missi fuere, ut apud Claudium Cæsarem facti sui rationem redderent. Sed Ananias mox absolutus regressus est. Hujus Ananiæ, utpotè ditissimi ac munificentissimi, valdè studiosi erant Judæi. Prædonum tamen ministerio etiam post abdicatum Pontificatum decimas Sacerdotales sibi usurpabat, quæ impunè sicut & alia faciebat ob gratiam Albini Præfecti Judææ, quem largis muneribus sibi comparaverat. Tandem ut refert Josephus L. 2. de bello Judaico c. 18., post rebellionem Judæorum contra Romanos Duce filio ejus Eleazaro, *Pontifex Ananias circa Euripos Regiæ Domus latens capitur, & à Latronibus interficitur cum Ezechia fratre.* Quibus impleta fuit Pauli prædictio: *Percutiet te Deus*; quod contigit anno Christi *66.*: sed ad Paulum redeamus.

XVI. Interea animadvertens Paulus, ex iis qui Concilio adstabant, alios Pharisæos esse, alios Sadducæos, elatâ voce exclamavit, se quòd Pharisæorum Sectam profiteretur in judicium delatum fuisse. Ita Lucas cap. 23. v. *6. Sciens autem Paulus, quia una pars esset Sadducæorum, & altera Pharisæorum, exclamavit*

vit in Concilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum; de spe & resurrectione Mortuorum ego judicor. Et cùm hæc dixisset, facta est dissensio inter Pharisæos & Sadducæos, & soluta est multitudo. Sadducæi enim dicunt, non esse Resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum: Pharisæi autem utraque confitentur. Factus est autem clamor magnus. Et surgentes quidam Pharisæorum pugnabant dicentes: Nihil mali invenimus in homine isto. Quid si Spiritus locutus est ei, aut Angelus? Et cùm magna dissensio facta esset, timens Tribunus, ne discerperetur Paulus ab ipsis, jussit milites descendere, & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra. Hic permisit Deus, ut Paulus humano modo, à gravioribus, quæ illi imminebant, periculis se extricaret. Tres veritates palàm confessus est, quas aliqui fatebantur, alii negabant, ideòque eo relicto inter se digladiari cœperunt. Ne tamen in hoc tumultu Paulum ceu illius auctorem Sadducæi dilaniarent, illum Tribunus ab eorum manibus in castra deducere cogitavit. *Timet Tribunus* (inquit Chrysost. hom.49.) *ne discerpatur, quia dixerat, se Romanum esse*, ac ne illi in crimen verteretur, quòd Romanum Civem non defendisset, sed furori Populi permisisset. Tum etiam quia fortè jam noverat testimonio Pharisæorum, eum nihil dignum morte fecisse. Porrò Dominus, qui in gravioribus periculis præstò adest Servis suis, Paulo non defuit; nam v.11. *Sequenti nocte assistens ei Dominus, ait: Constans esto; sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari.*

Ita de Paulo disposuerat Deus, ut de ipso testificaretur Romæ, sicut fuerat testificatus in Jerusalem. Sed aliter disponebant insana consilia hominum, ut statim dicam.

§. XIX.

Paulus mittitur Cæsaræam, & quid ibi ei contigerit.

I. ECce nova in Paulum conjuratio v.12. *Factâ autem die collegerunt se quidam ex Judæis, & devoverunt se dicentes, neque manducaturos, neque bibituros, donec occiderent Paulum. Erant autem plus, quàm quadraginta viri, qui hanc conjurationem fecerant. Qui accesserunt ad Principes Sacerdotum, & Seniores, & dixerunt: Devotione devovimus nos nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. Nunc ergo vos notum facite Tribuno cum Concilio, ut producat illum ad vos, tanquam aliquid certius cognituri de eo. Nos verò priusquam appropiet, parati sumus interficere illum.* Ob vo-

votum! Oh jejunium facrilegum! *Perpende*, inquit Chryfoft. hom. 49. *quomodò illi neceffitatem quamdam fibi impofuerint, cùm fefe devoverunt. Ecce jejunium homicidii mater. Sicut Herodes per juramentum neceffitatem fibi impofuit: fic & ifti. Tales enim funt Diaboli venandi artes, pietatis nimirùm fpecie laqueos tendit .... Et vide nequitiam ingentem: non fatìs habent, quòd fefe mutuò corrumpant, fed etiam Principem unà corrumpere fatagunt.*

II. Hæc tamen machimenta diffipavit Deus; nam v. 16. *Cùm audiffet filius Sororis Pauli infidias, venit & intravit in caftra, nuntiavitque Paulo. Vocans autem Paulus ad fe unum ex Centurionibus, ait: Adolefcentem hunc perduc ad Tribunum, habet enim aliquid indicare illi.* Ubi Chryfoft. *Vide*, inquit: *etiam poftquam apparuit ei, iterùm permittit eum humano more fervari. Et jure Paulum admiremur, quomodò non turbatus fuerit, neque dixerit: Quid hoc eft? Num deceptus fum à Chrifto? Sed nihil hujufmodi cogitavit, vel accidit ei; fed folùm credidit: neque tamen quia credidit dormitavit; fed quæ humanâ fapientiâ provideri poterant, non prætermittit.* Ideòque adolefcentem mittit ad Tribunum per Centurionem v.8. *Et ille quidem affumens eum duxit ad Tribunum, & ait: Vinctus Paulus rogavit me hunc adolefcentem perducere ad te habentem aliquid loqui tibi.*

Apprehendens autem Tribunus manum illius, feceffit cum eo feorsùm, & interrogavit illum: Quid eft, quòd habes indicare mihi? Ille autem dixit: Judæis convenit rogare te, ut craftinâ die producas Paulum in Concilium, quafi aliquid certius inquifituri fint de illo. Tu verò ne crediderìs illis, infidiantur enim ei viri ampliùs quàm quadraginta, qui fe devoverunt non manducare, neque bibere, donec interficiant eum: & nunc parati funt, expectantes promiffum tuum. Tribunus igitur dimifit adolefcentem, præcipiens ei, ne cui loqueretur, quoniam hæc nota fibi feciffet.

III. Hujus adolefcentis ex Sorore Pauli nepotis nomen reperire non licuit. Hoc certum, Deum fuiffe ufum iftius minifterio ad præfervandum ab inevitabili nece Apoftolum, & operâ Tribuni; ut ex iis, quæ acciderant, ejus dicto præftaret fidem, & incolumitati Pauli ftatim manum apponeret: Sequitur enim v.23. *Et vocatis duobus Centurionibus, dixit illis: Parate milites ducentos, ut eant ufque Cæfaræam, & equites feptuaginta, & lancearios ducentos a tertia hora noctis, & jumenta præparate, ut imponentes Paulum falvum perducant ad Felicem Præfidem. (Timuit enim, ne fortè raperent eum Judæi, & occiderent; & ipfe poftea calumniam fuftineret, tanquam accepturus pecuniam) fcribens Epiftolam continentem hæc.*

Claudius Lysias optimo Præsidi Felici salutem.

Virum hunc comprehensum à Judæis, & incipientem interfici ab eis, superveniens cum exercitu eripui, cognito, quia Romanus est. Volensque scire causam, quam objiciebant illi, deduxi eum in Concilium eorum: quem inveni accusari de quæstionibus Legis ipsorum, nihil verò dignum morte, aut vinculis habentem criminis. Et cùm mihi perlatum esset de insidiis, quas paraverant illi, misi eum ad te, denuntians & accusatoribus, ut dicant apud te. Vale.

IV. Super hæc Chrysost. hom.49. *Viden*, inquit, *quomodò externorum sententiâ innocens erat Paulus, ut & Christus apud Pilatum?* Et infra. *Vide Epistolam, quâ ipse defenditur. Nihil, inquit, inveni dignum morte, sed potiùs accusationem contra illos, quàm contra hunc. Sic illum occidebant: sed primò, inquit, eripui illum mox interficiendum à Judæis. Deinde addit, deduxi eum ad illos, & neque sic aliquid accusandum habuere: & cùm oportuisset illos ex priori conatu deterreri, & erubescere, rursùs occidere tentant, ut clariòr causa evadat. Et cur accusatores mittit? Ut in tribunali, ubi hæc accuratiùs examinabantur, insons declararetur.* Ita Chrysost.

V. *Milites ergo* (v.31.) *secundùm præceptum sibi assumentes Paulum, duxerunt per noctem in Antipatridem. Et posterâ die dimissis equitibus, ut cum eo irent, reversi sunt ad castra. Qui cùm venissent Cæsaræam, & tradidissent Epistolam Præsidi, statuerunt ante illum & Paulum. Cùm legisset autem & interrogasset, de qua Provincia esset; & cognoscens, quia de Cilicia; Audiam te, inquit, cùm accusatores tui venerint, jussitque in prætorio Herodis custodiri eum.* Ex hactenùs dictis concludi potest, Paulum mansisse Jerosolymis novem diebus, nimirùm septem, antequam turbâ factâ ejiceretur de Templo (cap.21. v.37.), & duobus postea; rursùs novem diebus expletis, post tertiam noctis Jerosolymis eductum, die decimâ, seu undecimâ Cæsaræam pervenisse; incertum enim est, an spatio noctis & diei sequentis iter Jerosolymis Cæsaræam perfici potuerit.

VI. Probabile est, Judæos ignaros ejus, quod de Paulo factum fuerat, sequenti die accessisse ad Tribunum postulantes ab eo Paulum, ut in eum, quod conjuraverant, implerent; & valdè turbatos fuisse, cùm audierunt, eum ex eorum manibus elapsum, Cæsaræam ad Præsidem traductum fuisse, coram quo accusationes contra ipsum deferre deberent. Tantus tamen & adeò implacabilis exterminandi Paulum furor erat, ut vel Summus Sacerdos ipse cum quibusdam Senioribus Cæsaræam adire, ac se coram Felice Præside sistere, decreverint. Sic enim c. 24. à v.1.

à v. 1. legitur: *Post quinque autem dies descendit Princeps Sacerdotum Ananias cum Senioribus quibusdam, & Tertullo quodam Oratore, qui adierunt Præsidem adversùs Paulum; & citato Paulo cœpit accusare Tertullus dicens: Cùm in multa pace agamus per te, & multa corrigantur per tuam providentiam, semper & ubique suscipimus, optime Felix, cum omni gratiarum actione. Ne diutiùs autem te protraham, oro, breviter audias nos pro tua clementia.* En callidam Oratoris artem, laudibus Judicem præoccupat, ejus æquitate omnia componi, ac providentiâ corrigi dicens, suamque obedientiam ei spondens; & ut attentiorem reddat, brevitatem in dicendo promittit: *Invenimus*, inquit, *hunc hominem pestiferum & concitantem seditiones omnibus Judæis in universo Orbe, & auctorem Seditionis Sectæ Nazaræorum. Qui etiam Templum violare conatus est, quem & apprehensum voluimus secundùm Legem nostram judicare. Superveniens autem Tribunus Lysias cum vi magna eripuit eum de manibus nostris, jubens accusatores ejus ad te venire: à quo poteris ipse judicans de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. Adjecerunt autem & Judæi, dicentes hæc ita se habere.* His accusat Paulum ceu hominem pestiferum concitantem seditiones, non in una Urbe, sed in universo Orbe, Auctorem Sectæ Nazaræorum (hoc nomine tacitè Christianos intelligens) Legis, ac Templi Profanatorem. Lysiam etiam accusat, quòd vi eum ab eorum manibus eripiens justum judicium impedierit.

VII. Audiens hæc, solitâ modestiâ simul & fiduciâ ad hæc objecta v. 10. *Respondit Paulus* (*annuente sibi Præside dicere*) *ex multis annis* (nimirùm 8. vel 9.) *te esse judicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. Potes enim cognoscere, quia non plus sunt mihi dies, quàm duodecim, ex quo ascendi adorare in Jerusalem. Et neque in Templo invenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem Turbæ, neque in Synagogis, neque in Civitate: neque probare possunt tibi, de quibus nunc me accusant.* (quibus calumniam seditionis à se avertit.) *Confiteor autem hoc tibi, quòd secundùm Sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri & Deo meo, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt: spem habens in Deum, quam & hi ipsi expectant Resurrectionem futuram Justorum, & Iniquorum. In hoc & ipse studeo, sinè offendiculo conscientiam habere ad Deum & ad homines semper. Post annos autem plures, eleemosynas facturus in Gentem meam veni, & oblationes & vota. In quibus invenerunt me purificatum in Templo, non cum Turba, neque cum tumultu. Quidam autem ex Asia Judæi, quos oportebat apud te præstò esse, & accusare, si quid*

 ha-

haberent adversùm me, aut hi ipsi dicant, si quid invenerunt in me iniquitatis, cùm stem in Concilio, nisi de hac solummodò voce, quá clamavi inter eos stans: Quoniam de resurrectione Mortuorum ego judicor hodie à vobis. Hoc alacri & tranquillo animo suæ innocentiæ confisus loquitur coram Præside Paulus, simplici narratione eorum, quæ fecit, ab omni criminis accusatione se purgat, & insuper accusatores ipsos nihil contra eos dicens (quamvis innumera dicere potuisset) provocat ad dicendum, si quid contra ea, quæ dixerat, & ultra habeant quid opponant. *Hæc est* (inquit Chrysostomus hom. 50.) *copiosa justificatio, non fugere ab accusatoribus, sed paratum esse ad reddendam omnibus rationem.*

VIII. At quia Tertullus Orator Lysiam Tribunum memoraverat dicens, illum vi abduxisse Paulum, propterea subditur v. 22. *Distulit autem illos Felix, certissimè sciens de via hac* (ideſt non opus habens discere, sed ut repelleret Judæos) *dicens: Cùm Tribunus Lysias descenderit, audiam vos. Jussitque Centurioni custodire eum, & habere requiem, nec quemquam de suis ministrare ei.* Si requiem habere jubet, ergo illum à crimine liberum judicat. *Cur ergo* (ait Chrysost. hom. 51.) *detinet eum? In Judæorum gratiam, vel etiam sperans se pecunias accepturum esse;* dixerat enim Paulus, se eleemosynas detulisse; ideòque frequenter eum accersibat, & loquebatur cum eo. Sequitur enim v. 24. *Post aliquot autem dies veniens Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Judæa, vocavit Paulum, & audivit ab eo fidem, quæ est in Christum Jesum* (audivit aure quidem, sed non corde) *Disputante autem illo de Justitia, & Castitate, & de futuro Judicio, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade: tempore autem opportuno accersam te. Simul & sperans, quòd pecunia ei daretur à Paulo, propter quod & frequenter accersens eum loquebatur cum eo,* amore pecuniæ, quam sperabat, & in gratiam Judæorum, non veritatis ac justitiæ. Undè ut dicetur biennio ipsum detinuit.

IX. Porrò quis fuerit iste Felix, & quæ Drusilla, videamus. Claudius Felix à Claudio Imperatore (qui etiam ei Claudii nomen, utpotè sibi accepto, addidisse creditur) in Præfectura Judææ Cumano successit anno Christi 52., ut aliqui volunt. Fratrem habuit Pallantem, cui omne injustitiæ genus agere permisit. Uxorem habuit Drusillam Agrippæ Senioris filiam, & Junioris sororem. Hanc, quæ jam Azizi Regi Emessenorum nupserat, ut Viro priore repudiato secum nuptias iniret, sollicitavit, quòd maximè opera cujusdam Magi nomine Simonis obtinuit, illâ consentiente, ut refert Josephus L. 20. Antiq. cap. 5.

S. Lu-

S.Lucas eam Judæam vocat, quia dum Azizi uxor esset, unà cum eo eam Religionem profitebatur, sed postquam Felici nupsit, eam abdicasse aliqui putant. Femina erat pulcherrima, sed minùs pudica. Cùm ergo horum duorum Conjugum nota esset injustitia & impuritas, propterea Paulus accersitus disputationem coram eis habuit de Justitia & Castitate ac futuro Judicio. Nihil tamen profecit; nam licèt Felix terrefactus fuerit, jussit tamen Paulum reduci in carcerem, ubi lucri capiendi spe eum biennio detinuit, donec propter querelas contra ipsum excitatas, Provinciam Porcio Festo Successori cedens, Romam revocatus anno Christi 60.; ibique de tributorum impositionibus, de vi, aliisque criminibus à Judæis accusatus (ait Josephus L.20.Antiquit. cap.7.) *Dedisset omninò pœnas injuriarum, quibus Judæos affecerat; nisi Nero eum donasset Pallantis fratris precibus, qui tum in pretio erat apud Principem*. Dimittens tamen Provinciam, è carcere non dimisit Paulum. Undè v.27. dicitur. *Biennio autem expleto, accepit Successorem Felix Porcium Festum. Volens autem gratiam præstare Judæis Felix, reliquit Paulum vinctum*.

X. *Festus ergo* (Act.25. v.1.) *cùm venisset in Provinciam, post triduum ascendit Jerosolymam à Cæsaræa. Adieruntque eum Principes Sacerdotum & Primi Judæorum adversùs Paulum, & rogabant eum, postulantes gratiam adversùs eum, ut juberet perduci eum in Jerusalem, insidias tendentes, ut interficerent eum in via.* Biennali carcere Pauli nondum exsaturata rabies Judæorum sanguinem ejus sitit, & cùm non haberet undè posset eum in judicio condemnare, iterùm ad insidias confugit.

Recusavit tamen Festus Paulum Judæis tradere; nec hoc sine Divino consilio. Undè v.4. *Festus autem respondit, servari Paulum in Cæsaræa; se autem maturiùs profecturum. Demoratus autem inter eos dies non ampliùs quàm octo aut decem, descendit Cæsaræam, & alterâ die sedit pro tribunali, & jussit Paulum adduci. Qui cùm perductus esset, circumsteterunt eum, qui ab Jerosolyma descenderant Judæi, multas & graves causas objicientes, quas non poterant probare; Paulo rationem reddente, quoniam neque in Legem Judæorum, neque in Cæsarem quidquam peccavit*. Convictus Præses rationibus Pauli, benè vidit, ex odio, non crimine aliquo contra ipsum procedi, ideòque tanquam innocentem liberum dimisisset. Sed pluris faciens toti Populo gratificari, quàm unius hominis innocentiam tueri, novum judicium Paulo proponit, & quidem à suis conjuratis inimicis faciendum. Sic v.9. *Festus autem volens gratiam præstare Judæis, respondens Paulo dixit:*

dixit : Vis Jerosolymam ascendere, & ibi de bis judicari apud me? Dixit autem Paulus: Ad Tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari. Judæis non nocui, sicut tu meliùs nosti. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori; si verò nihil est eorum, quæ hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tunc Festus cum Concilio locutus respondit, Cæsarem appellasti? Ad Cæsarem ibis.

XI. Neque hìc quis culpet Paulum, quòd ad declinandam mortem, quam à Judæis sibi imminere certò sciebat, ad Ethnicum Imperatorem, & quidem Neronem, appellarit. Nam, ut ait August. Epist. 185. (aliàs 50.) c.7., *Neque enim & Apostolus Paulus vitæ suæ transitoriæ consulebat, sed Ecclesiæ Dei, quando contra eos, qui eum occidere conspiraverant, consilium illorum Tribuno, ut proderetur, effecit.... Romanas etiam Leges implorare minimè dubitavit, Civem Romanum se esse proclamans, quos tunc affligi verberibus non licebat. Itemque ne Judæis eum interimere cupientibus traderetur, Cæsaris poposcit auxilium, Romani quidem Principis, sed non Christiani. Ubi satis ostendit, quid postea facere deberent Christi Dispensatores, quando Imperatores Christianos periclitante Ecclesiâ reperirent.* Ita Augustinus exemplo Pauli justificat factum Antistitum Catholicorum sui temporis, qui ad coercendos Donatistas auxilium ab Imperatoribus postularunt. S. Athanasius Apolog. de fuga sua putat, eum ad sic agendum peculiari Spiritus Sancti instinctu motum fuisse. S. Chrysostomus verò hom.51. dicit, Paulum non dubitasse, quin Deus, qui illi promiserat se eum ducturum Romam, posset eum præservare à nece, etsi in manus Judæorum se traderet: sed judicavit, voluntariè intrare in pericula fore tentare Deum, ideòque elegit viam humanam tutiorem & justam, appellando ad Cæsarem; sic enim periculum declinabat, & Deo totum committebat; imò promissum Dei implere festinabat: unde ait Beda hìc. *Quòd appellat Cæsarem, & Romam ire festinat, ideò facit, ut prædicationi diutiùs insisteret, cumque multis hinc credentibus, atque omnibus coronatus iret ad Christum.*

XII. Sequitur Lucas Act. 25. à v. 13.: *Et cùm dies aliquot transacti essent, Agrippa Rex* (alicujus partis Judææ, filius illius, qui Petrum carcere clausit) *& Bernice* (soror ejus, vel uxor, ut Chrysost.) *descenderunt Cæsaræam ad salutandum Festum. Et cùm dies plures ibi demorarentur, Festus Regi indicavit de Paulo, dicens: Vir quidam est derelictus à Felice vinctus: de quo cùm essem Jerosolymis, adierunt me Principes Sacerdotum, & Seniores Judæorum, postulantes adversùs illum damnationem. Ad quos respondi:*

di: Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Cùm ergo hùc convenissent sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali jussi adduci Virum. De quo cùm stetissent accusatores, nullam causam deferebant, de quibus ego suspicabar malum. Quæstiones verò quasdam de sua superstitione habebant adversùs eum, & de quodam Jesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere. Hæsitans autem ego de hujusmodi quæstione, dicebam, si vellet ire Jerosolymam, & ibi judicari de istis. Paulo autem appellante, ut servaretur ad Augusti cognitionem, jussi servari eum, donec mittam eum ad Cæsarem. Hæc Festus. *Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire. Cras, inquit, audies eum.*

XIII. *Alterâ autem die cùm venisset Agrippa & Bernice cum multa ambitione, & introissent in Auditorium cum Tribunis & Viris principalibus Civitatis, jubente Festo, adductus est Paulus. Et dicit Festus: Agrippa Rex, & omnes, qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Jerosolymis, petentes & acclamantes, non oportere eum vivere ampliùs. Ego verò comperi nihil dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, judicavi mittere. De quo quid certum scribam Domino non habeo. Propter quod produxi eum ad vos, & maximè ad te, Rex Agrippa, ut interrogatione factâ, habeam quid scribam. Sine ratione enim mihi videtur mittere vinctum, & causas ejus non significare.* Discursus iste Festi continet Apologiam pro S. Paulo ejusque innocentia. Sed cur, o Feste, si innocentem fateris, si ignoras quid contra ipsum opponi possit: Cur, inquam, eum tradere voluisti ejus accusatoribus judicandum, seu veriùs interficiendum? Si justum judicium tulisses, ipse ad Cæsarem non appellasset. Si ignoras, quid contra ipsum scribas ad Cæsarem, cur eum liberum non dimittis? At Festus voluit imitari Pilatum, qui estò nihil criminis fateretur se reperire in Jesu, in gratiam tamen tumultuantis Populi, & Cæsaris timore, eum dimittere ausus non fuit.

XIV. Festus tamen instante Agrippâ vult iterum coram ipso audire Paulum, ejusque de eo sententiam aperiri. Sic & Pilatus de Jesu sententiam Herodis exquisivit. Videamus ergo, an par utriusque fuerit sors. S. Lucas ergo cap. 26. à v. 1. *Agrippa verò ad Paulum ait. Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extentâ manu cœpit rationem reddere. De omnibus, quibus accusor à Judæis, Rex Agrippa, æstimo me beatum apud te, cùm sim defensurus me hodie. Maximè te sciente omnia, & quæ apud Judæos*

dæos sunt consuetudines, & quæstiones: propter quod obsecro patienter me audias. Primò ergo exponit, se, ut omnes norunt, à juventute Jerosolymis eruditum fuisse in Secta Pharisæorum, secundùm quam certam spem Resurrectionis à Mortuis professus est, & de hac modò se judicari. Secundò fatetur, sibi ab initio nomen Jesu Nazaræni invisum fuisse, multos ex ejus Sectatoribus carceribus inclusisse, occidisse, vel in eorum necem consensisse, & per omnes Synagogas ejus nomen blasphemare compulisse. Verùm cùm acceptâ à Principibus Sacerdotum potestate ad acriùs eos persequendos pergeret, à Jesu mediâ die prostratum fuisse (& hìc narrat modum, & ordinem conversionis suæ.)

Deinde subdit v.19. *Undè, Rex Agrippa, non fui incredulus cœlesti visioni: sed his, qui sunt Damasci primùm, & Jerosolymis, & in omnem Regionem Judææ & Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. Hac ex causa me Judæi, cùm essem in Templo, comprehensum tentabant interficere. Auxilio autem adjutus Dei usque in hodiernum diem sto, testificans minori atque majori, nihil extra dicens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses. Si passibilis Christus, si primus ex Resurrectione Mortuorum, lumen annuntiaturus est Populo, & Gentibus*. Porrò cùm Paulus hæc postrema verba protulisset; & probaret, quòd Christus annuntiaturus esset lumen *Populo & Gentibus*, commotus Faustus, qui Gentilis erat: v.24. *Insanis*, inquit, *Paule; multæ te litteræ ad insaniam convertunt*.

Et Paulus: *Non insanio*, *inquit*, *optime Feste*, *sed veritatis & sobrietatis verba loquor*. *Scit enim de his Rex*, *ad quem & constanter loquor*: *latere enim eum nihil horum arbitror; neque enim in angulo quidquam horum gestum est*. Deinde testimonium ab ipso Rege postulans, *Credis*, inquit, *Rex Agrippa*, *Prophetis? Scio, quia credis*. *Agrippa autem ad Paulum*: *In modico suades, me Christianum fieri* (non enim ad hoc erat dispositus) *Et Paulus*: *Opto apud Deum, & in modico & in magno, non tantùm me, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales qualis ego sum. exceptis vinculis his*. Licèt hoc non obtinuerit, ut omnes qui aderant, fierent Christiani, sicut ipse; obtinuit tamen, ut omnes nihil in eo dignum morte, aut vinculis esse faterentur. Sequitur enim v.30. *Et exsurrexit Rex, & Præses, & Bernice, & qui assidebant eis, & cùm secessissent, loquebantur ad invicem, dicentes: Quia nihil morte dignum, aut vinculis dignum quid fecit homo iste. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem*.

§. XX.

§. XX.

Pauli Navigatio & Adventus.

I. PAulus ergo quamvis non semel pronuntiatus absolvendus, non solùm à morte, sed etiam à vinculis, ac demum fuisset reipsâ dimissus; quia tamen Cæsarem appellavit, oportuit eum Romam mitti. *Verùm* (inquit Chrysost. hom.53. *hoc ex Providentia factum est; non solùm autem hoc, sed etiam quòd cum vinculis abiret. Ideo dixit*,, Usque ad vincula quasi malè operans,, *Si enim Dominus ejus cum iniquis reputatus est, multò magis hic: sed sicut ille gloriam non curavit, ita neque hic*. Quare c.27.v.1.&c. ait Lucas: *Ut autem judicatum est navigare eum in Italiam, & tradi Paulum cum reliquis custodiis* (idest aliis vinctis) *Centurioni nomine Julio Cohortis Augustæ, ascendentes navem Adrumetinam, incipientes navigare circa Asiæ loca, sustulimus* (aliàs solvimus) *perseverante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi*. De hoc Aristarcho supra dixi §.15., loquens de seditione à Demetrio Argentario Ephesi excitata.

II. *Sequenti autem die* (v.3.) *devenimus Sidonem. Humanè autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, & curam sui agere* (utique sub alicujus militis custodia; *Verisimile enim est, eum malè habuisse à vinculis, à metu, à raptationibus*, ait Chrysost. loco citato v.4.) *Et inde cùm sustulissemus, subnavigavimus Cyprum, propterea quòd essent venti contrarii. Et pelagus Ciliciæ & Pamphyliæ navigantes, venimus Lystram quæ est Lyciæ. Et ibi inveniens Centurio navem Alexandrinam navigantem in Italiam, transposuit nos in eam*. Mutatâ tamen nave non mutarunt ventum. Nam v. 7. *Cum multis diebus tardè navigaremus, & vix devenissemus contra Gnidum* (Urbem, ac Promontorium Cariæ) *prohibente nos vento adnavigavimus Cretæ, juxta Salmonem* (Urbem & portum Cretæ, à Plinio dictum L.4. cap.12. *Sammonium*, hodie verò Caput Salamani.) *Et vix juxta navigantes venimus in locum quemdam, qui vocatur Boniportus* (situs in Meridionali Cretæ ora) *cui juxta erat Civitas Thalassa*, seu Lassa. Sic Deus, qui poterat ventis imperare, ut recto ac placido itinere Romam ut ei ipse promiserat deducerent, nihil mutat, sed permittit eum contrariis ventis navigare. Sed etiam hic mirabiliter operatur; nam ut tutò navigent, non finit eos in pelagus se immittere, sed semper juxta terram navigare facit. Et si, ut dicemus, eos in extrema labi pericula postea permisit, magis

gis ostendit potentiam suam eos præservando. Unde v. 9.

III. *Multo autem tempore peracto, & cùm jam non esset tuta navigatio, eò quòd & jejunium jam præteriisset, consolabatur eos Paulus, dicens eis: Viri, video, quoniam cùm injuria, & multo damno non solùm oneris & navis, sed etiam animarum nostrarum, incipit esse navigatio*. Cùm dicat Lucas, quòd non erat tuta navigatio, *eò quòd & jejunium jam præteriisset*, de jejunio Hebræorum loqui visus est. Sed cùm plura Judæis solemnia essent, dicente Zachariâ cap. 8. v. 19. *Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi* (mensis) *erit domui Juda in gaudium & lætitiam*; controvertitur, de quo jejunio intellexerit Lucas. Pro quo sciendum ex Hieronymo in cap. 8. Zachariæ, quòd jejunium quarti mensis, qui apud nos vocatur Julius, die septimâ, & decimâ ejusdem mensis celebrabatur: quando descendens Moyses de Monte Sina Tabulas Legis abjecit, atque confregit, & juxta Jeremiam muri Civitatis primùm rupti sunt. Jejunium quinti mensis, qui nobis est Augustus, agebatur in lugubrem memoriam seditionis ortæ occasione exploratorum Terræ Sanctæ, in cujus pœnam omnes eam ingredi prohibiti sunt, exceptis duobus Chaleb & Josue; quo mense alia multa infortunia Judæis postea acciderunt, quæ narrat Hieronymus. Jejunium septimi mensis, qui nobis est October, fiebat, quia eo mense occisus est Godolias, & Judæ Tribus ac Jerusalem reliquiæ dissipatæ. Tandem decimi mensis, nobis Januarii, jejunium fiebat, quia, ut habetur Ezech. 33. v. 21., quintâ die decimi mensis venit Nuntius de vastatione Civitatis Jerusalem. His præmissis,

IV. Ad controversiam præsentem venientes, Baronius ad ann. 58. n. 167. putat, Lucam intelligere de jejunio decimi mensis idest Januarii, non septimi; nam eo mense non videtur interdicta navigatio, quia tempus hyemale longè præcedit. Et confirmat, quòd cùm post dies quatuordecim tempestate jactati in Melitam insulam pervenissent, ibidemque tribus consumtis mensibus hyemassent, dicendum videtur, Pauli navigationem nonnisi instante hyeme cœptam: sicque mense Julii Romam adventasse.

Alii verò, præsertim Recentiores, ad jejunium septimi mensis verba Lucæ trahunt, quòd eo anno circa diem 22. Septembris celebratum putant, sicque initio Octobris Pauli navigationem consignant, quo tempore frequentes in mari esse solent tempestates. Et maximè, quia Lucas absolutè dicens quòd jejunium jam præteriisset, videtur loqui de Jejunio solemniori,

qua-

quale erat illud Expiationis, quod mense septimo Tizri, qui nostro Septembri respondet, inter cæteros pœnitentiæ actus à Judæis fiebat. Ideoque tres menses, quos hyemando Paulus Melitæ consumsit, fuisse menses Novembris, Decembris, & Januarii, quo desinente, marique placabili facto Melitâ discesserit, & mense Februarii Romam pervenerit: nihil est enim, inquiunt, quod ad mensem Julii adventum Pauli Romam differre cogat. Huic opinioni videtur favere Chrysostomus hom.53., dum ait, quòd *In ipsa ferè hyeme venerint in partes Cretæ*: si autem mense Januarii venissent; in ipsa hyeme non *ferè* in hyeme venissent. Sed his relictis.

V. Paulus ergo non puris conjecturis, sed prophetico Spiritu prævidens, quæ eventura erant pericula, à navigatione ulteriùs prosequenda dehortabatur. Ita Chrysost. hom.53. *Itaque Paulus jussit manere, & futura prædixit: illi verò festinantes, cùm à loco prohiberentur, volebant in Phœnice hybernare*. Atque ita factum est; nam v. 11. prosequitur Lucas: *Centurio autem Gubernatori & Nauclero magis credebat, quàm his quæ à Paulo dicebantur. Et cùm aptus portus non esset ad hyemandum, plurimi statuerunt consilium, navigare indè, si quo modo possent, devenientes Phœnicen hyemare, portum Cretæ respicientem ad Africum & ad Corum*. (Phænix portus erat Cretæ in parte Meridionali Occidentem spectans) *Aspirante autem Austro, æstimantes propositum se tenere, cùm sustulissent de Asson, legebant Cretam*.

VI. At statim se deceptos agnoverunt, & nisi in gratiam Pauli, qui Dei promisso Romam incolumis pervenire debebat, præservati fuissent, omnes naufragio vitam miserè finiissent. Sequitur enim à v.14. *Non post multum autem misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euro-Aquilo. Cùmque arrepta esset navis, & non posset conari in ventum, datâ nave flatibus ferebamur, in Insulam quamdam decurrentes, quæ vocatur Gauda* (sive Clauda prope Cretam) *potuimus vix obtinere Scaphâ. Quâ sublatâ adjutoriis utebantur accingentes navem, timentes ne in Syrtim inciderent, summisso vase*, (demissis velis) *sic ferebantur. Validâ autem nobis tempestate jactatis, sequenti die jactum fecerunt. Et tertiâ die suis manibus armamenta navis projecerunt. Neque autem Sole, neque Syderibus apparentibus per plures dies, & tempestate non exiguâ imminente, jam ablata erat spes omnis salutis nostræ*.

Et cùm multa jejunatio fuisset, tunc stans Paulus in medio eorum dixit: Oportebat quidem, o Viri, audito me, non tollere à Creta, lucrique facere injuriam hanc & jacturam. Et nunc suadeo

 vobis

vobis bono animo esse, amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis. Astitit enim mihi hâc nocte Angelus Dei, cujus sum ego & cui deservio, dicens, Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere. Et ecce donavit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. Propter quod bono animo estote, Viri: credo enim Deo, quia sic erit, quemadmodum dictum est mihi. In Insulam autem quamdam oportet nos devenire. Hæc Paulus fide plenus.

Sed postea quam quartadecima nox supervenit, navigantibus nobis in Adria circa mediam noctem, suspicabantur Nautæ sibi apparere aliquam Regionem. Qui & submittentes bolidem (ideft perpendiculum ad maris altitudinem explorandam) *invenerunt passus viginti; & pusillum inde separati, invenerunt passus quindecim. Timentes autem, ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes anchoras quatuor, optabant diem fieri. Nautis verò quærentibus fugere de navi, cùm misissent scapham in mare, sub obtentu quasi inciperent à prora anchoras extendere, dixit Paulus Centurioni & militibus: Nisi hi in navi manserint, vos salvi fieri non potestis. Tunc absciderunt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere.*

Et cùm lux inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum dicens: Quartadecimâ die hodie expectantes jejuni permanetis, nihil accipientes. Propter quod rogo vos accipere cibum pro salute vestra: quia nullius vestrûm capillus de capite peribit. Et cùm hæc dixisset, sumens panem gratias egit in conspectu omnium, & cùm fregisset cœpit manducare. Animæquiores autem facti omnes, & ipsi sumserunt cibum. Eramus verò universæ animæ in navi ducentæ septuaginta sex. Et satiati cibo alleviabant navem jactantes triticum in mare.

Cùm autem dies factus esset, terram non agnoscebant: Sinum verò quemdam considerabant habentem littus, in quem cogitabant, si possent, ejicere navem. Et cùm anchoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes juncturas gubernaculorum: & levato artemone secundùm auræ flatum tendebant ad littus. Et cùm incidissemus in locum Dithalassum (vulgò linguam terræ subtùs aquam) *impegerunt navem: & prora quidem fixa manebat immobilis, puppis verò solvebatur à vi maris. Militum autem consilium fuit, ut custodias occiderent, ne quis cùm enatasset effugeret. Centurio autem volens servare Paulum prohibuit fieri: jussitque eos, qui possent natare, emittere se primos & evadere & ad terram exire: & cæteros alios in tabulis ferebant, quosdam super ea, quæ de navi erant. Et sic factum est, ut omnes animæ evaderent ad terram.*

VII. Cui

VII. Cui, si in tanto vitæ periculo constitutus fuisset, animus non concidisset, dum vel sola facti narratio horrorem incutit? Solus tamen Paulus constanti animo intrepidus fidem nedum servat in se, verùm & aliis inspirat, eos ad spem adhortatur, & ad sumendum cibum invitat, ac suâ fide omnes à naufragio evidenti præservat. Jure ergo dicit Augustinus in Psal.123., quòd in eo naufragio alii aliquam rerum suarum jacturam fecerunt, solus Paulus suâ fide ditior evasit. *Multi*, inquit, *naufragaverunt cum Paulo: amatores hujus sæculi passi sunt naufragium, & nudi omnes exierunt: illi & quod foris habebant, amiserunt, & domum cordis sui invenerunt inanem. Paulus autem in corde ferebat patrimonium Fidei suæ; nullis fluctibus, nullis tempestatibus potuit auferri; nudus exiit, & dives exiit.*

VIII. Duo in hoc facto consid erat Chrysost. hom. 53.: Unum quòd Deus permisit navem perdi, ut magis agnoscerent periculi gravitatem, viderent Pauli prophetiam opere completam, & discerent, ab ipso solo à periculo fuisse ereptos. Alterum, ut apprehenderemus, quantum profit in societate Sanctorum conversari. *Sed dixerit quispiam, cur non navem servavit? ut discerent quantum periculum evaserint, quia non humani auxilii totum erat, sed Dei manus sine navi servantis. Itaque justi etsi in tempestate sint etsi in mari vel in pelago, nihil grave patiuntur, imò & alios secum servant. Si navi periclitante & naufragium passâ, vincti à Paulo servati sunt, cogita, quid sit Virum sanctum habere domi*. Hæc Chrysostomus.

IX. Cùm ergo in littus evasissent, tunc cognoverunt, Regionem illam esse Melitæ Insulam, ubi ab incolis etsi barbaris benignè excepti fuêre. Ita S. Lucas cap.28. v.1. &c. *Et cùm evasissemus, tunc cognovimus, quia Melita insula vocabatur. Barbari verò præstabant non modicam humanitatem nobis. Accensâ enim pyrâ, reficiebant nos omnes, propter imbrem, qui imminebat, & frigus.* Cùm tamen Paulus, qui nulli labori parcebat, sarmenta collegisset, ut injiceret in pyram, Vipera in eis latens eum momordit, sed gratiâ Dei, quæ illi semper aderat, nullam indè læsionem sensit, mirantibus omnibus, qui proinde Paulum esse Deum existimarunt. Sic enim à v.3. *Cùm congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, Vipera à calore cùm processisset, invasit manum ejus. Ut verò viderunt Barbari pendentem bestiam de manu ejus, ad invicem dicebant: Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non sinit eum vivere. Et ille quidem excutiens bestiam in ignem, nihil mali passus est. At illi existimabant, eum in tumorem convertendum,*

dum, & subito casurum, & mori. Diu autem illis expectantibus, & videntibus nihil mali in eo fieri, convertentes se dicebant, eum esse Deum.

Sic Deus suis gratiis quòcumque ibat Paulum comitabatur. Imò in Pauli gratiam hoc donum illi Insulæ adhuc hisce temporibus concessum fuisse, ferunt Baronius ad ann.58. n.172. & alii, ut Serpentes omnes ibi veneno careant, & quamvis aliquem momorderint, nihil detrimenti afferant. Adduntque alii veneniferas bestias solum illud non pati, & aliundè delatas statim interire, ibi præcipuè ubi S. Paulus anguem habuit infestum, in specu nempè; undè tellus & petræ contra venenatos morsus præsentissima remedia efferuntur. Et cujusdam itinerantis testimonio pueros ibidem tutò Scorpiones tractare, didicimus. Quæ quidem virtus non insita à natura sola reputanda est, cum illius Regionis Incolæ venenato Viperæ morsu Paulum occidendum (ut dicit Lucas) expectarent sed Divino muneri per meritum, & benedictionem Pauli adscribenda.

X. Hujusce prodigii fama evulgata celebrem ac veluti Numen quoddam existimari apud Insulares illos fecit Paulum. Inter præcipuos erat quidam Publius, qui Paulum cum suis per triduum hospitio benignè recipiens, ab eo Patris sanationem miraculosè reportavit: quo factum fuit, ut omnes Insulæ infirmi ad Paulum accederent, & curarentur. Ita v.7. *In locis autem illis erant prædia Principis Insulæ nomine Publii, qui nos suscipiens triduò benignè exhibuit. Contigit autem, Patrem Publii febribus, & dysenteriâ vexatum jacere: ad quem Paulus intravit, & cùm orasset, & imposuisset ei manus, salvavit eum. Quo facto omnes, qui in Insula habebant infirmitates, accedebant, & curabantur. Qui etiam multis honoribus nos honoraverunt, & navigantibus imposuerunt, quæ necessaria erant.*

XI. Porrò cùm ejusmodi gratiis ornaretur à Deo Paulus, ut ad Christi fidem Populos attraheret, credibile est, tribus mensibus, quibus Melitæ moratus est Christum prædicans, multos ex audientibus ab infidelitate ad Fidem convertisse. Ita Chrysostomus homil.54. *Palàm autem est*, inquit, *eos qui sic illum exceperunt verbum prædicationis accepisse. Neque enim trimestri tempore differuisset, nisi illi verè credidissent, & fructum exhibuissent. Itaque hinc indicium est, magnum fuisse credentium numerum*. Inter credentes præcipuum fuisse Publium, totamque ejus Familiam, sentit S. Greg. L. 27. Moral. cap.11. modò 18., & totam ferè Insulam Christi Fidem suscepisse, putant multi. Publium hunc Paulo imposterùm adhæsisse, censent cum Adone non-

nonnulli, à quo Episcopus institutus muneri prædicationis deputatus fuerit: Athenis verò Episcopum egisse, ibique martyrium subiisse. Sed Publium Athenarum Episcopum post Dionysium Areopagitam oportet fuisse alium ab ipso, cùm sub Marco Aurelio Martyr occubuerit.

XII. Post exactam Melitæ trium mensium moram, navigationem resumsit Paulus. Sic v.11. *Post menses autem tres* (necessariis ad victum à Melitensibus benè instructi) *navigavimus in navi Alexandrina, quæ in Insula hyemaverat, cui erat insigne Castrorum* (seu Castor & Pollux, ut legit Chrysost.) Undè Beda hìc: *Credo*, inquit, *primitùs* insigne Castorum *esse positum, sed vitio librariorum litteram adjectam, sicut* frustra panis *pro* frusta, *&* appropriat *pro* appropiat *sæpè scriptum in antiquissimis exemplaribus invenimus. In Græco enim pro* insigni Castrorum, Parasimo dioscuris *scriptum est*: Dioscuri *autem gemini Castores, idest Castor & Pollux græcè vocantur. Testis est urbs Colchorum, quæ ab Amphito & Circio geminorum aurigis facta, ex eorum nomine* Dioscoria *cognominata est. Quos ob id Gentiles in mari Deos invocant, quia in prodigiis Nautarum, si solitariæ stellæ in navi vel antemnis apparuerint, periculosi; si verò geminæ, prosperi cursus sunt nuntiæ. Quarum adventu fugari diram illam appellatamque Helenam ferunt.* Hæc Beda. De hoc Baron. ad ann. 59. n.2. Sequitur autem v. 12. *Et cùm venissemus Syracusam, mansimus ibi triduò. Indè circumlegentes devenimus Rhegium, & post unum diem, flante Austro, secundâ die venimus Puteolos; ubi inventis Fratribus rogati sumus manere apud eos dies septem: & sic venimus Romam.* Si ergo Puteolis invenerant Fratres, seu Christianos, signum est, quòd prædicatio Evangelii illùc præcesserat. Sic Chrysost. hom.54. *Jam*, inquit, *in Siciliam pervenerat prædicatio, jam usque Puteolos pertigerat*: quo autem prædicante non dicit: fortè S. Petro, qui jam in illis partibus fuerat.

XIII. Cùm ergo Fideles, qui Romæ erant adventum Pauli rescivissent, obviàm ei processerunt usque ad forum Appii, & tres Tabernas v. 15. *Et indè cum audissent Fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii forum, ac tres Tabernas.* Erat inquit Baronius ad ann.59.n.3., ut ex Plinio L.14.cap.6., in Agro Setino in via Appia locus positus. Tres autem Tabernæ contra Antium, undè Cicero ad Atticum Epist. 29. L. 2. *Emersimus commodè ex Antio in Appiam ad tres Tabernas.* Distabat ab Urbe forum Appii quinquaginta & unum milliare. Tres verò Tabernæ ad trigesimum tertium lapidem positæ erant. De foro Appii nulla modò sunt vestigia, vel si quæ extant, palude Pontinâ facta

sunt

sunt inaccessa. Tres verò Tabernas illas esse ferunt, quæ hodie corrupto vocabulo vulgò dicitur *Cisterna*. Hucùsque ergo Fidelium officia erga Paulum processerunt, ac si qui vinctus Romam ducebatur, triumphantis more ingressum faceret; Quem contigisse anno Christi 59., colligit idem Baronius n.4. ex Eusebio in Chronico, & Hieronymo de Script. Eccles. in Paulo, ubi ait. quòd *post Passionem Domini vigesimo quinto anno, idest secundo Neronis, eo tempore, quo Festus Procurator Judææ successit Felici, Romam vinctus mittitur*. Vigesimus autem quintus annus à Passione Domini, quæ contigit anno 33. incidit in annum 58., quo Paulus à Festo fuit dimissus: & sic sequenti anno post hyemem Romam pervenit. Quo autem mense, incertum, ut supra dixi: verno tamen tempore ineunte, probabilius putamus, Chrysostomo hom.54. dicente: *Vide, quomodò in tanta navigatione ad nullam appellunt Civitatem, sed ad Insulam, & hyemem totam transigunt in navigatione*.

XIV. Tanta ergo erat apud Fideles Romæ existentes Pauli existimatio, ut ejus adventum prævenientes omni timore seposito usque ad quinquaginta millia passuum obviàm ei processerint. *Quos cùm vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciam* (v.15.) idest ex eorum aspectu accepit fiduciæ augmentum, & consolationem. *Cùm autem* (v.16.) *venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite*. Vinctos omnes, cùm Romam pervenisset, Julius Centurio Præfecto Prætorii consignavit. Erat is Afranius Burrhus vir moribus honestis, & qui suasionibus suis quantum poterat, pravam Neronis inclinationem compescere curabat. Quid de aliis vinctis egerit nescitur, de Paulo solùm scribit Lucas, quòd cùm vel ipsis Paganis admirationi & existimationi esset, ei permisit, ut in particulari diversorio moraretur cum solius militis custodia ad ejus magis securitatem contra Judæorum insidias, quàm ad impediendam fugam. Unde Chrysost. hom.54. ait: *Itaque non illum custodiebant, sed curabant, ne illi aliquid molestum accideret. Non enim licebat in tanta Civitate, ubi Imperator erat, & libertas, aliquid præter ordinem fieri. Ita semper per ea, quæ videntur contra nos esse, pro nobis omnia fiunt. Custos enim Paulo erat*. Satis autem unus Pauli custodiæ erat, nam ibi non licebat Judæis (ut alibi) seditionem movere.

XV. Tribus à suo adventu Romam diebus requievit Paulus: *Post tertium autem diem* (v.17.) *convocavit primos Judæorum. Cùmque convenissent, dicebat eis: Ego, Viri fratres, nihil adversùm plebem faciens aut morem paternum, vinctus ab Jerosolymis*

lymis traditus sum in manus Romanorum. Qui cùm interrogationem de me habuissent, voluerunt me dimittere, eò quòd nulla esset causa mortis in me. Contradicentibus autem Judæis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi Gentem meam habens aliquid accusare. Propter hanc igitur causam rogavi vos videre & alloqui. Propter spem enim Israel catenâ hâc circumdatus sum. Ita de more placidus alloquitur Paulus; suam innocentiam exponit, eamque probat ipsorum Romanorum testimonio, qui eum liberum dimittere voluerunt. Poterat hìc ea, quæ Judæi contra ipsum Jerosolymis machinati fuerunt, referre, sed noluit; satisque ei fuit suaviter dicere, eos suæ libertati se opposuisse, & propterea se coactum fuisse Cæsarem appellare: concludens suæ persecutionis causam esse, quia prædicaret adventum Messiæ, illius nempè, qui erat tota spes Israel: & his se Discipulum Jesu Christi declarat.

XVI. *At illi* (v. 21.) *dixerunt ad eum. Nos neque litteras accepimus de te à Judæa, neque adveniens aliquis Fratrum nuntiavit, aut locutus est de te malum. Rogamus autem à te audire, quæ sentis; nam de Secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. Cùm constituissent autem illi diem, venerunt ad eum in hospitium plurimi, quibus exponebat testificans Regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex Lege Moysi & Prophetis à mane usque ad vesperam. Et quidam credebant his, quæ dicebantur; quidam verò non credebant. Cùmque invicem non essent consentientes discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia benè Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros, dicens: Vade ad Populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor Populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt: ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & sanem eos. Notum ergo sit vobis, quoniam Gentibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audient. Et cùm hæc dixisset, exierunt ab eo Judæi, multam habentes inter se quæstionem.* Quàm irritati hoc verbo adeò forti, eorumque pervicaciam vulneranti, exierint Judæi, judicet prudens. Nihil tamen contra ipsum (apertè saltem) aggredi ausi sunt, quia Romæ erant, ubi auctoritate non pollebant, ut in Judæa. Atque ita omnes eorum conatus adversùs Paulum hoc effecerunt, ut eum ducerent ad locum, in quo ampliùs impedire non possent, quin Evangelium plenâ libertate annuntiaret: Deo sic disponente pro amicis suis, ut per media, quæ magis opposita videbantur, pervenirent feliciùs ad finem.

XVII. Ita Paulo contigit: sequitur enim v. 30. *Mansit autem*

 biennio

biennio toto in suo Conductu (operâ manuum suarum non alieno sumtu vivens, ut notat Chrysost. hom.55.) *& suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum: Prædicans Regnum Dei, & docens, quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni fiducia, sine prohibitione.* Hisce verbis S. Lucas nos deserit: & ut Chrysostomus ait hom.55. *Relinquit auditorem sitientem, ut ex se ipso deinceps ratiocinetur.* Reliqua ex ipsius Pauli Epistolis, ut fieri poterit, colligam.

Quid toto illo biennio Paulus egerit, paucis claudit Lucas, dum ait, quòd erat prædicans & docens ea, quæ sunt Jesu Christi cum omni fiducia sine prohibitione.

§. XXI.

Gesta Pauli Romæ in prioribus Vinculis.

I. Romana igitur vincula, quibus biennio detinebatur Paulus, Evangelio valdè profuerunt. Ita enim ipse scribit ad Philipp. 1. v.12., & 13. *Scire autem vos volo, Fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii: ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni Prætorio, & in cæteris omnibus*: adeò ut ex ipsa Imperatoris aula plures ad Fidem adduxerit. Apparet hoc ex Epist. ad Philipp. 4., ubi v. 22. dicit: *Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt*, idest qui de Aula & Familia Neronis conversi sunt ad Christum. Commercium enim litterarum habuisse cum Seneca Neronis Præceptore, tradit S.Hieronymus L.de Script.Eccles.; qui propterea Senecam catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum inserit: cui S. Augustinus Epist. 54. modò 153. consentit; libro tamen 6. de Civit. Dei cap.11. oppositum sentire videtur, dum ait, Senecam de Christianis nihil scripsisse. Ut ut autem fuerit, certum est, quòd Epistolæ Senecæ ad Paulum & Pauli ad Senecam, quæ modò exhibentur, apocryphæ sunt, ut ostendi tom.1. Verit. Relig. Christ. cap.4. de Lib. Apocr. §.6. Tantam etiam apud domesticos Neronis suâ alacritate sibi gratiam conciliavit Paulus, ut vel ipsi Poppeæ Neronis Concubinæ, ejusque pocillatori gratus esset, ut ait Chrysost. hom.46. in Acta.

II. Videntes aliqui, continuâ Pauli in vinculis prædicatione celebre fieri etiam in aula Imperatoris Evangelium, ad illud & ipsi prædicandum excitati sunt, diverso tamen animo. Nam quidam ex zelo & amore Christi hoc munus susceperunt; Quidam verò ex invidia & livore adversùs Paulum, ut dilatatio-

tione & progressu Evangelii in Urbe, & Fidelium crescente numero, excitaretur Infidelium, & maximè Neronis furor adversùs Paulum. Ita ipse scribit Philipp. 1. à v. 14., talem ex vinculis suis fuisse Evangelii profectum, ut *plures è Fratribus in Domino confidentes vinculis meis abundantiùs auderent sine timore Verbum Dei loqui. Quidam quidem & propter invidiam & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant. Quidam ex caritate, scientes, quoniam in defensionem Evangelii positus sum. Quidam autem ex contentione Christum annuntiant, non sincerè, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis*. Cæterùm quovis animo sive ex bona voluntate, sive ex invidia ut ei afflictionem augeant, id præstent, dummodò verè Christum annuntient, ipsis ignoscit.

III. Philippenses, auditâ Pauli captivitate, sicut in aliis occasionibus, nova sui amoris & liberalitatis argumenta erga ipsum exhibere non destiterunt. Miserunt itaque Epaphroditum eorum Apostolum cap. 2. v. 25. idest Episcopum, tum ut ad eum pecuniam eorum nomine deferret; tum ut in necessitatibus personaliter ei assisteret. Generosam hanc amoris tesseram adeo grato animo excepit Paulus, ut ad Philippenses scribens cap. 4. v. 18. dicat: *Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo. Deus autem meus impleat omne desiderium vestrum &c.* Contigit autem, ut Epaphroditus lethali infirmitate Romæ corriperetur, quod maximâ tristitiâ Paulum affecit: undè cap. 2. v. 27. *Infirmatus est*, inquit, *usque ad mortem; sed Deus misertus est ejus, non solùm autem ejus, verùm etiam & mei, ne tristitiam super tristitiam haberem*. Quâ infirmitate, reditus Epaphroditi cum Pauli Epistola ad Philippenses in annum sequentem 61. dilatus fuit.

IV. In hac Epistola postquam eis exposuit fructum in Evangelio, quem ex suis vinculis reportabat, eis agit gratias de subsidio ad se transmisso, suumque amorem erga illos testatur: addens; quamvis mallet pro Christo mori, sperare tamen se illos iterum visurum. Deinde hortatur ad humilitatem exemplo Christi, qui humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem; rursùs ut ambulent tanquam filii lucis; ut caveant ab inimicis Crucis Christi, idest Judæis; ac demum ut perfectam invicem servent caritatis unionem. Hanc præcipuè rogat, ut servent Evodia & Syntyches, feminæ sanctitate quidem & bonis operibus illustres, & quæ cum ipso in Evangelio laboraverant; sed quia idipsum sapere non videbantur, idcircò com-

mendat eas cuidam, qui fortè erat majoris auctoritatis, sive consanguineus aut maritus alterutrius ex illis, ut eas in pace contineat. Syntyches memoria fit in Martyrol. Rom., Bedæ, Usuardi, Adonis, ad diem 22. Julii his verbis: *Philippis S. Syntyches, cujus beatus Paulus Apostolus meminit.*

V. De Epaphrodito, qui à Philippensibus, ut supra, ad Paulum missus Epistolam ad eos detulit, censet Theodoritus, Ecclesiæ illius Episcopum fuisse; motus ex eo, quòd vocetur Philippensium Apostolus. Cùm enim non possit dici illius Urbis Apostolus, quòd ipse primus in eam Fidem invexerit; hoc enim Paulus fecit; reliquum est ut illius Urbis Episcopus fuerit à Paulo constitutus; nisi nomen Apostoli pro Nuntio seu Legato, non pro dignitate accipiatur. Ejus festum apud Græcos die 8. sive 9. Decembris, insuper 29. & 30. Martii tanquam unius ex 70. Discipulis celebratur, necnon inter Episcopos Andriacæ, sive Andrajæ recensetur. In quodam sermone Metaphrasti tributo legitur Epaphroditus quidam Tarracinæ Episcopus, qui legitur etiam in Martyrol. Rom. die 22. Martii. Sed hic dicitur ordinatus Tarracinæ Episcopus à beato Petro, non à Paulo. Alium etiam recenset Dorotheus in Synopsi Adriæ Episcopus. Quare Baronius tres putat fuisse diversos hoc nomine appellatos. Quid autem sit, judicet Lector.

VI. Unus ex præclarioribus captivitatis S. Pauli fructibus fuit Onesimi conversio, quem ex mancipio fure & transfuga Jesu Christi servum adeo fidelem effecit, ut meruerit à Paulo postea appellari (ad Philemonem v. 10.) suus filius, quem genuit in vinculis, v. 12., tanquam sua viscera. De hoc Onesimo locutus sum tom. 1. Ver. Relig. Christ. cap. 2. de Epist. Pauli §. 1. n. 20. Ad rem præsentem dico, Onesimum Colossensem in Phrygia mancipium fuisse Philemonis ejusdem Urbis Incolæ, qui Fidem susceperat & Pauli amicus erat. Onesimus ergo reus furti non modici ab hero suo aufugiens Romam venerat, ubi cùm de Paulo audisset, ad eum accessit, culpam suam confessus est, ac ejus patrocinium apud herum imploravit. Paulus humaniter illum excipiens, simulque de fuga & furto increpans, mysteriis Fidei eum imbuit, & baptizavit. Optasset illum apud se retinere, ut sibi adjutorio esset in suis angustiis, sed nolens id facere absque consensu Philemonis, eum ad ipsum remisit tradens ei Epistolam, inter Canonicas relatam, in qua Philemonem enixè rogat, ut reatum Onesimo condonet, eumque in gratiam suam, & famulatum tanquam se ipsum recipiat. Philemon Epistolâ perlectâ, Onesimum non jam ut servum, sed ut fratrem & amicum

cum accepit, quem paulò post Romam ut Paulo ministraret, remisit. Cujus ministerio Paulum usum fuisse constat, quòd per ipsum Epistolam, quam ad Colossenses anno 62. scripsit, misit.

VII. Onesimus ab eo tempore totum Divinis ministeriis se dedit. Const. Apost. L. 7. cap. 46. fertur à Paulo Berœæ in Macedonia Episcopus constitutus, tunc fortè cùm Romam ad martyrium revertebatur. Martyrologia Bedæ, Usuardi, & Romanum die 16. Februarii faciunt eum Episcopum Ephesiorum, à Paulo post Timotheum ordinatum, eumque Romam vinctum perductum, ibique lapidatum, martyrium consummasse, ac de eo locutum S. Ignatium Epist. ad Ephes. anno 107.: sed hæc nutare videntur. Tum quia Paulus Timotheo non fuit superstes, ut post ipsum posset alium Ephesiorum Episcopum instituere. Tum quia non est credibile, Onesimum, qui in ætate jam adulta ad Fidem venerat, anno 107. adhuc vixisse, & Ecclesiæ Ephesinæ præfuisse. Veriùs ergo loqui videntur, qui putant, Onesimum Ephesiorum fuisse diversum à Philemonis servo. Græci in Menologio die 15. Februarii nihil loquentes de Episcopatu dicunt: *Post mortem verò S. Pauli à Tertullo Romæ Præfecto comprehensus, ductusque Puteolos, flagris gravissimè cæditur. Cumque à Christo ad Idolorum cultum desciscere nollet, quin potiùs fidenti animo diceret, se credere in Christum factorem Cœli & Terræ & maris, & omnium quæ in eis sunt; ad iram Tertullum concitans, contusis minutim cruribus, ad Dominum quem dilexerat migravit.* Quibus apparet, nihil certi in hac re statui posse.

VIII. De Philemone, præter ea, quæ superiùs citato loco dixi, Civis locuples Colossarum Urbis Phrygiæ fuit: unà cum uxore Appia ab Epaphra Pauli Discipulo fide initiatus creditur, cùm Paulus eam Urbem nunquam ante adierit. Ei tamen fuit addictissimus, adeò ut Paulus summâ confidentiâ ad eum scribat; imò roget eum, ut si quando Colossas ire Deus illi permiserit, paret sibi hospitium; eique fortè unà cum Archippo Ecclesiam illam commiserat, cùm tunc Epaphras Romæ captivus esset cum Paulo, ut constat v. 23. Hujus viri nomen celebre reddidit Onesimi servi reitas. Vir adeò pius ac religiosus cum tota sua Familia erat, ut ejus domus à Paulo v. 2. Ecclesia nuncupetur. Colossensium Episcopum faciunt Const. Apost. L. 7. cap. 4.; Gazensem verò in Palæstina Ecclesiam gubernasse, & munus Apostoli in ea exercuisse, volunt Græci: quod verius existimo, ut infra dicam. Colossas tamen reversus cum uxore Appia ibi Martyrio coronatur. Undè Martyrol. Rom. die 22. Novembris: *Colossis*, inquit, *in Phrygia Sanctorum Philemonis & Appiæ*

piæ Sancti Pauli Discipulorum, qui sub Nerone Imperatore, cùm Gentiles in die festo Dianæ invasissent Ecclesiam, cæteris fugientibus tenti, jussu Artoclis Præsidis verberibus cæsi, & in foveam usque ad renes inclusi, lapidibus opprimuntur.

IX. Post scriptam ad Philemonem Epistolam per Onesimum missam, aliam scripsit ad Colossenses, seu ad Colossensium Ecclesiam, quam etiam per Onesimum misit, non quidem eodem tempore, ut aliqui putaverunt, sed diverso, nimirùm ut putant Chrysostomus & Theodoretus, anno sequenti 62., postquam Philemon iterùm misit Onesimum ad Paulum. Occasio hanc Epistolam scribendi, ut tomo 1. Ver. Relig. Christ. c. 2. §. 1. n. 13. tetigi, fuit: Quia cùm ab Epaphra, qui lucem veritatis Colossis cum magno fructu effuderat, & qui cum eo tunc Romæ erat, audivisset, iis in partibus quosdam spargere, quòd non debeamus accedere ad Deum per Jesum Christum, utpotè supra nos nimis elevatum, sed per Angelos: propterea postquam Jesu Christi excellentiam eis descripsit, ostendit, eum unicum esse, qui nos Deo reconciliavit, esse Caput Ecclesiæ expandens super omnes spiritum & vitam; monens eos, ut caveant à seductoribus Philosophis, seu Legem inducere volentibus. Deinde in moribus eos informat, pro se eos precari optat, discretè cum Infidelibus conversari: demum ut hæc, & similiter Laodicensium ad ipsum Epistola, apud utramque legatur Ecclesiam; Scripserant enim Laodicenses Epistolam ad Paulum; ex quo aliqui moti dixerunt, Paulum quoque particularem Epistolam ad illos rescripsisse. Sed hoc falsum esse, ostendi tom. 1. Ver. Rel. Christ. cap. 4. de Apocryphis §. 5.

X. Epaphras, ut dixi, Colossis Christum annuntiaverat, & probabiliter etiam Laodiceæ, & Hieropoli in Phrygia, ideòque ad Colossenses scribens cap. 1. v. 7. ait: *Sicut didicistis ab Epaphra carissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis Minister Jesu Christi*. Is enim Fidei mysteriis à Paulo initiatus, convertendis Colossensibus concivibus suis operam contulit; ideòque ipse potiùs, quàm Philemon creditur Colossensium Episcopus constitutus. Cùm ergo Epaphras Romam eo tempore, quo Paulus in vinculis detinebatur, venerit, eadem & ipse vincula toleravit. Hàc occasione statum Ecclesiæ Colossensis ei retulit cap. 1. v. 8. *Qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu*. Undè ei significans periculum, in quo erant, ne à quibusdam vanæ Philosophiæ sectatoribus puritas Fidei, quam susceperant, corrumperetur, movit Paulum ad præfatam Epistolam scribendam, in qua cap. 2. v. 8. inter cætera eos monet: *Videte, ne quis vos de-*

decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.

Epaphræ festus dies in Martyrol. Usuardi, Adonis, & Rom., diei 19. Julii consignatur his verbis: *Natalis Sancti Epaphræ, quem Sanctus Paulus Apostolus Concaptivum appellat. Hinc ab eodem Apostolo Colossis Episcopus ordinatus, clarus virtutibus, ibidem martyrii palmam pro ovibus sibi commendatis virili agone percepit, cujus corpus Romæ in Basilica Sanctæ Mariæ Majoris conditum est.*. Quod ex veteribus ejusdem Ecclesiæ Monumentis se etiam collegisse, testatur Baronius in Notis, tamquam Colossis Romam translatum.

XI. Dum Paulus adhuc Romæ esset, vel saltem in aliqua Urbe Italiæ (de hoc enim controvertitur) scripsit Epistolam ad Hebræos, hoc est ad Hebræos ad Christum conversos Jerusalem & Palæstinæ. De hac Epistola, an sit Pauli & Canonica olim dubitatum fuit, tum à Græcis, tum à Latinis: imò & hodie à quibusdam ex Heterodoxis adhuc controvertitur. Eam esse Pauli & Canonicam, fusè ostendi tom. 1. Ver. Relig. Christ. c. 3. de libris olim dubiis §. 6.; ubi momenta contraria solvuntur, ideòque Lectorem illuc remitto.

§. XXII.

Pauli Itinera in Hispanias & in Orientem.

I. PAulus Romanis vinculis biennio detentus tandem libertati restitutus fuit, anno Christi 62. vel 63. Cujus autem operâ, & quo studio liberatus fuerit, & Judæorum calumniæ fuerint dissipatæ, scriptum non est. Probabiliter credi potest, hoc factum fuisse favore amicorum, quos non paucos Romæ acquisierat, etiam ex Neronis Aula, maximè cùm Nero non in tantam, ut postea, erupisset crudelitatem. Undè Beda in c. 28. Act. *Nòn solùm*, inquit, *Romæ prædicare prohibitus non est, sed necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera quanta de eo narrant historiæ, dimissus est, ut Evangelium Christi in Occidentis quoque partibus prædicaret.*

II. E carcere igitur liberatus Apostolus, variis Italiæ partibus peragratis, in Hispaniam juxta plures Patres contendisse fertur. Ita enim sentiunt Athanasius Epist. ad Dracontium, *Studium*, inquit, *fuis Sancto Viro* (Paulo) *usque ad Illyricum Evangelium prædicare, neque seguescere, neque omittere, quin* Ro-

Romam iret, & in Hispanias ascenderet, ut pro graviori labore majori frueretur mercede laboris. Cyrillus Jerosol. Catech. 17. de eodem S. Paulo scribit: *Ab Jerosolymis usque ad Illyricum disseminavit Evangelium, qui Regiam quoque Romam instituebat, & in Hispaniam usque promtitudinem prædicationis ostendit*. Epiphanius hæresi 27. *Paulus in Hispaniam profectus est, Petrus verò sæpe Pontum, & Bithyniam visitavit*. Chrysostomus præfat. in Epist. ad Hebræos de S. Paulo: *Cùm igitur*, inquit, *biennium Romæ exegisset in vinculis, tandem dimissus est: deinde in Hispanias profectus, invisit illic Judæos quoque, ac tunc fortasse Romam reversus est, quando & supplicium jussu Neronis pertulit*. Theodoritus in cap. 1. Epist. ad Philippenses ait: *Quæ Actorum nos docuit historia, quòd duobus annis primùm Romæ per se degit, per se babitans in suo conducto: cùm autem illinc profectus esset in Hispaniam, & illis etiam Divinum Evangelium tradidisset, reversus est, & tunc fuit truncatus capite*. Hieronymus in cap. 11. Isaiæ: *Paulus*, inquit, *in Hispaniam Alienigenarum portatus est navibus*, in Amos. cap. 5.. Et Gregorius L. 31. Moral. cap. 22. *Ecce ipse, quem ad testimonium jam sæpè deduximus, Paulus, cùm nunc Judæam, nunc Corinthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hispanias peteret, ut in peccati morte jacentibus æternæ vitæ gratiam nuntiaret, quid se aliud quàm esse Aquilam demonstrabat?* Hisce omnibus, aliisque testibus fidem auget Paulus ipse, qui scribens ad Romanos cap. 15. v. 24. ait: *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primùm ex parte fruitus fuero*. Habebat ergo in animo Paulus ire in Hispaniam, postquam Romam venisset: cùm ergo Romam venerit, fit, ut inde digressus in Hispaniam iter direxerit. Unde Hieronymus Epist. 28. modò 52. ad Lucinium, & Beda in cap. 28. Act. colligunt, eum in Hispaniam de facto ivisse.

III. Hoc idem ex Romano Martyrol. deducitur ad diem 22. Martii, ubi memoriam faciens Pauli Narbonensis Episcopi à Paulo constituti, dicit, quòd Paulus, cùm in Hispaniam pergeret, ibi eum reliquit. Ex Adone, qui in Chronico ad annum 59. asserit, S. Paulum eodem in itinere Trophimum Arelate reliquisse, Viennæ verò Crescentium. Tandem ex Menologio Grecorum die 29. Septembris, ubi de SS. Xanthippa, & Polyxena hæc habet: *Sancta Xanthippa, Claudio Romanorum Cæsare, uxor Probi Hispaniæ Præfecti, sororem virginem nomine Polyxenam habuit. Cùm autem Sanctus Paulus Apostolus in Regionem Hispaniæ venisset, Christumque prædicaret, illum adiit Xanthippa, atque ab eo*

eo Fidem edocta, primùm quidem baptizata fuit: deinde Viro suo persuasit, ut Christianus fieret. Similiter & soror ejus Polyxena edocta quidem tunc ab eodem Apostolo fuit, sed post ejus discessum cùm audisset Andream magnum Apostolum Patris in Achaja Fidem veritatis prædicare, profecta ad eum est, ab eoque, postquam perfectiùs quæ ad Christum pertinent didicisset, Baptismum suscepit. Mox rediit in Regionem suam, ubi reperit sororem suam Xanthippam omni virtutum genere fulgentem, à qua cum gaudio excepta est. Cùmque ambæ multos Christi Fidem docuissent, finem vivendi fecerunt. Hæc Menologium.

IV. Tot tamen tantisque testibus Recentiores quidam refragari non verentur, adventum Pauli in Hispaniam vel negantes, vel in dubium revocantes. Moventur autem primò: quia Innocentius I. in Epist. ad Decentium scribit, Apostolorum neminem præter Petrum Hispanias aliasque Occidentis Regiones Evangelicâ doctrinâ imbuisse: *Legant*, inquit, *si in his Provinciis alius Apostolorum invenitur, aut legitur docuisse. Quod si non legunt, oportet eos hoc sequi, quod Romana Ecclesia custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est*.

Secundò Ex Gelasio I. apud Gratianum Causa 22. qu. 2. Cap. *Beatus* dicente: *Beatus Paulus Apostolus non ideò, quod absit, fefellisse credendus est, aut sibi extitisse contrarius, quoniam cùm ad Hispaniam se promisisset iturum, dispositione Divinâ, majoribus occupatus ex causis, implere non potuit quod promisit. Quantum enim ipsius voluntatis interfuit, hoc pronuntiavit, quod reverà voluisset efficere. Quantum enim ad Divini secreta consilii (quæ ut homo omnia non potuit, licèt Spiritu Dei plenus, agnoscere) supernâ prætermisit dispositione præventus*. Volebat ergo S. Paulus in Hispaniam ire, sed de facto non ivit. Et in hanc opinionem videtur propendere S.Thomas in cap.15. ad Romanos Lect.3.

Quod verò de Xanthippa & Polyxena, à Paulo in Hispania conversis, à Græcis recentioribus sine solido fundamento asseri dicunt.

V. Nihilominùs testimonio prædictorum Patrum, asserentium Pauli in Hispania prædicationem, standum esse judico. Undè ad primum dico, Innocentium illâ exceptione non excludere S. Paulum, sed solùm alios Apostolos, qui tantùm in Provinciis Orientis Evangelium promulgarunt. Cùm enim Innocentius Hispaniarum Ecclesias ad Romanæ Ecclesiæ Ritus traducere contendat, & hos constet nedum à S.Petro, verùm & à S.Paulo institutos, ac in illas Regiones, quas Fide imbuendas susceperant, translatos ac propagatos, nulla subest ratio, cur S. Paulum

excipiat ab eorum numero, qui in Occidentalibus & ipsis Hispaniæ Provinciis Evangelium annuntiarunt. Solius tamen Petri meminit, quòd Romanæ & primæ Sedis Episcopus esset, cui cæteræ Ecclesiæ Catholicæ unitatis vinculo ut matrici cohærent.

Ad secundum dico, Gelasium S. Pauli profectionem in Hispaniam prorsùs non inficiari, sed solùm pro eo tempore, quo se eum executurum promiserat. Spoponderat enim Romanis, se statim atque Collectas Jerosolymam in Pauperum levamen detulisset, Romam venturum, & inde in Hispaniam profecturum. Quod tam citò implere non potuit, cùm eum prohibuerint graves erumnæ, quas Jerosolymis à Judæis passus est, & carceris angustiæ, in quo solido biennio Romæ Nero detinuit, quarum cùm ad Romanos scriberet præscius nondum erat: quod non tollit, quin liber dimissus, promissum suum impleverit. S. Thomas verò utramque opinionem proponit, sed rem ex professo non tractat. Quòd verò commentitium sit, de Xanthippa & Polyxena à Paulo in Hispania conversis, facilè dicitur, sed non ita facilè, quia solis conjecturis, probatur. Nec hoc à solis recentioribus Græcis dicitur, sed ex Menologio Basilii Imperatoris seculo nono edito sumitur. Earum etiam meminit Martyrologium Romanum ad diem 23. Septembris. Sed de hoc satis.

VI. Subindè Paulus in Orientem reversus, creditur in Judæam iter instituisse. Quamquam enim tot & tam gravia à Judæis passus esset, adhuc tamen scribens ad eos peramanter promisit, se ad eos iterùm profecturum. Cap. 13. ad Hebr. v. 23. *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celeriùs venerit) videbo vos*. Quibus significat, Timotheum fuisse & ipsum in carceribus, & postea dimissum. Quibus autem in carceribus Timotheus fuerit, dubitatur. In Romanis cum Paulo, quem Romam secutus fuit, putant aliqui. Et quidem Timotheum fuisse Romæ cum Paulo, apparet ex Epistolis, quas Romæ Paulus scripsit, nimirùm ad Philemonem, ad Philippenses, & Colossenses; nam earum tituli unà cum Pauli nomine præferunt nomen Timothei. Sed cùm scriberet ad Hæbreos, Timotheus cum illo non erat, nam dimissum expectabat, ut veniret. Probabile ergo est, quòd Paulus ad Philippenses miserit Timotheum, ut statum eorum Ecclesiæ ad ipsum deferret, quod promiserat Philipp. 2. v. 19. & 23.; & quòd in itinere propter nomen Jesu Christi carceri fuerit mancipatus. Undè Paulus sequenti anno ad Hebræos scribens, dicere potuerit, Timotheum esse quidem è carcere dimissum, sed nondum ad se venisse.

ſe. Ideò autem hoc de Timotheo Judæis ſcribit, quia noverat, eum non eſſe eis odioſum, cùm in eorum gratiam ipſum circumciſioni ſubjeciſſet. An verò ex Italia immediatè tranſierit Paulus in Orientem, affirmant, qui eum in Hiſpaniam non iviſſe contendunt. Nos verò, qui, ut ſupra, in Hiſpaniam profectum fuiſſe volumus, dicimus eum poſt aliquod tempus in Hiſpania tranſactum, in Orientem & maximè in Judæam tranſmigraſſe.

VII. Judæâ relictâ alias Aſiæ partes recurrit. Coloſſenſes inviſiſſe probabile eſt; hoc enim Philemoni promiſerat ad Philem. v. 22. *Semel autem & para mihi hoſpitium: nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.* Aliquo etiam tempore manſit Epheſi: indè diſcedens in Macedoniam ibi Timotheum reliquit, eique curam Aſiæ reliquit 1. ad Timot. 1. v. 3. ſicut *rogavi te, ut remaneres Epheſi, cùm irem in Macedoniam.* Eum enim non reliquiſſe Epheſi in primo ſuo diſceſſu ante vincula Romana, ex eo colligitur, quòd Timotheus Paulo comes fuit in itinere Romam, & cum eo Romæ erat, ut nuper dixi. Cùm in Macedoniam Paulus tranſiſſet, creditur Philippenſes inviſiſſe memor promiſſi, quod eis fecerat Philipp. 2. v. 24.: *Confido autem in Domino, quoniam & ipſe veniam ad vos citò.*

VIII. Ex Macedonia ſcripſiſſe fertur priorem Epiſtolam ad Timotheum, in qua & communia Epiſcoporum munera, & peculiaria ipſius proſequitur, & ut modico vini hauſtu vitio ſtomachi ſuccurrat, hortatur. Monet eum etiam, ut caveat ab iis qui Fidei veritatem falſis doctrinis corrumpunt, *ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos*, inquit, *tradidi Satanæ, ut diſcant non blaſphemare* (cap. 5. v. 20.) Fuit Hymenæus, ut videtur, Civis Epheſinus, priùs quidem Chriſti Fidem amplexus, ſed deinde in eorum hæreſim lapſus, qui Carnis Reſurrectionem, utpotè jam factam, futuram negabant. Ita 2. ad Tim. 2. v. 17. ubi adjungit etiam Philetum, dicens: *Et ſermo eorum ut cancer ſerpit, ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes, Reſurrectionem eſſe jam factam, & ſubverterunt quorumdam fidem.* Eorum error, ut putat S. Auguſtinus tract. 19. in Joann., erat, nullam eſſe Reſurrectionem Carnis, ſed ſolùm animæ à peccato ad Gratiam per Fidem & Baptiſmum. *Jam factam eſſe* (inquit Auguſt.) *Reſurrectionem dicebant, ſed eo modo ut alia non ſperaretur: & reprehendebant homines, qui ſperabant Reſurrectionem Carnis, velut jam Reſurrectio, quæ promiſſa erat, credendo impleretur in mente.* Ex his patet, Hymenæum, & Philetum adhuc in ſuo errore permanſiſſe, dum Paulus ſecundam

Ii 2 ad

ad Timotheum Epiſtolam ſcriberet. An verò poſtea reſipuerint, ignoratur.

De Alexandro quem cum Hymenæo tradidit Satanæ Paulus, fuiſse fabrum ærarium prodidit, perverſa & ipſum contra Fidem docuiſse, ſcimus: an verò in errore Hymenæi, an in alio fuerit, latet.

IX. Priuſquam fortè adiret Epheſum, Cretam pertranſierat Paulus, ibique jactis fundamentis Fidei, Titum, ut eam gubernaret, reliquit. Cùmque propoſuiſset hyemare Nicopoli Urbe ſive Epiri, ſive ut alii volunt Thraciæ in introitu Macedoniæ, illuc ſe contulit. Sed cùm Titum apud ſe eſse optaret, ſive ut eum in regendis Cretæ Eccleſiis, quæ illi cordi erant, magis inſtrueret, ſive ut interim ad fundandas alias Eccleſias ejus operâ uteretur, ſcripſit ad eum Epiſtolam, hortans ut ad ſe veniat, promittens, ſe illuc miſsurum Tychicum vel Artemam, ut ejus vices implerent, ubi Hieronymus in cap. 3. ad Titum ait, Paulum reliquiſse Titum Cretæ. *Ut quia Cretenſes nuper crediderant, recedente Paulo & ad alias Eccleſias tranſeunte, non dimitterentur orphani, ſed haberent Apoſtolicum Virum, qui ea quæ videbantur deeſſe corrigeret. Quia ergo poſt fundamentum aliarum Eccleſiarum neceſſarius erat Titus, qui ædificium ſuperſtrueret, ſcribit ei, ut cùm Artemam vel Tychicum, unum ſcilicet è duobus, qui ſecum fuerant, Cretam miſiſſet, impleturum locum ejus; ipſe Nicopolim veniret, ibi ſe hyematurum eſſe conteſtans. Ex quo paternos Pauli in Cretenſes probamus affectus. Neceſſarium habet Titum in Evangelii miniſterium; tamen non eum ante ad ſe vult venire, niſi in locum ejus Artemas vel Tychicus ſucceſſor advenerit. Nicopolis ipſa eſt, quæ ob victoriam Auguſti, quòd ibi Antonium Cleopatramque ſuperarit, nomen accepit.* Hæc Hieronymus.

Chryſoſtomus verò homil. 6. in Epiſt. ad Titum ſuper illa verba: *Cùm miſero ad te Artemam aut Tychicum, feſtina ad me venire Nicopolim*, ait. *Quid ſibi hoc vult, quum jam eum præfeceras Inſulæ, & rursùm ad te ipſum vocas? Non, inquit, hoc ago, ut illum à ſuo removeam ſtudio atque miniſterio, ſed ut à me inſtructior doctiorque diſcedat. Nam quòd illum non idcircò ad ſe vocat, ut ſecum circumducat, & ubique comitem habeat; audi quid ſequitur: Illic enim hyemare decrevi. Nicopolis Thraciæ Civitas eſt.* Quibus Chryſoſtomus vult, Paulum vocaſse Titum ad ſe ſolùm ad tempus, ut eum magis inſtructum Cretam remitteret. Sed hoc difficultatem habet. Nam 2. ad Timoth. v. 16. legitur Titus miſsus in Dalmatiam: non ergo rediit Cretam. Hic obſervet Lector, quòd etſi alibi in dubio reliquerim locum, ubi ſcripta fuerit

fuerit Epistola ad Titum, ex supradictis tamen colligere poterit, Nicopoli, vel prope illam fuisse scriptam.

X. Artemam ergo misit Cretam Paulus, ut vices Titi in regimine illius Ecclesiæ gereret, sive ut in eodem illi succederet. Undè licèt de illo nihil ultra sciamus; quantæ tamen virtutis esset, ex hoc unico argumento conjicere licet. Tychicum apud se retinuit. Erat is ex Provincia Asiæ, Pauli in multis itineribus comes: per ipsum misit Epistolam ad Colossenses cap.4. v.7. ad Ephesios cap.9. v.21; mittebat autem eum non solùm ut Epistolas deferret, sed ad invisendum statum illius Ecclesiæ, de quo eundem Apostolum certiorem faciebat. Hinc meruit, ut ab eodem elogio carissimi fratris & fidelis ministri ornaretur, ut ex locis citatis apparet, eumque cogitaverat mittere Cretam in locum Titi. Fertur, cùm Epistolam ad Ephesios detulisset, eò etiam missum, ut Timothei illius Ecclesiæ Episcopi tunc Romæ versantis vices gereret. Tychici memoriam Latini faciunt in Martyrol. die 29. Aprilis, his verbis: *Apud Paphum in Cypro Sancti Tychici Discipuli Beati Pauli Apostoli, quem idem Apostolus in suis Epistolis carissimum Fratrem, Ministrum fidelem, & Conservum suum in Domino appellat*. De eo Usuardus, Ado, & alii. Hunc fuisse primum Chalcedonensis Ecclesiæ Episcopum, tradit Dorothæus in Synopsi. Græci verò in Menologio die 9. Decembris volunt, Tychicum Sosteni in Episcopatu Colophonis successisse, & Martyrio vitam finiisse.

XI. Anno sequenti, quem fuisse annum 65. plures putant, fertur S. Paulus Ephesum rediisse, ut Timotheo promiserat 1. ad Timoth. 3. v.14. *Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire citò*, & cap. 4. v. 13. *Dum venio, attende lectioni, exhortationi & doctrinæ*. Chrysostomus hom.1. in 2. ad Timotheum existimat, Paulum alibi impeditum implere promissum non potuisse, ideòque hanc secundam Epistolam ad eum scripsisse. *Quid sibi vult*, inquit, *quòd secundam quoque ad Timotheum Epistolam scribit? Dixerat* „ spero celeriùs venire ad te„ *Frustratus ille fuerat spe, & expectatione suâ; consolatur eum litteris corporalis præsentiæ vice fortassis ob hoc ipsum mærentem*. Hoc tamen non obstante, probabile est, Paulum redeundo Ephesum, quod promiserat implevisse, & hoc fuisse antequam Troadem veniret, ut statim dicam.

XII. Venit ergo Troadem, ubi apud quemdam nomine *Carpum* hospitatus fuit, qui Pauli erat Discipulus. De isto Carpo Græci in Menologio die 26. Maii tanta dicunt, ut non plura de ipso Paulo dicere possent: Dicunt enim: Quod *fuit inter*

septua-

septuaginta Discipulos, & Apostolos ab ipso Christo adnumeratus, qui magno Paulo in prædicatione ministrans, Divinasque illius Epistolas ad illos, quibus eas mittebat, deferens, multos ex Ethnicis ad Christi Fidem adduxit, ac fulgore Parracliti mentem illustratam habens, tanquam inaccessum Sydus ab Oriente exurgens universum Terrarum Orbem Divinis doctrinis illuminavit, cùm magna quotidie miracula patraret, & iniquissimos Spiritus ejiceret, atque Urbes Populosque ad Christi Fidem traduceret. Multas proinde ab Infidelibus ærumnas sustinuit. Verùm virili animo gloriosum agonis certamen suscipiens, Principum iratum animum non formidavit. Quapropter cùm Deum in suis membris glorificasset, ab ipso est gloriosè magnificatus, atque in pace decedens in Dei manus tradidit spiritum. Hæc de Carpo Græci. Quo autem fundamento, nescitur, cùm vel Paulus ipse suos Discipulos commendare solitus, de Carpo nil aliud, quàm nomen dicat. Latini in Martyrol. die 13. Octobris solùm dicunt: *Apud Troadem Asiæ Minoris Urbem natalis S. Carpi Discipuli Beati Pauli Apostoli*. Berœensem Episcopum fuisse tradunt Græci, in Creta autem Dionysius Areopagita Epist. 8. ad Demophylum, cui accedit S. Nilus, dicens, hunc Carpum Episcopum coœvum Apostolis fuisse. Videri potest Baronius ad ann. 59. num. 16., ubi ex Dionysio citato narrat Carpi quandam visionem ob nimiam in peccatores severitatem.

XIII. Discedens Paulus Troade apud Carpum hospitem suum reliquit Penulam, idest vestem exteriorem protegentem à pluvia, sive ut alii volunt sacculum ad reponendos libros, sive suarum Epistolarum, sive alios, & membranas, quæ fortè erant Sacræ scripturæ volumen. Colligitur ex 2. ad Timoth. 4. v. 13. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & librum, maximè autem membranas*: ubi Chrysostomus hom. 10. in cap. 4. 2. ad Timoth.: *Pallium*, inquit, *hic penulam dicit, alii loculos putant, in quibus libri condebantur. Quid autem illi libris opus erat, quum esset migraturus ad Dominum? At tunc eis maximè egebat, ut eos Fidelibus commendaret habendos atque servandos ab his doctrinæ illius vice.*

XIV. Circa hæc tempora Paulum Miletum venisse, creditur, ubi Trophimum infirmum reliquit, ut ipse dicit 2. ad Timoth. 4. v. 20. *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*. Ubi Chrysostomus hom. 10. ad Paulum: *Cur obsecro* inquit, *non illum sanasti? Cur reliquisti? Nonne omnia Apostoli poterant? Nonne per gratiam omnia dispensabant?* Respondet: *Plurima enim permittebat Deus hujusmodi fieri, ut infirmitatem naturæ mortalis ostenderet,*

De

De Trophimo egi supra §. 18. Hisce temporibus affigi etiam possunt persecutiones, quas in eadem 2. Epist. cap.3. v.11. se passum memorat, *Persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii & Lystriæ:* quas, ut ait Chrysostomus hom.8. in cap.3.2. ad Timoth., ideò solas inter plurimas numerat, quia *nota erant Discipulo reliqua, & fortassis ista ut recentia omissis prioribus memorat.*

§. XXIII.

Paulus Romam reversus carceri traditur.

I. Post tantos terrâ marique toto ferè terrarum Orbe exantlatos labores, præsciens Paulus tempus resolutionis suæ instare, ut eos gloriosâ morte pro Christo coronaret, Romam iterùm adire decrevit. Colligunt hoc Patres ex secunda Epistola, quam ad Timotheum scripsit, in qua post salutaria monita, quibus Timotheum imbuit cap.4. v.6. ait: *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi* &c. Ex quibus colligit S. Augustinus L.2. de peccat. meritis cap. 16., eum Divinâ revelatione cognovisse & suam imminentem passionem & in passione victoriam: *Et ideo talibus verbis certus securusque gaudebat, quia de victoria futuri certaminis certum eum securumque jam fecerat, qui eandem passionem jam illi revelaverat imminentem.* Et serm. 299. ,, Ego, *inquit*, jam immolor ,, *confirmatum illi erat revelatione; non enim hoc sibi humana infirmitas promittere auderet.* Et S. Athanasius Apologiâ de fuga sua addit, Petro & Paulo fuisse revelatum etiam Martyrium Romæ subeundum: *His, inquit, auditis verbis, oportet vos Romæ Martyrium subire, profectum non distulere suum, imò potiùs gaudentes abierunt; & ille quidem ut ad suos properans, de nece sua gaudebat: hic verò cùm tempus adesset, nequaquam exhorruit, sed gloriabundus ait,* ,, Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meæ instat ,,.

II. Paulus ergo Romam proficiscens Corinthum pertransivit, ubi Erastus Civis remansit 2. ad Timoth. 4. v.20. Cùm ergo Romam pervenisset, invento ibi Petro, unà cum isto totum se dedit instruendis Judæis in Synagogis, & ab infidelitate avertendis Paganis in plateis & publicis cœtibus. Inter cætera autem Moralis Christianæ adversùs voluptates sensus & omne libidinum genus suadere cœpit. Quæ audiens Nero factus jam vitiorum omnium & maximè libidinis vile mancipium, de eo ex-

exterminando cogitare cœpit; ut refert S. Asterius hom. in Petrum & Paulum versùs finem. Id verò maximè Neronis animum in Paulum excitavit, quia cùm, ut supra dixi ex Chrysost. hom. 46., Pincernæ, & Concubinæ Neronis aliquo modo in priori adventu Paulus innotuisset, in hoc secundo, fert Traditio, familiariùs ad utrumque accedentem, eisque Fidem Christi persuadentem, utrumque tandem Christo lucratùm fuisse. Quod Neronis iram, qui feminam illam deperibat, adeò commovit, ut Paulum carceri tradi jusserit. De hoc Chrysostomus L. 1. adversùs oppugnatores vitæ Monasticæ ad eos arguendos, qui castitatis propositum damnabant, exemplum sumit, dicens: *Hic itaque Nero Beatum Paulum, cujus tempore regnabat, de iisdem accusans, de quibus vos ipsi Sanctos Viros insimulatis: pellicem enim ejus, quam ille deperibat, cùm ad Fidei doctrinam amplectendam induxisset, ab impio ejus consortio abduxit: hæc, inquam, illi crimina objiciens, ac corruptorem, seductorem, & his similibus nominibus, quæ vos modò profertis, Paulum appellans, primò ipsum in vincula conjecit: cùm autem ut puellæ monita dare desineret, ipsi persuadere non posset, necavit tandem.* Ita Chrysost.

III. Creditur Paulus, ut se defenderet, stetisse primò coram Nerone. Sed qui in prioribus vinculis amicos multos etiam de domo Cæsaris habuit (ad Philipp. 4. v. 22.) in his secundis ab omnibus derelictum se dolet. 2. ad Timoth. 4. v. 16. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt.* Hæc tamen Pauli querela cadit quidem super illos, qui ex aula Neronis antea illi favebant, vel qui apud Principem existimationem habentes eum juvare poterant; sed non super Lucam, aliosque Sanctos tunc Romæ existentes: hi enim quamvis summam in Paulum pietatem adhuc foverent, quia tamen in eadem causa cum ipso erant, juvamen illi se non posse afferre noverant, propriam quoque vitam pro illo exhibentes.

IV. Verùm quamvis Paulum dereliquerint homines, Deus tamen ipsum non dereliquit, Gratiâ suâ confortans & roborans, & ut passiones alacriter ferret, & ut prædicationis opus compleret. Sic ipse ait 2. ad Timoth. 4. v. 17. *Dominus autem mihi astitit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes, & liberatus sum de ore Leonis.* Per Leonem indicans Neronem, à quo se liberatum dicit, sive tunc effugerit mortem, quam illi fuerat comminatus, sive quia fuerit integrè libertati constitutus, ut aliqui volunt, ut potuerit coram omnibus Gentibus Romæ existentibus opus prædicationis complere: sed postea in vincula conjectus. Ita sentit Chrysostomus hom. 10. in 2.

in 2. ad Timoth. cap.4. his verbis: *Quam verò dicit primam defensionem? Neroni jam astiterat, & illæsus effugerat: ubi verò Pincernam ejus instituit, ac Fidei Sacramentis instruxit* (dicas etiam pellicem) *tunc jam ipsum capite truncavit.*

Alii autem exstimant, verba illa *In prima mea defensione* referri à Paulo ad tempus præteritum, quando scilicet appellatione usus Romam à Festo missus est, defensione auditâ fuit absolutus, & in Hispaniam profectus est, & ad alias Gentes excurrens, eis Evangelicæ doctrinæ lucem attulit. Primam vocavit defensionem, quâ in illa profectione usus est, & liberatus fuit ab ore Leonis, idest Neronis. Ita Alexander in cap.4. 2. ad Timoth. citans Chrysostomum, & Theodoritum. Priori tamen expositioni standum esse censerem.

V. Derelictus ab omnibus Paulus fuit; nam omnes etiam Asiatici, qui Romæ erant, ab eo recesserunt, ut 2. ad Timoth. 1. v. 15.: *Scis hoc, quòd aversi sunt à me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus, & Hermogenes.* Ubi Chrysostomus hom. 3. *Erant*, inquit, *fortè tunc Romæ plerique Asiatici: sed nemo, ait, astitit mihi, nullus me recognovit, omnes à me alieni effecti sunt.* Specialiter autem Phigellum, & Hermogenem nominat, quia hi duo, nedum ab ipso sed & à Fide defecisse, creduntur. Phigellus seu Phygellus Asiaticus erat, & saltem apparenter Christianus, de eo nihil sanè honorificum legimus: Metaphrastes in serm. de SS. Petro & Paulo facit eum Episcopum Ephesiorum, qui Judæis fidelibus, ut à Fide deficerent, auctor fuit: sed hæc dubiæ fidei sunt. Hermogenes, si Abdiæ credimus, Magus fuit à S. Jacobo Majore cum Phygello ad Fidem ductus: Apostolum secutus, cùm eum in vincula conjectum videret, ipsum reliquit. Contra Hermogenem scripsit Tertullianus negantem Resurrectionem futuram, quippè quæ jam facta fuisset; sed hic alius fuit ab eo, de quo hìc agimus. Si auctori sub Ambrosii nomine in cap. 1. 2. ad Timoth. fides sit: *Hi, quos memorat* (Phygellus & Hermogenes) *fallaciâ pleni erant. Simulabant enim amicitias Apostolo, ut adhærentes ei addiscerent, undè illi calumniam facerent, aut per alios immitterent. Qui postea quam viderunt manifestatos se, recesserunt ab eo.*

VI. Deus tamen, qui Paulum non deserebat, misit in solamen ejus Onesiphorum, qui ab Asia ad ipsum ferè ab omnibus derelictum profectus maximo subsidio ei fuit. Undè 2. ad Tim. 1. v. 16. ita eum commendat: *Det misericordiam Dominus Onesiphori Domui, quia sæpè me refrigeravit, & catenam meam non erubuit. Sed cùm Romam venisset, sollicitè me quæsivit, & invenit.*

Det illi Dominus invenire misericordiam in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu meliùs nosti. Ecce quàm gratus quàm pius erga benefactores suos. Onesiphori festum Græci celebrant die 29. Aprilis. Eum faciunt Episcopum Colophonis in Asia, deinde 8. Decembris Episcopum Cæsaraæ faciunt, Martyrem, & unum ex 70. Discipulis. Latini verò in Martyr. Rom. die 6. Septembris, his verbis: *In Hellesponto Sancti Onesiphori Apostolorum Discipuli, cujus meminit S. Paulus ad Timotheum scribens, qui ibidem unà cum S. Porphyrio jussu Hadriani Pro-Consulis acriter verberatus, & à ferocibus Equis raptatus, spiritum Deo reddidit*.

VII. Dum Paulus in extremis hisce vinculis detineretur, non adeò arctè custodiebatur, quin sibi vel alloquendi aliquem vel scribendi copia fieret. Hoc ergo tempore, non ante, ut putant aliqui cum Baronio, secundam Epistolam ad Timotheum scripsisse puto. Hanc Chrysostomus hom. 9. describit tanquam Testamentum morituri Patris ad filium monita ei relinquentis, eumque absentem ante mortem videre cupientis. Sciebat, ad hoc nuntium maximo mœrore Timotheum afficiendum. *Nam* (inquit Chrysostomus) *si Elisæus ad extremum usque Magistro conjunctus, illumque intuens novo ac peregrino modo Mundo excedentem, scidit vestimenta sua: quid hunc passurum putas, cùm audiret, quem ita diligebat & à quo sic amabatur, Magistrum ex vita migraturum, & quòd ipse nec vicino quidem mortis tempore frui meruisset, quod omnium maximè vel mœstissimum est? Non enim ita præterito tempore gratificamur contuberniis, sicut graviter ferimus, quum defunctis propinquâ mortis horâ destituimur. Idcirco ubi affatim illum consolatus est, tunc de morte proxima loquitur, neque id facit temerè, sed eis vocabulis utitur, quæ illum maximè solari possint, & gaudio implere, dum sacrificium eam rem potiùs arbitratur esse, quàm mortem, peregrinationemque & ad meliora transitum*, „ Ego enim, *inquit*, jam delibor &c. Cursum consummavi, reposita est mihi corona „ &c.

VIII. Propterea hortatur illum, ut citò veniat ad se cap. 4. v. 8. *Festina ad me venire citò*. Tum ut ipsi morituro assistat, eo vel maximè quòd omnes eum dereliquerint, & remanserit quasi solus. *Demas enim me reliquit diligens hoc seculum, & abiit Thessalonicam*: ubi Chrysost. hom. 10. *Huic soli detrahit*, inquit, *non derogandi illi sed confirmandi nos studio, ne inter pericula laboresque mollescamus*. Cæterùm Demam istum non solùm reliquisse Paulum, sed & Christum, dum in patriam Thessalonicam se recipiens ad hæresim Cerinthi, Ebionis, & aliorum Christi Divini-

vinitatem negantium defecit, S. Epiphanius hæresi 51. tradit. Imò ut ajunt Dorothæus in Synopsi & Pseudo-Hippolytus de 70. Discipulis, factus fuit Sacerdos Idolorum. Reliqui Discipuli in alias Partes ab eo fortè Evangelii causâ missi erant, ut Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam, Tychicus Ephesum. Quarè Timotheum hortatur, ut assumat, & secum ducat Joannem Marcum, sibi utilem in ministerio v.11. *Lucas enim est mecum solus*. Undè v.21. Timotheum sic hortatur, *Festina ante hyemem venire*. Tanta autem sollicitudo Pauli de adventu Timothei cum Marco, ne remaneret solus, non erat præcisè propter se ipsum, sed propter Evangelium, ne Fideles in sua morte perturbarentur. Erant enim tunc Romæ Fideles, sed timebat, ne ejus exitu deterriti, vel in Fide nutarent, vel si ex primoribus essent, turbas excitarent. Ita Chrysostomus hom. 10.: *Itaque*, inquit, *& Timotheum non sui causâ, sed Evangelii vocat, ut nullam in ipsius morte Fideles perturbationem paterentur, quum adessent plerique ex Discipulis ejus, turbasque prohiberent, eosque consolarentur, qui illius necem æquanimiter ferre non poterant: quippe eos, qui Romæ crediderant, singulares esse memorabilesque esse crediderim*.

IX. In hac Epistola totus est Paulus in suadendo Timotheo, ut munera Episcopi fideliter impleat, nec ullo humano respectu demoveatur; ut teneat firmiter sanam doctrinam, quam ab ipso acceperat, & in ea stet, ut devitet eos, qui sub specie pietatis semper nova quærentes, nunquam veritatem assequuntur, sed vanis quæstionibus ac illusionibus huc illucque distrahuntur, additque cap.3. v.8.: *Quemadmodùm autem Jannes & Mambres restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa Fidem*. Hi duo, quorum nomina alibi in Scriptura non leguntur, fuerunt duo ex Magis, quos Exodi 7. v.11. Pharao vocavit, ut suis incantationibus Moysi prodigia æmularentur. Paraphrastes Jonathan in num.22. tradit, eos habuisse Patrem Balaamum, quem euntem ad Balac Regem Moab comitati sunt. Artapanus scribit, Pharaonem ex Ægypto Superiori supra Memphim Magos illos accivisse contra Moysen. Ambrosius (seu veriùs Hilarus Diaconus) in 2. ad Timoth. 3. v.8. Fratres fuisse refert, qui videntes, quòd virtus Moysi in operibus cresceret, humiles facti confessi sunt cum dolore vulnerum, Deum in Moyse operatum. Nonnulli credunt eos cum patribus suis avolasse, alii submersos in mari Rubro cum Ægyptiis, alii sublatos fuisse à Phinees in bello contra Madianitas. Sed hæc ex Apocryphis sumta sunt. Palladius in

sua historia Lausiaca cap. 15. refert, S. Macarium aliquibus diebus in desertum à sua Sede remotum datâ operâ divertisse, ut sepulchrum horum præstigiatorum videret, quod in horto arboribus consito invenit, ubi domus erat sumtuoso apparatu instructa, cujus ingressum Dæmones prohibebant. Verùm Vir Sanctus, illis in fugam actis, domum lustravit, ac deinde ad sua reversus est. Fabula ne an historia hæc sit, judicet quispiam.

X. Hisce postremis in vinculis Epistolam quoque ad Ephesios Paulum scripsisse, non pauci autumant; & colligunt primò: quia hoc tempore Tychicum solitum ejus Tabellarium misit Ephesum. 2. ad Timoth. 4. v. 12. *Tychicum autem misi Ephesum*: secundò, quia titulus hujus Epistolæ non præfert nomen Timothei unà cum S. Paulo, ut Epistola ad Colossenses, & aliæ, quæ in primis vinculis scriptæ fuerunt, ut ad Philippenses, & ad Philemonem. Epistola ergo ad Ephesios videtur scripta eo tempore, quo Timotheus non erat Romæ cum Paulo, ac proinde non in primis sed in secundis Neronianis vinculis. Hanc autem se misisse per Tychicum, scribit ipse cap. 6. v. 21.: *Ut autem & vos sciatis, quæ circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus*. Quæ verba collata cum jam allatis ex secunda ad Timoth., *Tychicum autem misi Ephesum*, arguere videntur, quòd Paulus, dum scriberet secundam ad Timotheum, misisset jam Tychicum cum Epistola ad Ephesios. S. Hieronymus ipse in cap. 3. ad Ephes. dubitare videtur, an ad Ephesios scripserit, dum disponeret Româ ire in Hispaniam, an verò postquam in Hispaniam perrexisset, quamvis in Epist. ad Philemonem putet ad Ephesios eum scripsisse, quando ad Philippenses & Colossenses scripsit, hoc est in primis vinculis. Sed quidquid sit de hoc: Epistolæ hujus argumentum sunt potissima Fidei mysteria, Redemptionis nempè, Justificationis per mortem Christi, gratuitæ Prædestinationis, Vocationis Gentium, duorum Populorum unio in unum corpus per Jesum Christum, & tandem ejusdem Capitis super omnes Creaturas & spirituales & corporales eminentia.



§. XXIV.

§. XXIV.

Pauli Martyrium.

I. QUantum temporis effluxerit inter solutionem à primis Neronianis vinculis & hæc postrema, à quibus transiit ad Martyrium, certum non est. Ex itineribus tamen, quibus Hispaniam aliasque Occidentis & Orientis non pede tantùm sed zelo & peregrinatione peragravit, apertè colligi potest, plures annos intercessisse. Octo fuisse censet Baronius ad ann. 61. num. 2., qui, ut diximus de S. Petro, Martyrium utriusque consignat anno Christi 69. Alii, qui ejus cum Petro Martyrium anno 66. contigisse volunt, solos quinque assignant intercurrisse. Alii tandem maximè ex Antiquis, plures, adeò ut sicut supra dixi, ubi certò figam pedem me lateat. Videantur quæ dixi de S. Petro §. 14. num. 9. Tota difficultas, ut puto, ex hoc pendet, an Petrus & Paulus Martyrium passi sint, antequam Nero iret in Achajam, an verò post ejus reditum Romam. Qui enim putant primum, Apostolorum Martyrium anno Christi 66. Nervâ & Vestino Consulibus accidisse putant, ut Pagius, Tilmontius, Calmet, aliique. Qui verò existimant secundum, ut Baronius, Alexander &c. volunt, eos occisos fuisse Fontejo Capitonio & Cajo Julio Rufo Consulibus anno 69., & Neronis Imperii decimo tertio, anno enim sequenti Nero occisus fuit, & hoc probabilius esse, superiùs arbitratus sum.

II. Causæ, quæ ad Paulum ultimo supplicio afficiendum tandem Neronem impulerunt, fuisse creduntur: primò: Prædicatio Evangelii, à qua licèt in vinculis Paulus non cessabat, plures ab Idololatria ducens ad Christum: secundò & fortè præcipuè, quia cùm Paulus feminis, quas ad Fidem adducebat, castè & pudicè vivere suaderet, & inter istas ipsam Neronis Pellicem ad Fidem & castitatem traxisset, quod optimè ei contingere potuit, Nerone in Achajam profecto; Romam reversus Nero, videns se eâ recusante ampliùs abuti non posse, totum furorem in Paulum ut auctorem homo impudicissimus convertens, eum necari jussit. Hanc fuisse causam, asserit Chrysost. L. 1. adversùs Oppugnatores vitæ Monast. dicens: *Cùm autem ut puellæ monita dare desineret, ipsi* (Paulo) *persuadere non posset, necavit tandem.* Tertiò aliqui putant, Martyrio Pauli causam etiam dedisse Simonis Magi interitum, in quo etiam Paulum partem habuisse existimant: Nero enim æquè magicis artibus, ac impudicitiis deditus erat.

III. Pau-

III. Paulus ergo cùm à Petro, quem habebat in passione socium, mutuâ prius salutatione in osculo sancto impartitâ divisus esset, ad supplicii locum rectâ perducitur. Inter eundum quid acciderit, certum non est. In Actis passionis ejus Lino suppositis multa leguntur, quæ tamen apocrypha reputantur. Baronius ad ann. 69. num. 10., ut traditum narrat, Paulum, cùm ad locum pergeret passionis, comitantibus Populorum Turbis innumeris, venissetque ad portam Urbis, habuisse obviàm Matronam nobilissimam Plautillam nomine, Flaviæ Domitillæ Matrem, à Petro baptizatam (ut in Martyrol. Rom. die 20. Maii) Hanc cùm flentem vidisset Apostolus, ab ea velum petiit, quo feriendus gladio de more tegeret oculos. Consuevisse enim etiam Judæos fasciâ velare oculos eorum, qui capite truncandi erant, tradit Josephus de bello Judaico L. 7. cap. 14.; quod illa statim tradidit, postea, ut erat pollicitus, receptura. Locus, ubi hæc facta sunt, dicitur esse propè portam Hostiensem, ob id veteri memoriâ consecratus.

Traditur etiam, dum sic ad Martyrium duceretur, tres milites, qui ex apparitoribus erant, ad Fidem convertisse: quos in Fide constantes idem Nero die 2. Julii gladio percuti jussit. Horum memoria fit eâdem die in Martyrol. Rom. his verbis: *Romæ Passio Sanctorum trium Militum, qui in Martyrio Beati Pauli Apostoli ad Christum conversi, cum eo cælestis gloriæ participes fieri meruerunt*. Agunt de iis etiam Ado, Usuardus, & alii. Eorum nomina (ait Baronius in Notis) ex veteribus Manuscriptis sunt, *Longinus*, *Acestus*, & *Megistus*. Ubi verò ad locum supplicio destinatum, dictum *ad Aquas Salvias*, tertio ab Urbe lapide (alio nomine *Gutta jugiter manans*) Paulus pervenisset, alacri animo, ut diù exoptaverat, jugulum præbuit. In eodem loco alii Martyres vitam pro Christo dedisse feruntur: & præcipuè de S. Zenone & Sociis in Martyrol. Rom. die 8. Julii legitur: *Romæ ad Guttam jugiter manantem Natalis Sanctorum Martyrum Zenonis, & aliorum decem millium ducentorum trium*.

IV. Mirabile est id quod fertur, nimirùm quòd cùm ictu Carnificis Pauli caput truncaretur, non tam sanguinis quàm lactis fluenta è sectis venis effluxerint. Hujus inauditi prodigii mentionem faciunt, non sola Lini Acta, sed Ambrosius serm. 68. in Nat. Apost. his verbis: *De Pauli verò cervice cùm eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis unda quàm sanguinis: & mirum in modum Sanctum Apostolum Baptismi gratiâ in ipsa cæde extitisse splendidum potiùs, quàm cruentum*. Chrysostomus etiam (seu alius sub ejus nomine) serm. de Principibus

bus Apost.: *Qualis locus*, inquit, *tuum, Paule, sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in ejus veste, qui te percussit? Qui quidem sanguis barbaricum illius animum reddidit melle dulciorem, ut ipse unà cum sociis ad Fidem traduceretur, ita affecit?* Quibus etiam prædictorum trium militum conversionem iudicare videtur. Hoc tamen, quod de lacte unà cum sanguine ex Pauli cervice manante dicitur, à Criticis valdè suspectum habetur. Tum quia Acta Lini apocrypha sunt. Tum quia Sermo allatus Ambrosii fœtus dubius est, & sermo Chrysostomi ad spuria amandatur in recentioribus editionibus.

V. Fertur etiam, Caput Sancti Pauli abscissum tres saltus emisisse: undè tres fonticuli statim eruperunt, quorum primus lactis saporem aliqua ex parte reddat; cæteri quamvis à primo haud longè dissiti paulò diversum gustui saporem afferant, quasi venæ in ipso primo fluxu lac dederint: deinde verò sanguinem. Locus frequenti Fidelium visitatur concursu, & *Trium Fontium* dicitur. Sudarium, quod à Plautilla, ut supra, recepit, Martyrio expleto eidem per visum apparens Apostolus postea restituit: illudque esse creditur, quod Constantina Augusta magnâ instantiâ a S. Gregorio Magno ad se mitti postulavit; qui se excusavit, sibi concessum non esse, quòd unà cum Apostoli corpore eodem clauderetur sepulchro, ut patet Lib.4. Epist. 30. ad eam datâ. Corpus verò Pauli, à Lucina clarissima femina Senatoria sublatum, in suo prædio Via Ostiensi honestissimè tumulatum fuit. Hæc ex Baronio ad ann.69. num.13.

VI. S. Clemens Papa 1. Cor. cap.5. dicit, Neronem ipsum Martyrio Pauli fuisse præsentem. Putabat Tyrannus iste, ereptâ Paulo vitâ ruituram Ecclesiam, cujus ipse eximius fuerat architectus. Impiè tamen desipuit: Christus, qui Sanguine suo Ecclesiam fundavit, voluit ut suorum etiam sanguine erigeretur, & Apostolorum præcipuè, quos ad eam toto terrarum Orbe erigendam velut architectos delegarat. *Nullo* (inquit S. Leo serm.8. in Nat. Apost.) *crudelitatis genere destrui potest Sacramento Crucis Christi fundata Religio. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur; & semper Dominicus Ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Unde duo ista præclara Divini seminis germina in quantam sobolem pullularint, Beatorum millia Martyrum protestantur: quæ Apostolicorum æmula triumphorum Urbem nostram purpuratis & longè latèque rutilantibus Populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conferto uno diademate coronarunt.* Quantum autem honoris ex Martyrio ac sepulchro Petri & Pauli Roma-

manæ Urbi accesserit, exaggerat Chrysostomus hom.32.in Epist. ad Rom., præter alios Patres ferè omnes.

VII. An Timotheus passioni Pauli præsens fuerit, scriptum non legi; probabile tamen judico, præsentem fuisse. Cùm enim, ut dixi, Paulus ejus adventum tam enixè sollicitaret 2. ad Timoth. 4. v.8. *Festina ad me venire citò*; non est credibile, Discipulum fidelissimum, ut Magistrum ferè ab omnibus derelictum ante mortem videret, adventum suum distulisse: eò vel maximè quia hoc commodè facere poterat; nam Epistolam eum invitans ante hyemem scripserat cap.4. v.21. *Festina ante hyemem venire*; Paulus autem solùm 29. Junii sequentis anni Martyrium passus est.

VIII. Eodem anno ac eadem die, quo S. Petrus, passus fuit & Paulus, ut ostendi supra cap.1.§.14.num.8., non tamen in eodem loco. Nam Petrus in Vaticani colle, Paulus verò ad *Aquas Salvias* via Ostiensi passus est: nec eodem supplicii genere; nam Petrus, ut ibi dixi, Cruci affixus fuit capite in terram verso; Paulus verò gladio capite truncatus, fortè quia cum esset Civis Romanus minùs ignobili supplicio mulctandus. Estò autem Gregorius Nyssenus instrumentum Martyrii etiam Pauli dicat fuisse Crucem, nisi secundùm metaphoram loquatur, contra omnes Patres sentit.

IX. Qualis fuerit Pauli effigies & statura, si Antiquis fides est, calvus fuit & nasum habens aquilinum: ita eum describit Triephon (apud Lucian. in Philop.) qui Critiam catechumenum instruens ait: *Quando me Galilæus ille convenit, recalvaster, naso aquilo, qui tertium usque ad Cœlum per aerem ingressus est, quæque optima & pulcherrima sunt inde didicit, per aquas nos renovavit* &c.: ubi de Paulo eum loqui ex eo liquet, quòd nemo Apostolorum aut Christianorum raptus fuisse ad tertium Cœlum præter Paulum legatur. Vocat autem Galilæum, quia eo nomine tunc vocabantur Christiani, maximè ab Ethnicis. Staturæ autem fuisse exiguæ colligitur, quia ut ipse dicit, Damasco per murum demissus fuit in sporta seu canistro. Tum quia ut 2. Cor. 10. v. 10. quidam dicebant, *præsentia autem corporis infirma*. Quare congruit id quod de ipso narratur à Nicephoro L.2. cap.37. *Paulus corpore erat parvo, & contracto, atque incurvo, & paululùm inflexo, facie candidâ, annosque plures præseferente, & capite modico. Oculis multa inerat gratia, supercilia deorsùm versùs vergebant, nasus pulchrè inflexus, idemque longior, barba densior, & satis promissa, eaque non minùs, quàm capitis coma canis respersa erat*. Hæc ille. Quæ non aliundè hauserit, quàm ex anti-

antiquis imaginibus de Paulo à coævis efformatis. Refert enim Eusebius L.7. hist. cap.18., se vidisse servatas ad sua tempora imagines Petri, Pauli, & Christi antiquitùs efformatas: *Quippè qui prisci illi absque ullo discrimine cunctos de se benemeritos, Gentili quâdam consuetudine, tanquam Servatores colere hujusmodi honoribus consueverant.*

X. Sancti Pauli vinculis specialis honor quovis tempore delatus fuit. Ea tanti fecit Chrysostomus hom.8. in Epist. ad Ephesios, ut dicat: *Si quis mihi daret totum Cœlum, aut illam Catenam; ego illam præferam. Si quis me apud Superos collocaret cum Angelis, aut cum Paulo vincto, eligerem carcerem & vincula.... Vellem nunc esse in illis locis, in quibus dicuntur manere illa vincula, & meritò Viros illos admirarer propter Christi desiderium. Vellem videre Catenas, quas pertimescunt quidem & horrent Dæmones, reverentur autem Angeli.* His aliisque encomiis vincula Pauli celebrat Chrysostomus. Hinc S. Gregorius L.4. Epist. Ep.30. Constantinæ Augustæ aliquid de corpore Apostoli Pauli pro Ecclesia, quam in honorem ejusdem in Palatio ædificabat, enixè postulanti, postquam se excusavit, non audere è corporibus Apostolorum aliquid detrahere propter terrores, quibus perculsi fuerant, qui hoc attentarunt, respondet, se limaturam ex vinculis S.Pauli ad eam transmissurum, his verbis: *Sed quia Serenissimæ Dominæ tam religiosum desiderium vacuum esse non debet, de Catenis, quas ipse Sanctus Paulus Apostolus in collo & in manibus gestavit, ex quibus multa miracula in Populo demonstrantur, partem aliquam vobis transmittere festinabo, si tamen hanc tollere limando prævaluero. Quia dum frequenter ex catenis eisdem multi venientes benedictionem petunt, ut parvum quid ex limatura accipiant, assistit Sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus ita concitè aliquid de catenis ipsis excutitur, ut mora nulla sit. Quibusdam verò petentibus diù per catenas ipsas ducitur lima, & tamen ut aliquid exinde exeat, non obtinetur.* Hæc S. Gregorius de veneratione, quâ S. Pauli vincula suo tempore habebantur, & de miraculis, quæ Deus in illis operabatur.

Hæc sunt Sancti Pauli Apostoli Gesta, quæ si quis attentâ ac feriâ mente perpenderit, continuum Divinæ Gratiæ portentum, ac pro veritate Religionis Christianæ, quam ipse prædicabat, potissimùm ducere poterit argumentum: si enim à Deo missus non fuisset, nec talia nec tanta agere & pati potuisset. Undè in eo impleta fuit prædictio facta Ananiæ à Domino Act.9. v.15.: *Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus & Regibus & filiis Israel: Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*

CAPUT III.

De S. Andrea Apostolo.

§. I.

Patria, Genus, Vocatio &c.

I. Quæ de S. Andreæ Apostoli Genere, Vocatione, & Apostolatu dici possunt, ferè omnia nobis exhibet Evangelium. Patria ejus fuit Bethsaida Civitas Galilææ: Patrem habuit Jonam seu Joannem, fratrem verò Simonem seu Petrum Apostolum. Hoc totum dicit Joannes cap.1. Quis horum fratrum natu major fuerit, ambigitur, ut observavi cap. 1. §. 1. num.2.; professione ambo Piscatores erant. Andreas erat unus ex Discipulis Joannis Baptistæ. Illum frequenter adibat, horis nempè à piscatione vacuis, non tamen semper cum illo erat. Porrò cùm quâdam die audisset Joannem dicentem, quòd Jesus esset *Agnus Dei*; horum verborum mysterium divinitùs edoctus, ipse cum alio Discipulo, relicto Joanne, Jesum sequi cœpit. Joann. 1. v. 35. &c.: *Altero die iterùm stabat Joannes, & ex Discipulis ejus duo. Et respiciens Jesum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo Discipuli loquentem, & secuti sunt Jesum. Conversus autem Jesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quem quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi (quod dicitur interpretatum Magister) ubi habitas? Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt, ubi maneret; & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant à Joanne, & secuti fuerant eum.* Hæc initia Apostolatus Andreæ. Qui, ut prosequitur Joannes v. 41., invento fratri suo Simoni dicit: *Invenimus Messiam (quod est interpretatum Christus) & adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus dixit: Tu es Simon filius Jona: Tu vocaberis Cephas, quòd interpretatur Petrus*. Sed de Petro egi supra cap.1. §. 2.

II. Non sic tamen Andreas cum Socio accesserunt modò ad Jesum, ut cum eo indivisi permanerent, sed ut scirent, ubi habitaret; ideòque apud illum steterunt unâ die, & fortè etiam nocte, ut sentit Augustinus tract.7. in Joann. & postea recesserunt: *Modò ergo* (inquit S. Doctor) *quòd illum sequuntur isti duo, non quasi non recessuri sequuntur, sed videre voluerunt, ubi habitaret.... Ostendit eis ille ubi maneret, & fuerunt cum illo. Quàm bea-*

beatum diem duxerunt, quàm beatam noctem? Quis est qui nobis dicat, quæ audierint illi à Domino? Ædificemus & nosmetipsi in corde nostro, & faciamus domum, quò veniat ille, & doceat nos, colloquatur nobis.

III. Quis autem fuerit alter Discipulus Joannis, qui cum Andrea accessit ad Jesum, Evangelista non dicit. Hinc Chrysostomus homil. 18., aliàs 17. in Joann.: *Cur ergo*, inquit, *alterius nomen non profert? Quidam dicunt, eum qui hoc scripsit, ipsum esse qui sequutus est: Alii contra, quia ille non ex conspicuis erat, nihil præter necessaria sibi dicendum esse putasse.* Idem dicit S. Thomas in cap. 1. Joann. Lect. 15., his verbis: *Et hujus quidem* (Andreæ) *nomen describitur, ad ostendendum Andreæ privilegium, quòd insignis fuerit. Alterius enim nomen tacetur: aut quia ille alius fuit Joannes Evangelista, cujus consuetudo est in suo Evangelio, cum de eo agitur, nomen suum non exprimere propter humilitatem: aut secundùm Chrysostomum non fuit aliquis insignis, nec fecit aliquod magnum; undè non fuisset utilitas nomen ejus ponere. Sic enim & Lucas* (Lucæ 10.) *nomina septuaginta duorum Discipulorum, quos Dominus binos misit ante faciem suam, non posuit, quia non erant solemnes personæ & insignes, sicut Apostoli fuerunt. Aut secundùm Alcuinum ille Discipulus fuit Philippus. Et hoc patet: quia statim postquam Evangelista prosecutus est de Andrea, prosequitur de Philippo dicens: In crastinum autem voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum* &c.

IV. Ex dictis primus omnium, qui ad Christum factus ejus Discipulus accessit, Andreas fuit. Undè S. Gaudentius serm. 17. ubi dixit, primum & Angelum & Prophetam & Apostolum fuisse Joannem Baptistam, *qui missus à Deo est, destinatus enim nuncupatur Apostolus;* subdit: *Post hunc habemus Andream beatissimum, primum Joannis ipsius Discipulum, deinde Salvatoris, quem priorem Christus Apostolum scribitur elegisse.* Andreas ergo, ut supra dixi, post moram unà cum Socio apud Jesum factam, inveniens Simonem fratrem adduxit eum ad Jesum: cum eo tamen non plus unâ die manentes, ad propria idest ad piscationem reversi sunt. Eorum exemplo & verbo dicentium se invenisse Messiam, etiam Philippum, qui pariter è vico Bethsaidæ erat, Christi sequelæ se tradidisse, putat Chrysostomus hom. 20., aliàs 19. in Joannem; & hinc admiratur potentiam Jesu, qui nullis adhuc editis signis, è Galilæa primos ad se attraxerit: *Undè nec Propheta prodibat, neque aliquid boni exibat. Rustica quippè Gens erat, agrestis, aspera.* Andream, Petrum, & Philippum dixisse Nathanaeli Joan. 1. v. 45. „Quem scripsit Moyses

 in

in Lege & Prophetis, invenimus Jesum Filium Joseph à Nazareth,, censet S. Augustinus L.12. contra Faustum cap.44. En ex Andrea Petrum, Philippum, & Nathanaelem Christo acquisitos. Quia tamen nemo illorum adhuc fixè & permanenter ei se mancipaverat, putat Epiphanius hæres. 51., neminem horum nuptiis Canæ cum Christo adfuisse, quamvis oppositum senserint alii, ut suo loco dixi.

V. Circa finem ejusdem anni 30., ut ex Matth 4. v.18. Marci 1.v.16., & Lucæ 5. v.2., præteriens Jesus juxta mare Galilææ, vidit Andream unà cum Petro piscantem, & eos vocavit; promittens, se eos facturum piscatores hominum, qui relictis retibus & navi ei deinceps immobiliter adhæsere. Sequenti anno 31., post peractum Jerosolymis Pascha, reversus Jesus in Galilæam, duodecim elegit, quos Apostolos nominavit, inter quos primus recensetur Petrus, secundus Andreas Matth. 10. v.2., & Lucæ 6. v.14. Anno 32. ineunte, cùm Jesus in desertum secessisset, eumque quinquies mille homines comitati fuissent, & à Discipulis suis postularet, quomodò tantam multitudinem se triduò sustinentem pascere posset (Joann.6. v.8.) Andreas indicavit ei puerum habentem quinque panes ordeaceos & duos pisces. Anno etiam 33. paucis ante Passionem diebus (Joann.12. v.22.) cùm quidam Gentiles, qui ascenderant Jerosolymam, ut adorarent in die Festo, desiderarent videre Jesum, accesserunt ad Philippum; Philippus autem dixit Andreæ, & ambo dixerunt Jesu. Et Marci 13.v.3., Andreas unus ex quatuor Apostolis fuit, qui Jesum interrogaverunt de tempore, quo ruina Templi futura erat. Demum post Ascensionem inter Apostolos, in Cœnaculo Adventum Spiritus Sancti expectantes, Act.1. v. 13. Andreas recensetur. Hæc sunt, quæ de Andrea, præter ea, quæ ipsi cum cæteris Apostolis sunt communia, specialiter in Sacra Scriptura habemus. Reliqua ex historiis decerpemus.

§. II.

S. Andreæ Prædicatio, Martyrium, Acta &c.

I. VArietas, quâ de Actis Prædicationis S. Andreæ Antiqui locuti sunt, ea non satis explorata reliquit. Factâ inter Apostolos totius Orbis distributione, quò quisque Evangelii veritatem deferret, Andreæ contigisse Scythiam, sentit Origenes L.5. in Genes., his verbis: *Cùm Sancti Apostoli & Disci-*

ſcipuli Salvatoris noſtri per univerſum Orbem diſperſi eſſent, Thomas quidem, ut à Majoribus traditum accepimus, Parthiam ſortitus eſt, Andreas verò Scythiam. Quod ex eodem Origene narrat Euſebius L.3 hiſt. cap.1.. Addunt alii ex Sophronio de Viris Illuſtr., prædicationem extendiſſe ad Sogdianos, Saccos, & etiam Æthiopes. In Græciam lumen Fidei expandiſſe, ſentit Theodoritus in Pſalm.116.; In Epirum Gregorius Nazianzenus Orat. 25.; & in Achajam S. Hieronymus Epiſt.119. ad Marcellam. Et S. Paulinus carm.24. addit, hunc Piſcatorem, cùm Argos adventaſſet, vanam Philoſophorum eloquentiam confudiſſe, hiſce verbis:

Hic pater Andreas, hic qui piſcator ad Argos
Miſſus, vaniloquas docuit muteſcere linguas:
Qui poſtquam Populos, ruptis erroris iniqui
Retibus, explicuit, traxitque ad retia Chriſti,
Theſſalicas fuſo damnavit ſanguine Patras.

Menologium Baſilii ad diem 30. Novembris Andreæ prædicationem his verbis deſcribit: *Hic germanus magni Apoſtoli Petri frater, poſt Aſcenſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, prædicavit in in tota maritima ora Bithyniæ, Ponti, Thraciæ, & Scythiæ. Deinde magnam Sebaſtopolim luſtravit, quam fluvii duo interſcindunt Pſarus & Phaſis, cujus ſunt accolæ interiores Æthiopes. Poſtremò Patras Achajæ in Peloponeſum migravit.*

II. Philaſtrius cap.88. Bibl.PP. Tom.4. è Ponto in Græciam tranſiiſſe dicit; addens, Synope Civitate Ponti antiquam eſſe Traditionem, Populum illum ab Andrea & Petro Verbum Veritatis hauſiſſe, & adhuc oſtendi Cathedram, ex qua fama eſt, utrumque prædicaſſe, & ſervari imaginem prætenſam S. Andreæ miraculis celebrem. Fundaſſe etiam Eccleſiam Conſtantinopoli, olim Byzantio, ſentiunt Græci in Menologio die 31. Octobris, ibique Stachym Epiſcopum conſtituiſſe: ajunt enim, *Sanctus Apoſtolus Stachys ab Andrea Sanctiſſimo Apoſtolo Epiſcopus Byzantii ordinatur.* Quibus eâdem die conſentit Martyrol. Romanum his verbis. *Conſtantinopoli S. Stachys Epiſcopi, qui à Beato Andrea Apoſtolo primus ejuſdem Civitatis Epiſcopus ordinatus eſt.* Idem ſentit Pſeudo-Hippolytus in L.72. Diſcip., ex quo Dorothæus in Synopſi. De hoc Nicephorus Callixtus L.2. hiſt. cap.39. dicit, S. Andream, cùm prædicaſſet in Cappadocia, Galatia, & Bithynia, & ſubindè circumiſſet Pontum Euxinum ex parte Meridionali, tandem veniſſe Byzantium, ibique aliquandiù prædicaſſe. Sed cùm vid ſſet, tyrannum Zeuxippen ejus vitæ inſidiari, in locum vicinum ſe tranſtuliſſe, ubi biennio

mo-

moratus fundavit Ecclesiam, & Stachym Byzantii Episcopum reliquit, ac deinde Synopem se recepit.

III. Hæc tamen historia de adventu S. Andreæ Byzantium suspecta redditur. Tum quia antiqui Græci, qui Sedem Constantinopolitanam extollere adeò conati sunt, de hac prærogativa nihil unquam dixere, alioquin non prætermissuri, si vera fuisset. Tum quia Nicolaus I. acriter tenet, Ecclesiam Constantinopolitanam à nemine Apostolorum fundatam fuisse. Baronius ad ann. 44. n. 12. hoc esse falsum reputat, alioquin Byzantium prima Sedes ejus Provinciæ fuisset; quod tamen falsum esse constat, quia prima Sedes erat Heraclea: undè Gelasius Papa ad Episcopos Dardaniæ, agens adversùs Acacium, *Cujus*, inquit, *Sedis Episcopus? Cujus Metropolitanæ Civitatis Antistes? Nonne Parochiæ Heraclensis Ecclesiæ?* Additque, quòd si Byzantium ab aliquo Apostolorum Episcopum accepisset, à Petro potiùs accepisse dici deberet; id enim eruitur ex Agapeti Papæ Litteris ad Mennam à se ordinatum Episcopum Constantinopolitanum, quæ Litteræ in V. Synodo Act. 2. recitatæ fuerunt, in quibus hæc leguntur: *Et hoc dignitati suæ* (Mennæ) *addere credimus, quòd à temporibus Petri Apostoli nullum alium unquam Orientalis Ecclesia suscepit Episcopum manibus nostræ Sedis ordinatum. Et forsitan ad demonstrationem laudis ipsius, vel ad destructionem inimicorum instans res tanta provenit, ut illis ipse similis esse videatur, quos in his quandoque partibus Apostolorum primi electio ordinavit.* Hæc Agapetus. Verùm hoc testimonium cùm loquatur in generali de Episcopis Orientis, non determinatè de Episcopatu Constantinopolitano, non concludit, hunc à S. Petro institutum primò fuisse, sed potiùs alios Orientis Episcopatus Ponti & Bithyniæ, ubi S. Petrus prædicavit. Quidquid autem sit: cùm de Episcopatu Byzantii, ab Andrea vel alio ex Apostolis instituto, nemo probatæ fidei ante Nicephorum sit locutus, res incerta est.

IV. Prædicationem suam Patris in Achaja S. Andream Martyrio coronasse (etsi de circumstantiis aliqui dubitent) puto non negabitur. Sic enim habetur in Martyrol. Rom. 30. Nov. *Apud Patras Achajæ Natalis S. Andreæ Apostoli, qui in Thracia & Scythia Christi Evangelium prædicavit. Is ab Ægea Proconsule comprehensus, primò in carcere clausus est, deinde gravissimè cæsus, ad ultimum in Cruce suspensus, in ea Populum docens biduò supervixit: & rogato Domino, nec eum sineret de Cruce deponi, circumdatus magno splendore de Cælo, ascendente postmodum lumine, emisit Spiritum.* Græci etiam in Menol. Basilii ad eamdem

dem diem ajunt: *Postremò Patras Achajæ in Peloponesum migravit, ubi ab Ægea Proconsule in Crucem sublatus est, atque ita mortem obiit.*

V. De S. Andreæ Martyrio extant Acta, quorum titulus præfert, ea fuisse scripta à Presbyteris & Diaconibus Achajæ, oculatis testibus eorum quæ narrant, & directa Ecclesiis totius Orbis. Certè si hæc genuina essent, magis antiqua & authentica post Sacras Scripturas monumenta forent, quæ habeat Ecclesia. Verùm rigidiores nostrorum temporum Critici ea vel tanquam spuria rejiciunt, vel ut suspecta habent. Ea rejiciunt Heterodoxi moderni, quia veritatem, & realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, quam ipsi negant, nimis apertè testantur. In eis enim S. Andreas sic alloquitur Ægeam Proconsulem: *Ego Omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie, non Taurorum carnes, nec Hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in Altari, cujus carnem, posteaquam omnis Populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat ac vivus.* Scio, hoc monumento nos non egere ad hoc Catholicum dogma adstruendum, quod Scriptura & Traditio mirâ consensione confirmant: quia tamen veritatis hostes ad vivum ferit, ideò illud fide spoliare nituntur.

VI. Suspectum & dubium habent etiam ex Catholicis severiores Critici quidam: primò, quia non redolet illius primi seculi simplicitatem: secundò, quia in eo Trium Divinarum Personarum, ipsa Trinitatis, Consubstantialitatis voce exprimitur confessio his verbis: *Hoc esse Unigenitum Filium, quod est & ille qui genuit*: quâ phrasi contra Arianos non dimicarunt Patres: tertiò, quia ante octavum seculum nemo Patrum horum Actorum meminit: quartò, quia S. Andreæ Acta plures Pontifices & Patres ut apocrypha respuerunt: quintò, quia ex eis non satis apparet quomodò S. Andreas ante Proconsulem steterit, an vocatus, an spontè se Martyrio offerens. Et insuper quomodò S. Andreas noluerit è Cruce deponi, quasi suæ necis ipse auctor fuerit. Demum incredibile est quod ajunt, universam Achajam in Ægeæ mortem conspirasse, cùm eo tempore major Populi pars in Christianos desæviret. His aliisque, rigidioribus Criticis hæc Acta suspecta redduntur.

VII. Nihilominus ad ea tanquam genuina & sincera tuenda cum Natali Alexandro hist. seculi 1. cap. 12. art. 10. moveor auctoritate Patrum, & Auctorum Ecclesiasticorum, qui ab octavo seculo ea laudarunt. Inter quos primi occurrunt Etherius Uxamensis Episcopus, & Beatus Presbyter, qui anno 788. contra Eli-

Elipandi errorem scripsere. Ita enim habent Lib. 1. pag. 525. in Bibl. PP. Parisiensi Tom. 4. *Iste* (Christus) *est Agnus immaculatus, qui quotidie, ut Beatus Andreas ait, in Altari Crucis sacrificatur: cujus carnes posteaquam omnis Populus credentium manducaverit, & ejus Sanguinem biberit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat ac vivus*. Idem sub finem seculi 9. sensit Remigius Monachus Antissiodorensis in p. 21., ubi de Sacramento Eucharistiæ: *Quamvis*, inquit, *hoc Sacramentum à pluribus accipiatur, non tamen, ut videtur, in partes est divisum, sed totum in singulis est indivisum, Andrea Apostolo sit testante: Agnus quamquam sacrificatus est, integer perseverat ac vivus*.

Succedentibus seculis eadem Acta in auctoritatem habuerunt Petrus Damiani serm. 2. in Natali S. Andreæ; Lantfrancus Cantuariensis L. de Corp. & Sanguine Domini; S. Bernardus Abbas, qui in sermonibus, quos habuit de S. Andrea, plura ex dictis Actis refert, ut legenti constabit; Ivo Carnotensis, qui serm. de Convenientia Veteris & Novi Sacrificii: *Ecce*, inquit, *ad memoriam veniunt verba B. Andreæ Apostoli, quibus asserit, & in Cælis esse Corpus Domini, & de Altari posse sumi Corpus Domini, cujus carnes cùm sint comestæ* &c. Sed hoc me magis movet, quòd Ecclesia totum ferè de S. Andrea Officium ex præfatis Actis legit. Num ergo tot Patres qui per octingentos annos ea Acta susceperunt, Ecclesiam ipsam, quæ eos suâ auctoritate probat, deseram, ut Hæreticorum cavillis & quorumdam Recentiorum conjecturis subscribam?

VIII. Nec ea quæ opponunt me à sententia deterrent. Non primum; nam undè colligunt, præfata Acta styli illius seculi simplicitatem non redolere? An quia de Sacramento Eucharistiæ & reali Corporis Christi in eo præsentia apertis verbis loquuntur? Hoc dicent Heterodoxi. Sed numquid de hoc apertè etiam Scriptura non loquitur, ut suo loco contra ipsos demonstramus? Non secundum, nunquid enim Consubstantialitatem sui cum Patre præcipuè non expressit Christus Joann. 10. v. 30., cùm ait: *Ego & Pater unum sumus*. Et v. 38. *Pater in me est, & ego in Patre*. Trinitatem verò Matth. 28. v. 19., cùm ait, *baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*? Non tertium; quia argumentum est merè negativum, fortè enim inter persecutiones Acta illa in aliquibus Ecclesiis latuerant, ut eorum notitia nisi in octavo seculo non apparuerit; neque credibile est, Patres, quibus primò innotuerunt, & qui eis contra Hæreticos usi sunt, hoc fecisse, nisi de eorum veritate certi essent; nec subsequentium seculorum, imò nec Eccle-
sia

fia ea Acta acceptasset, nisi ea legitima esse agnovissent.

Non quartum; quia Acta S. Andreæ, quæ Pontifices & Patres antiqui inter apocrypha rejecerunt, non sunt hæc, quæ à Presbyteris Achajæ de ejus Martyrio scripta sunt, sed alia, quæ ab Hæreticis exarata vel falsò supposita circumferebantur. Talia sunt, quæ Innocentius I. & Gelasius I. apocrypha declararunt, nimirùm quæ à Noxocharide & Leonide Philosophis conscripta sunt, ut Innocentius Epist.3. ad Exuperium testatur cap.7.: talia quæ Philastrius hæresi 88. reprobat. Non enim erant Acta Passionis S. Andreæ, sed Acta eorum, quæ in itinere à Ponto in Græciam fecerat, in quibus nulla passionis ejus mentio, & quibus Manichæi ad suos errores abutebantur, & aliqua ridicula tanquam prodigia inseruerant, nimirùm ut pecudes & canes & bestiæ loquerentur, similesque esse animas hominum animabus pecudum, ut ibi dicit Philastrius. Nihil autem horum Acta, quæ defendimus, indicant. Talia sunt etiam, quæ S. Augustinus (seu ut alii volunt Evodius) L. de Fide contra Manichæos cap.38. explodit. Eorum enim auctor, ut ibi, fuerat quidam Leucius, qui plura indigna S. Andrea, & Manichæis faventia in eis supposuerat, de quibus nec vola in Actis passionis ejus à Presbyteris Achajæ scriptis reperitur. Acta ergo reprobata non sunt Acta passionis S. Andreæ, de quibus agimus.

Neque quintum; nam Acta dicunt, quòd Ægeam Proconsulem Prædicationi Evangelicæ resistentem Andreas liberrimè increpavit, cùmque renueret sacrificare Idolis, dicens, se quotidie sacrificare uni Deo Agnum in Altari, qui integer perseverat ac vivus, propterea comprehensus, in carcere detrusus fuit. Quid hic contra Apostolicum Ministerium, quo Matth. 10. liberè loqui præscribitur coram Regibus & Præsidibus, & tradi propter nomen Jesu? Minùs movet quòd Acta præfata dicant, S. Andream in Cruce positum rogasse, ne à Cruce dimitteretur: non est enim sibi auctor mortis qui vitam pro Christo dare peroptat, & positus in supplicio ab eo tolli recusat, & descendere renuit, cùm Christus ipse, cujus imitator voluit esse Andreas, è Cruce descendere noluerit.

Minùs obest quod ultimò adjicitur de morte Ægeæ Proconsulis. Quid enim repugnat, quòd Populus valdè Andreæ prædicationi addictus, & ex magna parte Christi Fidem amplexus, videns crudelitatem in Apostolum, in ejus necem conspiraverit? Uno verbo hæ Criticorum ratiunculæ non me movent, ut à tot seculorum sententia recedam, & non sentiam tanquam

probabilius, Acta passionis S. Andreæ, prout ad nos devenerunt, saltem quantum ad substantiam esse admittenda.

IX. Circa genus supplicii, quo S. Andreas affectus fuit, conveniunt ferè omnes fuisse Crucem. Circa modum & qualitatem Crucis discordes sunt. De modo, volunt aliqui fuisse clavis Cruci affixum, quia sic mos erat crucifigere; & capite in terram verso sensisse visi sunt antiqui Græci. Probabilius tamen creditur fuisse Cruci funibus alligatum, & capite in Cœlum erecto. Ita referunt Acta. Cùm enim biduò manserit in Cruce docens Populum, id certè contingere non potuisset, si clavis confixus fuisset, & capite in terram verso. Hunc singularem modum excogitavit Ægeæ crudelitas, ut diutiùs pateretur. De qualitate Crucis; S. Petrus Chrysologus serm. 133. censet fuisse alligatum arbori, quam Pseudo-Ippolytus dicit fuisse olivæ, ut duobus ramis arboris sursùm erectis brachia Apostoli alligarentur, & reliquum corporis a recto arboris penderet hanc figuram Y referendo, ex quo fortè Pictores S. Andreæ Crucem sub forma X pingendi morem sumsere. Alii autem volunt Andreæ Crucem fuisse figuræ Crucis Christi. Ferunt, Massiliæ apud S. Victorem adhuc asservari Crucem, in qua passus est S. Andreas ejusdem prorsùs figuræ, quâ est Crux Christi.

X. Tempus passionis S. Andreæ incertum est. Estò enim omnia Martyrologia Latinorum, & Græcorum Menologia eam diei 30. Novembris consignent, annum tamen non statuunt. Censent proinde aliqui eum passum non fuisse nisi in persecutione Domitiani anno Christi 95.; sub quo emanavit generale Edictum, ut omnes Christiani Idolis sacrificarent. Volunt enim, ab anno 67. Neronem concessisse Achajæ libertatem, & hanc innovatam fuisse à Vespasiano, qui denuò Achajam erexit in Provinciam, & in ea Magistratus stabilivit: undè inferunt, ab ea quam excitavit Nero usque ad illam, quam renovavit Domitianus anno 95., nullam in Christianos sæviisse persecutionem ab Imperatoribus excitatam: aliàs oporteret dicere, Andream jussu Magistratus Achajæ, non Proconsulis, fuisse morti addictum, quod est contra hactenùs dicta: præter quàm quòd certum non est, Magistratus in Coloniis habuisse damnandi ad mortem potestatem.

Alii ergo probabiliùs censent, nihil obstare, quin Andreas sub persecutione Neronis eodem anno, quo Petrus & Paulus, passus sit, itaut Petrus & Paulus passi sint die 29. Junii. Andreas verò die 30. Novembris. Ita hanc opinionem videntur inclinare Baronius ad ann. 69. num. 54., & Tilmontius de S. Andrea No-

Nota 3. Baronius tamen, ut dixi, Martyrium Petri & Pauli refert ad ann.*69.*, Tilmontius verò ad ann.*66.*; cùm ex nuper dictis supponat, anno *67.* concessam fuisse Provinciæ Achajæ à Nerone libertatem. Sed laboramus in incertis.

XI. S. Andreæ corpus è Cruce sublatum sepultum Patris fuisse, curante Maximillâ ab Apostolo ad Fidem conversâ, fertur. Hanc fuisse Ægeæ Proconsulis uxorem tradunt aliquj, quæ cùm post susceptam Fidem Viro suo conjugaliter misceri renueret, iratus Ægeas, Apostolum, cujus suasione eam hoc detrectare existimavit, Cruci addixit. Sed hoc falsò asseritur. Tum quia Apostoli lenocinia quidem prohibebant, sed matrimonia non dissolvebant. Tum Acta præfata dicunt, Ægæam eum unicè quia Idolis nollet sacrificare, morti tradidisse. Undè hoc non ex Actis à Presbyteris Achajæ conscriptis, sed potiùs ex iis, quæ Leucius confixit crediderim emanasse. De eis enim S. Augustinus (sive Evodius) L. de Fide contra Manichæos hæc habet: *Attendite in actibus Leucii, quos sub nomine Apostolorum scribit, qualia sint, quæ accipitis de Maximilla uxore Ægetis: quæ cùm non vellet Marito debitum reddere, cùm Apostolus dixerit:* „ Uxori Vir debitum reddat, & similiter Uxor Viro „: *Illa supposuerit Marito suo ancillam suam Eucliam nomine, exornans eam, sicut ibi scriptum est, adversariis lenociniis & fucationibus, & eam nocte pro se vicariam supponens, ut ille nesciens, cum ea tanquam cum uxore concumberet.* Hæc & alia indigna ibi narrantur, meritò explodenda.

XII. S. Andreæ Corpus quamvis apud Patras primò sepultum, fuit tamen postea Constantinopolim translatum unà cum Corpore S. Lucæ Evangelistæ, & Timothei Beati Pauli Discipuli. De tempore quo facta fuit hæc translatio controvertitur. Quidam enim volunt, eam Constantino Magno imperante factam esse anno *336.*, qui in honorem Apostolorum Ecclesiam ibi ædificaverat, atque in ea sibi sepulchrum condiderat: *Quò scilicet precationum, quæ in honorem Apostolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret. Cùm igitur duodecim illic capsas, quasi sacras quasdam columnas, in honorem ac memoriam Apostolici Collegii erexisset, suam ipsius arcam in medio constituit, quæ senas utrinque Apostolorum capsas dispositas habebat. Atque id in eo loco, ubi Corpus ipsius post mortem decenter deponendum esset, solertissimè providit.* Ita Eusebius L.4. de Vita Constantini cap.*60.*: quibus addit Socrates L.*1.* hist. cap.*40.*, quòd eam Ecclesiam *eo consilio ædificaverat, ut Imperatores & Pontifices ab Apostolorum Reliquiis haud procul abessent.* Hoc ergo votum suum implere

cœpisse putant, Andreæ Corpus ex Achaja illuc transferendo. Favet S. Paulinus Poemate 26., modò 17. his verbis.

Nam Constantinus proprii dum conderet Urbem
Nominis, & primus Romano in nomine Regum
Christicolam gereret, Divinum mente recepit
Consilium, ut quoniam Romæ mœnibus urbis
Æmula magnificis strueret tunc mœnia cœptis,
His quoque Romuleam sequeretur dotibus Urbem,
Ut sua Apostolicis muniret mœnia lætus
Corporibus: tunc Andream devexit Achivis
Timotheumque Asiâ &c.

S. Hieronymus etiam L. contra Vigilantium ait: *Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui Sanctas Reliquias Andreæ, & Lucæ, & Timothei transtulit Constantinopolim?* Sibi tamen in hoc constantem non fuisse Hieronymum infra videbimus. Favet Menologium Basilii die 30. Novembris, ubi de Reliquiis Sancti Andreæ Patris in Achaja primò depositis, ait: *Postea verò Constantini Imperatoris jussu à Sancto Artemio unà cum Sanctis Apostolis Luca & Timotheo Constantinopolim translatæ sub Sacra Apostolorum Mensa conditæ fuerunt, gratiam curationum emittentes.*

XIII. Alii verò contendunt, Translationem hanc factam fuisse sub Constantio filio, anno Imperii ejus vigesimo, Christi verò 358. vel 359., & afferunt pro se S. Hieronymum. Tum L. de Scrip. Eccles. in Luca, ubi ait: *Sepultus est Constantinopoli, ad quam Urbem vigesimo Constantii anno ossa ejus cum Reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt.* Tum in additione ad Chronicon Eusebii anno 20. ejusdem Imp.: *Constantio*, inquit, *Romam ingresso, ossa Andreæ Apostoli & Lucæ Evangelistæ à Constantinopolitanis miro favore suscepta.* Mirum sanè, quòd in uno Hieronymo tanta sit discrepantia. Cæterùm sub Constantio, non sub Constantino hanc translationem factam esse asserit Theodorus Lector L. 2. fragment., ubi de Constantio ait: *Hujus temporibus allatæ sunt Constantinopolim Reliquiæ Sanctorum Apostolorum Timothei ante diem octavum Kalendas Julias, Andreæ autem & Lucæ ante diem quintum Nonas Martias, & depositæ sunt in magna Ecclesia Sanctorum Martyrum.* Idem refertur in Fastis, quos nomine Idatii edidit Jacobus Sirmondus. In Chronico etiam Alexandrino. Id etiam eruitur ex Artemii Martyris Actis, quæ recitant Metaphrastes die 28. Octobris, & Nicephorus hist. L. 10. cap. 11., ubi legitur, Artemium augustali præfecturâ nobilitatum ejusmodi translationis negotium sibi

sibi ut viro religiosissimo traditum à Constantio curasse.

Crediderim ergo, Constantinum hoc quidem in animo habuisse, sed vicinâ morte præventum implere non potuisse, sed à Constantio filio fuisse postea impletum: undè Eusebius, qui in Vita Constantini omnia ejus religiositatis acta percenset, de hac translatione mentionem non facit.

XIV. S. Gregorius Magnus, referente Baronio ad an.581. num.8. & 9., erexit Romæ Monasterium (in quo aliquandiù ipse sub Monachi professione vixit) sub titulo S. Andreæ, de quo loquitur L.8. Epist. Ep. 11., & L. 11. Epist.44. Varia miracula protectione ejusdem Apostoli ibi edita narrat, & præcipuè quòd quibusdam Monachis è dicto Monasterio abscedere tentantibus, sub specie Senis apparuit, eosque à fuga deterruit. Refert etiam idem Baronius in Notis Martyr. ad diem 9. Maii ex Codice antiquo Bibl. Vatic. plut.3. num.153., quòd cùm idem S. Gregorius adhuc Diaconus missus fuisset Legatus Constantinopolim ad Tiberium Imperatorem, ab eo obtinuit brachium S. Andreæ Apostoli, & brachium S. Lucæ Evangelistæ, quæ secum detulit Romam, & anno secundo sui Pontificatus collocavit in Ecclesia S. Andreæ ad Clivum Scauri Romæ existente, ubi brachium S. Andreæ adhuc asservatur.

XV. Martyrologium Rom. die 9. Maji supponit, Corpus B. Andreæ Constantinopoli Amalphim translatum his verbis: *Corpus autem S. Andreæ longo post tempore Amalphim delatum, ibi pio fidelium concursu honoratur, ex cujus sepulchro liquor ad angores curandos jugiter manat*. Ex Archivis Amalphitanæ Ecclesiæ habetur, fuisse delatum à Cardinali Petro de Capua patriâ Amalphitano, dum à legatione Constantinopolis, paulò post à Gallis captæ, reverteretur, ac subindè ab eodem 8. Maji 1210. Cathedrali Ecclesiæ Amalphi donatum, & in Confessione Ecclesiæ inferioris ab ipso erectæ repositum, ubi adhuc asservatur. Addit Baronius in Notis ad 9.Maji, Caput ejusdem Apostoli ad Ædes Sacras S.Petri ejus germani in Vaticano à Pio II. fuisse Romam delatum. Cujus rei gestæ memoriam tunc editam in manuscripto Codice se legisse dicit; sed undè Pius hoc sacrum Caput detulerit, omittit.



CA-

CAPUT IV.

De S. Jacobo Majore.

§. I.

Patria, Apostolatus, Martyrium.

I. S. JAcobus, qui consuevit dici *Major*, ut distinguatur à S. Jacobo Minore Episcopo Jerosolymitano, fratrem habuit S. Joannem Apostolum & Evangelistam. Creditur S. Jacobus dictus *Major*, quia major natu Jacobo Minori, sicut etiam fuit major natu Joanne fratre, qui inter Apostolos junior existimatur. Jacobus ergo Major & Joannes fratres Patrem habuere Zebedæum, quem ut Christum sequerentur reliquerunt, & Salomen Matrem, quam inter mulieres, quæ Christum de more comitabantur, eique dum esset in Galilæa ministrabant, & emerunt aromata, ut demortui corpus ungerent, refert Marcus cap.15. v.41., & cap.16. v.1. Ista fuit, quæ materno, sed humano, amore ducta, ut habetur Matth.20.v.20., accessit ad Jesum cum filiis suis petens, ut unum eorum sedere faceret ad dexteram, alterum ad sinistram in Regno suo. Quam petitionem, utpotè immoderatam & ex vana ambitione promotam, Christus rejecit. Hujus tamen errorem excusat Ambrosius L.5. de Fide cap.2. dicens: *Etsi error, pietatis tamen error est. Nesciunt enim materna viscera patientiam* &c. Et infra: *Considerate etiam Feminam, hoc est, sexum fragiliorem, quem Dominus propriâ nondum confirmaverat Passione. Considerate, inquam, Evæ illius primæ mulieris hæredem, transfugâ in omnes immoderatæ cupiditatis successione labentem, quam Dominus adhuc proprio Sanguine non redemerat.... Hæreditario igitur mulier delinquebat errore.* Aliunde tamen hujus Salome erga Christum amorem Evangelium commendat. Una enim ex illis fuit, quæ eum nec in passione, nec in morte, nec post mortem, nec in sepulchro positum deseruerunt. Una ex illis fuit, quæ à Monumento Dominico non recedens meruit,ut Christi, postquam resurrexit, apparitione in Fide confirmaretur, in qua usque ad mortem perseverans Jerosolymis sepulta fuit. Ejus memoria fit in Martyrol. Rom.22. Octobris, ubi appellatur *Maria Salome*. Distinguunt enim quidam tres Marias, Mariam Matrem Jesu (aut Mariam Magdalenam) Mariam Jacobi, & Mariam Salome: sed

sed de hoc fides est solùm apud apocryphas Scripturas. Alii Salomen filiam S. Josepho ex priori conjuge tribuunt. Ita Græci recentiores ad diem 8. Maji in Menæis. Quod tamen falsum esse alibi ostendi. Hæc de Salome. De Zebedæo ejus viro nil aliud scimus, nisi quòd Jacobus & Joannes fuerunt ejus filii.

II. Jacobum & Joannem habuisse patriam Bethsaidam Galilææ, ut Petrum & Andream, credimus, similemque cum his sociatos piscatoriam artem exercuisse: simul enim piscantes erant Petrus & Andreas, Jacobus & Joannes, quando Christus eos vocavit Matth. 4. v. 18. & 21., & Lucæ 5. v. 1. & 10.. Jacobum & Joannem fuisse genere Nobiles, putat S. Hieronymus Ep. 16. modò 96. ad Principiam, ait enim: *Unde & Jesus Joannem Evangelistam amabat plurimùm, qui propter generis nobilitatem erat notus Pontifici, & Judæorum insidias non timebat: in tantùm, ut Petrum introduceret in atrium, & staret solus Apostolorum ante Crucem, Matremque Salvatoris in sua reciperet, ut hæreditatem Virginis Domini Virginem Matrem filius Virgo susciperet.* Piscationi quidem vacabant, sed ad eam mercenarios adhibebant. Unde Marci 1. cùm Jesus eos vocasset de navi dicitur v. 20.: *Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis secuti sunt eum.* Et propterea Origenes L. 1. in Celsum aliquantùm conditione extollit supra Petrum & Andream.

Nihilominùs Piscatores & ipsi erant, qui & retia propriis manibus lavabant & reficiebant Lucæ 5. v. 2., & Matth. 4. v. 21., & ex navigio tota illorum victus ratio pendebat, ut ait Basilius in Regulis fusioribus Reg. 8. Quare Chrysologus serm. 28. censet, eos fuisse de communi vulgi, absque litteris, absque studio, qui nec legere didicissent, ideòque in eis nec plus nobilitatis, nec scientiæ, nec divitiarum, quàm in Petro & Andrea recognoscit. Et Hilarius L. 2. de Trinitate num. 13. dicit de Joanne fratre, mirabilius quàm mortuos excitasse, fuisse, quòd mysterium generationis Filii Dei Sapientibus Mundi prorsùs ignotum, *Piscator egenus, ignotus, indoctus, manibus lino occupatus, veste uvidâ, pedibus limo oblitus, totus è navi*, adeò feliciter toti Orbi proposuerit.

III. Quoad tempus, quo Jacobus & Joannes Christo se adjunxerunt, censet Epiphanius hæresi 51., tunc fuisse, quando Andreas cum uno ex Discipulis Joannis accessit ad Jesum Joann. 1. Hunc enim unum innominatum vult fuisse vel S. Jacobum, vel S. Joannem, imò utrumque à Christo vocatum ante S. Philippum: quod ex eo arguere se putat, quia in enumeratione Apostolorum Matth. 10. v. 2. & 3. ac Lucæ 6. v. 14. Jacobus

bus & Joannes priores Philippo semper recensentur. Sed, ut supra dixi, incertum est, quis fuerit ille unus, qui cum Andrea accessit ad Christum; imò non pauci censent, fuisse hominem gestis obscurum, de quo nulla ampliùs mentio facta fuerit. Ordo autem, quo numerantur Apostoli, non videtur certò designare ordinem temporis. Nam prior tempore accessit Andreas, & tamen Petrus prior recensetur. Quomodocumque tamen sit, ordo historiæ cogit nos, ut asseramus, quod de Petro & Andrea diximus, nimirùm Jacobum & Joannem non statim ita adhæsisse Christo, quin ad sua, & maximè ad victum ex piscatione quærendum, identidem redirent. Et propterea S. Epiphanius hæresi 51. incertum relinquit, an nuptiis Canæ interfuerint. Tunc ergo solùm totaliter relictis omnibus Christo adhæserunt, quando Matth. 4. v. 22., & Marci 1. v. 20. secuti sunt eum. Ita S. Augustinus L. 2. de Cons. Evang. cap. 17.: *Tunc enim non subductis ad terram navibus tanquam curá redeundi, sed ita eum secuti sunt tanquam vocantem ac jubentem, ut eum sequerentur.* Tunc enim reliquerunt retia, navem, Patrem, mercenarios, nihil sibi reservantes.

IV. Jacobum & Joannem *Boanerges*, sive ut aliqui volunt *Bana-reges*, seu *Boanreges*, idest *Filios tonitrui* Christus appellavit Marci 3. v. 17., ubi postquam dicitur, quòd Christus Simoni imposuit nomen Petrus, additur: *Et Jacobum Zebedæi & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est Filii tonitrui.* Filius autem tonitrui fulmen est, sicut filius pharetræ dicitur sagitta à Jeremia. Hoc autem nomen eis imposuit, quia spiritu nimis fervido & igneo eos dignoverat. Porrò tales esse ostenderunt se, quando quibusdam Samaritanorum Christo hospitium denegantibus Lucæ 9. v. 54.: *Cùm vidissent Discipuli ejus Jacobus & Joannes, dixerunt, Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de Cœlo, & consumat illos?* Ubi Ambrosius in cap. 9. Lucæ: *Et benè*, inquit, *præsumunt, quia ad sermonem suum ignis de Cœlo descenderet, quoniam sunt Filii tonitrui.* Jesus autem, cujus Spiritus erat à vindicta alienus, eos increpavit: undè sequitur v. 55.: *Et conversus increpavit illos, dicens: Nescitis, cujus spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Ubi Ambrosius citato loco ait: *Nec Discipuli peccant, qui legem sequuntur. Sciebant enim, & Phinees reputatum ad justitiam, qui sacrilegos interemerat, & ad preces Eliæ ignem descendisse de Cœlo, ut Prophetæ vindicaretur injuria.* Sed is erat quidem Spiritus Legis, non talis est Spiritus Christi, & ideò illis dicit: *Nescitis, cujus spiritus estis.* Nec tamen in hoc, ut

ut Manichæi putabant, Lex Nova Veteri contraria est: vindicta enim, quam Lex permittebat, fine odio erat; at istam, quam duo Apostoli petebant, odium comitabatur, & ideò reprehenditur. Ita S. Augustinus L. contra Adimantum cap.17.: *Quam vindictam*, inquit, *sine odio nondum Apostoli animo cœperunt, quando irati eis, à quibus non recipiebantur hospitio, quæsiverunt de Domino, utrum vellet, eos petere ignem de Cœlo, sicut Elias fecerat, quo igne homines inhospitales consumerentur. Tunc respondit eis Dominus, dicens, eos nescire, cujus spiritus filii essent, & quòd ipse liberare venisset, non perdere: quoniam illi animo inimico perdere cupiebant eos, quos volebant igne consumi.*

V. Cùm eis loqueretur de Templi ruina Matth.24. v.9., Jacobus & Joannes fratres unà cum Petro & Andrea, quando hæc futura esset, ab eo petierunt. Hos duos fratres Jacobum & Joannem cum Petro voluit testes esse tum suæ Transfigurationis in Monte Matth. 17. v.1., Marci 9.v.1., & Lucæ 9. v.28. Tum suæ agoniæ in horto Gethsemani, Matth.26. v.37., Marci 14. v.33.. Aliquot post Resurrectionem diebus hi duo Fratres cum Petro Thoma & Nathanaele, Joann.21. v.2., ascenderunt navem ut piscarentur; cùmque nihil cepissent, stetit Jesus in littore (non tamen eum cognoverunt) petiitque ab eis, an aliquid pulmentarii haberent, & respondentibus: non: dixit eis Jesus: *Mittite in dexteram navigii rete, & invenietis. Miserunt ergo: & jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.* Tunc dicente Joanne Petro: *Dominus est*: Petrus misit se in mare, reliqui navigio ad terram venerunt trahentes rete piscium: *Et cùm descendissent in terram, viderunt prunas positas & piscem superpositum & panem*, & Jesu eos invitante, quamvis præ timore non auderent, cum eo manducarunt. Ex his apparet, Petrum Jacobum & Joannem speciali prærogativâ inter cæteros Apostolos à Christo distinctos fuisse. Nihilominùs ait Clemens Alexandrinus apud Eusebium L.2. hist. cap. 1. *Post Servatoris Ascensum, Petrum Jacobum & Joannem, quamvis Dominus ipsos cæteris prætulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum cognomine Justum Jerosolymorum Episcopum elegisse.*

VI. De S. Jacobi Majoris Prædicatione Scriptura tacet. Nos ea, quæ circa ipsam apud Historicos controvertuntur, §.sequenti proponemus. Interim quæ de ejus Martyrio Apostolorum Acta cap.12. v.2. indicant, exponemus. Herodes igitur Agrippa Rex Judæorum Magni Herodis filius, volens Judæis contra Fideles, & præcipuè contra Apostolos, Jerosolymis ob-

latrantibus satisfacere, *misit manus ut affligeret quosdam de Ecclesia: occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio*. Hoc compendio mortem S. Jacobi Majoris describit Scriptura. Fortè autem in Jacobum primò apposuit manum Herodes, quia zelo prædicationis hunc magis infestum & odibilem habebant Judæi. Unde sequitur: *Videns autem quia placeret Judæis* &c. Ita Chrysostomus hom. 57. modò 56. in Matth., ubi de Jacobo ait: *Judæis quippè ita acer & vehemens esse videbatur, ut Herodes munus maximum se præbiturum Judæis putaret, si illum occideret*. Et homil. 66. modò 65. *Ab initio enim*, inquit, *magno ferebatur ardore, & missis humanis omnibus, ad tam ineffabile culmen ascendit, ut statim occideretur*. Sicut Joannes frater excelluit in dilectione, ita Jacobus in fortitudine & ardore vitam fundendi pro Christo. Undè cùm Christus ambos interrogasset „ Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? „ promtam illam responsionem: *Possumus*: Jacobo tribuit Chrysost. hom. 57. nuper citata. Sicut ergo Protomartyr inter Fideles fuit Stephanus, sic Protomartyr inter Apostolos Jacobus fuit.

VII. Quid singulare in Jacobi Martyrio, tanquam ex Traditione acceptum, refert ex Clemente Alexandrino Eusebius L. 2. hist. cap. 9. his verbis: *De hoc Jacobo rem prorsùs memoriâ dignam refert Clemens in septimo Institutionum Libro, prout eam à Majoribus acceperat. Ait enim, eum, qui Jacobum judicio obtulerat, cùm illum vidisset Christi Fidem liberè confitentem, commotum Viri constantiâ, se quoque Christianum esse affirmasse. Ambo igitur, inquit, simul ad supplicium ducti sunt. Cùmque inter eundum rogasset Jacobum comes, ut sibi veniam daret, paulisper moratus Jacobus: Pax tibi, inquit, statimque illum osculatus est. Ita simul ambo capite truncati interiere*. An iste, qui conversus ad Christum comitem se fecit Jacobi in Martyrio, fuerit ejus accusator, an verò apparitor seu miles; res est, quæ ab aliquibus in quæstionem vertitur. Fuisse accusatorem censet Valesius in Notis ad dictum cap. Eusebii. Tum quia id exprimere videntur illa verba: *Qui eum judicio obtulit*. Quamvis enim prædicatio Fidei Christi, quæ Jacobo vertebatur in crimen, publicè ab ipso fieret; accusationi tamen locus erat, sive quia oportebat, ut essent aliqui qui reos caperent, & ad Judices damnandos adducerent, sive quia cùm Jacobus fortè se occultasset, ab isto, qui eum ad Agrippam duxerat, detectus fuisset. Tum etiam quia hoc indicant illa verba: *ut sibi veniam daret*. Si enim fuisset purus apparitor aut minister, non erat opus ut veniam postularet: *Miles enim, qui Judici exhibet noxium, cùm imperio Judicis obsequatur, videtur culpâ vacare*. Ita Valesius. Huic

Huic tamen postremo non assentior. Ministri namque subalterni à culpa non eximuntur, quando obediunt Judici præcipienti contraria Legi Dei, & ut agant contra Servos Dei: magis enim obediendum est Deo quàm hominibus, alioquin milites, qui, ut Pilati imperium exequerentur, Christum flagellis cæciderunt, & Cruci affixerunt, omni culpâ vacassent, quod nemo dicet. Sive ergo fuerit accusator, sive purus Minister, peccavit, ideòque conversus ad Christum veniam à Deo & Jacobo petere debuit.

VIII. Tempus, quo Jacobus Martyrium subiit, fuit imperante Claudio: Ita Eusebius L.2. hist. cap.9.: *Eodem tempore, Claudii scilicet Augusti principatu, Herodes Rex aggressus est affligere quosdam ex Ecclesia, & Jacobum Joannis fratrem gladio interfecit*: Anno scilicet secundo sui Imperii, Christi verò 44. Quidam, ut refert Baronius ad annum 44. num.2., putarunt, eum passum fuisse Martyrium secundâ die Azymorum, moti ex aliquorum sententia, quam S. Hieronymus in cap. 43. Ezechielis *audacem* vocant: *Qui ajunt duos hædos immaculatos post Passionem Domini oblatos esse ad Altare Domini* (die secundo) *Jacobum & Stephanum; quorum alter de Apostolorum numero, alter de septem Electis in Ministerium Domini princeps fuit.... Hunc* (Jacobum) *interfecit Herodes, & quasi hædum immaculatum post Passionem Salvatoris in die immolavit secunda.* Ita refert Hieronymus. Diem autem secundam post Passionem Domini secundam Azymorum intelligebant, supponentes primâ die Azymorum Christum fuisse passum. Audiendi tamen non sunt. Estò enim S. Jacobi passio circa vel prope Pascha, quo tempore passus est Christus, contigerit, non tamen post Pascha, aut secundâ die Azimorum. Nam S. Lucas Act.12. v.3. postquam dixit, quòd Herodes *occidit Jacobum fratrem Joannis gladio*, subdit: *Videns autem quia placeret Judæis, apposuit ut apprehenderet & Petrum. Erant autem dies Azymorum.* Cùm ergo, quando Herodes proposuit apprehendere Petrum, essent jam dies Azymorum, & jam occidisset Jacobum; clarum est, hunc ante Pascha occidisse, reservans Petrum occidendum diebus Azymorum completis; unde subditur: *Volens post Pascha producere eum Populo*: nec enim credibile est, Herodem, qui nisi transactis diebus Paschalibus volebat occidere Petrum, intra eosdem dies occidisse Jacobum. Paulò ante Pascha eum occidit. Cùmque anno 44., Judæorum Pascha in diem 2. Aprilis inciderit, fit, ut circa finem Martii Jacobus fuerit Martyrio coronatus. Cur autem aliâ die, & mense S. Jacobi festum Ecclesia celebrat, inferiùs dicam.

IX. S. Jacobum perpetuam servasse Virginitatem æquè ac S. Joannem fratrem ejus, ait S. Epiphanius hæres.58. cap.4.: qui etiam hæres.78. cap.23. asserit, eos, uti & S. Jacobum; nunquam capillos sibi totondisse, nunquam balneis fuisse usos, nunquam carnes, aut pisces comedisse, unam solam tunicam, unum solum pallium lineum gestasse.

§. II.

Prædicatio S. Jacobi in Hispaniis.

I. CUm de S. Jacobi Majoris prædicatione Scriptura nec verbum faciat, imò nec priorum seculorum Traditio aliquid ad nos detulerit, posterioribus seculis locus apertus fuit disceptandi, ad quæ loca prædicationem suam extenderit, & præcipuè an ad Hispaniam; in quo affirmant aliqui, Hispani maximè gloriam hanc suæ Genti asserere conantes. Negant verò alii, & quidem plures præsertim ex Recentioribus.

II. Rationes affirmandi sunt: Primò Auctoritas S. Isidori in Libro de Vita & Morte Sanctorum cap.73., ubi de S. Jacobo scribit: *Hispaniæ atque Occidentalium Locorum Populis Evangelium prædicationis infudit.*

Secundò Breviarium Toletanum à S. Isidoro institutum, in quo sacer Hymnus habetur S. Jacobi, accessum in Hispaniam his verbis attestans.

Magni deinde Filii Tonitrui
Adepti fulgent prece Matris inclytæ
Utrique vitâ culminis insignia:
Regens Joannes dexterâ solus Asiam,
Et lævâ frater positus Hispaniam.

In Breviario etiam Ordinis Prædicatorum sequens Antiphona in primis Vesperis recitatur: *O lux & decus Hispaniæ, Sanctissime Jacobe, qui inter Apostolos primatum tenes, primus eorum Martyrio laureatus* &c.

Tertiò Venerabilis Beda in Collectaneis, agens de divisione Apostolorum, Jacobum hunc in Hispanias fuisse profecturum, testatur.

Quartò Idem refert Turpinus Archiepiscopus Remensis in Libro de Gestis Caroli Magni.

Quintò Callixtus II. Litteris Apostolis hanc Hispaniensem Ecclesiarum Traditionem confirmat.

Sextò S. Julianus Episcopus Toletanus in Comm. in Nahum

hum Prophetam, quos ex manuscripto Codice Biblioth. Bavaricæ edidit Henricus Canisius in verba illa cap.1. *Et nebula pulvis pedum ejus*, nomine pedum Domini Sanctos Apostolos intelligens, ait: *Isti ergo pedes Domini fuerunt, qui eum prædicando per universum Orbem detulerunt. Petrus enim eum Romam, Andreas Achajam, Joannes Asiam, Philippus Galliam, Bartholomæus Parthiam, Simon Ægyptum, Jacobus Hispaniam, Thomas Indiam, Matthæus Æthiopiam, Judas eum retulit Mesopotamiam, Jacobus Alphæi eum retulit Jerosólymam. Quisque suá sorte Christum sparsit sine sorde: Per Paulum verò toto dispergitur Orbe*. Floruit autem S. Julianus cadente septimo seculo; obiit enim anno Christi 691. Si ergo loca, ad quæ dicit cæteros Apostolos detulisse Christum, non vertuntur in dubium; cur negabitur quod dicit de S. Jacobo, qui Christum detulit in Hispaniam?

Septimò Freculphus Lexoviensis Episcopus, qui medio seculo 9. floruit, in Chronico (quod extat in Bibl. PP. Tom.14. pag.1061.) cap.4.: *Jacobus*, inquit, *filius Zebedæi frater Joannis duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione Gentium, scripsit; atque Hispaniæ & Occidentalium Locorum Populis Evangelium prædicavit*.

Octavò idem testatur Walfridus Strabus in Poemate de 12. Apostolis apud Henricum Canisium Tom.6.antiquæ Lectionis, ubi de S. Jacobo ita canit.

Primitus Hispanas convertit dogmate Gentes,
Barbara Divinis convertens dogmata dictis.

Vixit Strabus eodem seculo 9., natione Germanus, Monachus S. Benedicti.

Nonò, suffragatur Notkerus Monachus S. Galli, seculi 10. auctor, in Martyrol. ad diem 25. Julii his verbis: *Hujus Beati Apostoli* (Jacobi) *sacratissima Ossa ad Hispanias translata, & in ultimis earum finibus condita, celeberrimâ illarum Gentium veneratione coluntur: nec immeritò, quia ejus corporali præsentiâ & doctrinâ, atque signorum efficaciâ, iidem Populi ad Christi Fidem conversi referuntur*. Idem testantur Zacharias Chrysopolitanus in præfat. Harmoniæ quatuor Evang., Otho Frisingensis Lib. 3. Chron. cap.15. Vincentius Bellovacensis L.8. Speculi Historialis cap.6. & 7., Martinus Polonus in Chronico ad annum Christi 34., Thomas Cantipratanus L.2. de Apibus cap.25.

Demum hoc probat, inquiunt, immortale monumentum, scilicet Templum S.Mariæ *del Pilar* nuncupatum, Cæsaraugustæ erectum, & B. Virgini à S.Jacobo Apostolo ejusdem B. Virginis adhuc viventis jussu consecratum. Jacobo enim Apostolo in Hi-

Hispanias prædicanti Ipsa Jerosolymis degens, super Columnam ex jaspide sese conspicuam exhibuit, eumque de Templo ibi in sui honorem erigendo monuit. Hoc miraculum omnes Hispani earum rerum Scriptores referunt. Hæc sunt quæ pro adventu & prædicatione S. Jacobi in Hispaniam afferri solent.

III. Rationes verò hoc negandi sunt: primò quia S. Jacobus primus omnium Apostolorum Jerosolymis ab Herode occisus fuit, antequam Apostoli varias in Provincias dividerentur. Hæc enim Apostolorum divisio facta non fuit ante secundam persecutionem ab Herode excitatam, in qua Jacobus occisus fuit. Nam in prima persecutione, qua lapidibus obrutus est Stephanus, Apostoli dispersi non sunt, sed soli Discipuli, ut constat ex Act.8. v.1.: *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, & omnes dispersi sunt per Regiones Judææ & Samariæ, præter Apostolos.*

Confirmatur hoc ex Controversia, quæ seculo 13. mota fuit inter Archiepiscopum Toletanum & Compostellanum de Jure Primatus, quæ in Conc. Lateranensi IV. præsente Innocentio III. agitata fuit. Parere detrectabat Archiepiscopo Toletano Compostellanus, suæ Ecclesiæ antiquitatem & nobilitatem à S. Jacobo accersens, nimirùm quòd Compostellana Ecclesia & sanctissimi illius Apostoli Corpus asservet, & quòd idem Apostolus Hispaniam Fide imbuerit. Contrà in plena Synodo Rodericus Ximenius Archiepiscopus Toletanus, petitâ à Summo Pontifice licentiâ pro causa sua ita locutus fuit: *Si inducat etiam Compostellanus Antistes Divini Verbi prædicationem, & plurimorum conversionem ad Fidem Christi in Hispania per Jacobum Apostolum factam; qui Divinam Paginam noverunt, testimonium perhibeant. Ego tantùm legi, datam ei fuisse potestatem prædicandi in Hispania: sed interim cùm per Judæam & Samariam Divinam Legem seminaret, sub Herode Jerosolymis truncato capite exhalavit Animam, & Domino reddidit. Quomodo ergo ibi prædicavit, quò nondum ingressus est? Aut sine prædicatione, quos obsecro, convertit ad Dominum? Memini benè, in primis me annis accepisse à quibusdam Sanctis Monialibus & religiosis Viduis, paucos admodùm ejus prædicatione ad Fidem conversos esse: in qua cùm tam exiguos progressus effici videret, in Patriam reversus, fato functus est.* Hæc habentur Tom.7. Concil. Harduini ad Concil. Lateranen. IV. pag.82., ubi etiam additur: *Quæ omnia peregit publicè Rodericus Ximenius Romæ in sui Primatus causa, quam obtinuit. Nam Summus Pontifex primatus honorem eidem coram omnibus detulit.* Cùm ergo Archiepiscopus Toletanus adventum S.Ja-

S. Jacobi in Hispaniam, ejus ibi prædicationem tanquam mulierum vanam narrationem coram Generali Concilio, & Romano Pontifice traduxerit, & propterea causam vicerit; maximum argumentum est, rationes à Compostellano allatas, de adventu & prædicatione S. Jacobi in Hispania, à Concilio & Summo Pontifice nihili factas fuisse.

IV. Ex his à Ximenio dictis apparet, quomodò exponendus sit S. Hieronymus, qui in Caput 34. Isaiæ ait: quòd *Spiritus* (Domini) *congregavit eos* (Apostolos) *dederitque eis sortes, atque diviserit, ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret; & unusquisque in Evangelii sui atque doctrinæ Provinciâ requiesceret*. In primis enim S. Hieronymus non dicit, quis fuerit Apostolus, cui in sortem data fuerit à Spiritu Dei Hispania. Deinde dato, quòd ipse Apostolus fuerit S. Jacobus, quia tamen Martyrio præventus, opus implere non potuit.

Ex controversia inter Archiepiscopum Compostellanum & Toletanum colligitur etiam, inane esse quod de S. Jacobi profectione in Hispanias jactatur Callixti testimonium: illud enim ad redarguendum Toletanum Compostellanus Antistes non solùm non produxit, sed cùm Toletanus ejusdem Callixti auctoritate contra ipsum uteretur, nihil legitur respondisse. Sic enim Toletanus ajebat: *Si antiquitatem Compostellanæ Ecclesiæ pro te facere existimas, antiquitas ista centum & novem spatio annorum continetur: quod sic persuadeo. Dominus Callixtus Papa ad instantiam Principis, Cleri, & Populorum Hispaniæ, Metropoliticum jus antiquæ & celeberrimæ Civitatis Emeritensis Compostellam transtulit, anno Domini millesimo centesimo vigesimo quarto: tum quia Civitas Emeritensis erat sub dominio Sarracenorum constituta: tum quia peregrinantium devotio ob reverentiam B. Jacobi, cujus Corpus ibidem creditur esse sepultum, in meliùs semper cresceret. Nam usque ad hæc tempora Oratorium quoddam admodùm parvum erat locus ille, in quo nunc sita est Compostellana Ecclesia*. His ergo, si falsaessent, respondere debuisset Compostellanus Antistes: quod cùm non fecerit, clarum est, eum nihil ex Callixto II. proferre pro se potuisse.

V. Secunda negandi ratio sumitur ex Gregorio VII. L. 1. Regesti Epist. 64. datâ ad Alphonsum & Sanctium Hispaniarum Reges, quos ita alloquitur: *Cùm Beatus Apostolus* (Paulus) *Hispaniam se adiisse significet, ac postea septem Episcopos ab Urbe Roma ad instruendos Hispaniæ Populos à Petro & Paulo Apostolis directos fuisse; qui destructâ Idololatriâ Christianitatem fundaverunt,*

runt, Religionem plantaverunt, ordinem & officium in Divinis cultibus agendis ostenderunt, & sanguine suo Ecclesias dedicavere; vestra diligentia non ignoret: quantam concordiam cum Romana Urbe Hispania in Religione & Ordine Divini Officii habuerit, satis patet. Et infra. *Unde enim non dubitatis, vos suscepisse Religionis exordium, restat etiam, ut inde recipiatis in Ecclesiastico Ordine Divinum Officium; quod Innocentii Papæ ad Eugubinum directa Episcopum vos docet Epistola; quod Hormisdæ ad Hispalensem missa decreta insinuant; quod Toletanum & Bracarense demonstrant Concilia*. Porrò si à S. Iacobo illata esset Fides Christi in Hispanias, & septem illi Episcopi Discipuli ejus fuissent; Gregorius VII. Ecclesiarum Hispaniæ fundationem ad Paulum dumtaxat Apostolum, & ad Petri Paulique Discipulos non retulisset; neque id certissimis antiquitatis monumentis confirmasset.

VI. Tandem S. Hieronymus in cap. 5. Amos de S. Paulo hæc habet: *Qui vocatus à Domino effusus est super faciem universæ terræ, ut prædicaret Evangelium de Jerosolymis usque ad Illyricum, & ædificaret non super alterius fundamentum, ubi jam fuerat prædicatum; sed usque ad Hispanias tenderet & Mari Rubro, imò ab Oceano usque ad Occasum curreret*. Si ergo S. Jacobus in Hispania prædicasset: vel ante S. Paulum prædicasset; & sic S. Paulus prædicasset ibi Christum, ubi jam fuerat prædicatus, & super alterius fundamentum ædificasset: vel post; & hoc est impossibile, quia cùm S. Paulus Hispaniam adivit, S. Jacobus jam fuerat Martyrio coronatus. Hæc sunt negantium S. Jacobi in Hispaniam adventum præcipua fundamenta.

VII. Ad rationes autem pro sententia affirmante respondent. Ad primam, quòd Liber ille sub nomine S. Isidori de Vita & Morte Sanctorum reverà S. Isidori non est, cùm in eo plura sint Isidoro indigna, imò & putida mendacia, inter quæ hoc est, quòd Jacobo fratri Joannis tribuit Epistolam, quæ est Jacobi fratris Domini. Præterea in contrarium stat de hoc silentium omnium Patrum usque ad septimum seculum, quo Isidorus vixit.

Ad secundam dicunt, Hymnum illum, qui in Officio Toletano recitatur, esse hymnum particularis Ecclesiæ, nec ab Ecclesia Romana probatum. Imò cùm ex dictis Gregorius VII. monuerit Ecclesias Hispaniæ ut in Ritibus & Officiis Ecclesiæ Romanæ, à qua per Petrum & Paulum fundatæ sunt, se conforment; satis indicavit, se Hymnum illum oppositum canentem improbare; tanquam in Traditione saltem non probatâ fundatum; ut dicebat Rodericus Ximenius Archiepiscopus Toletanus in Conc. Lateran. IV. supra laudatus. Quod verò additur de Antipho-

phona, quæ in Breviario Ordinis Prædicatorum recitatur, non juvat; nam in ea solùm dicitur, quòd S. Jacobus sit *lux & decus Hispaniæ*, quod optimè verificatur per hoc, quòd Hispania decoretur ejus corpore; quòd ad illud venerandum ex toto Orbe peregrinentur Fideles; & quód ejusdem Apostoli speciali gaudeat patrocinio: quæ omnia subsistunt, estò vivens illuc nunquam accesserit.

Ad tertiam dicunt, Collectanea illa de Vit. & Gest. SS. esse opus Bedâ auctore indignum, cùm multis scateat nugis ac mendaciis, ut Critici observant, & maximè quòd S. Philippus in Gallias Fidem intulerit; cùm constet, Apostolorum neminem per se ipsum in Galliis prædicasse. Præterquam quòd non dicit, quòd S. Jacobus de facto profectus sit in Hispaniam, sed quòd in divisione Hispania illi contigerit: quod optimè salvatur, etsi nunquam illuc profectus sit, quia Martyrio præventus.

Ad quartam similiter dicunt, Librum illum Turpini, seu potiùs Tilpini Episcopi Remensis, suppositìtium esse & fabulis scatentem, cujus nec Flodoardus, nec Hincmarus, nec alii gravissimi Scriptores illius ævi meminerunt, unde nullius auctoritatis est.

Ad quintam, ex supradictis apparere potest, falsam esse Callixti narrationem. Nam si veram existimasset Compostellanus Antistes, eam intorsisset in Archiepiscopum Toletanum in Concilio Lateranensi, maximè cùm iste auctoritate Callixti contra ipsum ad suum Jus probandum uteretur.

Ad sextam, ex S. Juliano Episcopo Toletano, dato, Commentarium illud esse genuinum ejus fœtum, quod multi negant; & maximè conjicitur, quia Episcopus Compostellanus rem agens cum Toletano, ut supra, hoc testimonio ad sua prætensa jura tuenda usus non est; dici potest, Julianum hoc dixisse ex ea, quæ tunc spargebatur, Traditione, estò non fundata: sicut etiam dixit, S. Philippum in Galliis prædicasse, cujus tamen nullum adest fundamentum.

Ad septimam, octavam, & nonam respondent, omnes præfatos Auctores vixisse post octavum seculum. Freculphus enim sub Ludovico Imperatore anno 840., Walfridus vivere desiit anno 849., Notkerus anno 912., Zacharias Chrysopolitanus anno circiter 1101., quos secuti sunt alii sequentium seculorum Scriptores. Cùm enim post octavum seculum opinio illa invaluisset, eam indiscussam omnes illi Auctores amplexi sunt. Sed procedente tempore, re funditùs perpensâ, & comperto, quòd Scripturæ non congruit, quòd antiqua Mounmenta desunt,

 quòd

quòd Romani Pontifices Innocentius I. & Gregorius VII. contrarium supponunt, & quòd in gravissima super hoc habita in Concilio Lateranensi disputatione, Roderici Ximenii contrarium asserentis sententiam Concilium & Pontifices probaverunt; intrusa Traditio de prædicatione S. Jacobi in Hispania, tanquam parùm stabili fundamento nixa, languescere ac nutare cœpit.

Id verò, quod ultimò additur de Ecclesia Deiparæ adhuc viventi, ipsâ jubente, à S. Jacobo erecta Cæsaraugustæ, majorem præfefert difficultatem. Quis enim credat, Virginem humillimam sibi adhuc inter mortales viventi Ecclesiam erigi jussisse? Quis hoc licuisse credat sub Ethnicis Imperatoribus ac Principibus, mediis in persecutionibus: iis in temporibus, quibus Christiani Templa nulla habebant, sed privatis in domibus & in cryptis cœtus suos agere solebant?

VIII. Hæc sunt, quæ prædicationem S. Jacobi in Hispania apud multos difficilem reddunt. Quibus pensatis, hæreo anceps. Eam ut certam statuere non præsumo. Sed nec etiam hanc gloriam Nationi, à qua in Theologicis nutritus sum, cujus amori plurimùm debeo, eripere, animum habere possum. Baronio adhærebo, qui in Notis ad Martyrol. die 25. Julii. Prædicationem S. Jacobi in Hispania protestatur, se non sic mordicùs defendere, ut invitos ei adstipulari cogat, sed potiùs ut ostendat, quæ de ea dicuntur non esse adeò impossibilia, ut pro monstro habenda sint. In primis enim Auctores contrarii opponunt, solùm post seculum octavum hanc opinionem invaluisse. Estò: sed hoc est argumentum merè negativum, quod non convincit: ex hoc enim quòd ante octavum seculum de hoc mentio facta non legatur, non probatur verè non fuisse. Imò cùm quotquot post octavum seculum sequentibus seculis scripserunt, hoc idem asseruerint, & in Breviario Romano inserta fuerit, colligitur potiùs eos præfatam Traditionem fundamento nixam invenisse, ne dicatur eam cæco modo amplexos fuisse.

Nec obstat, quòd S. Jacobus primus ante Apostolorum divisionem martyrio decesserit. Nam S. Jacobi in Hispaniam profectio tunc potissimùm potuit contigisse, cùm post necem Stephani Protomartyris secuta est statim dispersio omnium Discipulorum: & licèt dicat S. Lucas in Actis, omnes dispersos esse præter Apostolos, hoc potest intelligi ex majori parte, non quòd nullus eorum omninò discesserit. Sicut cùm ibidem ait, omnes Discipulos dispersos esse per Regiones Judææ & Samariæ, non tamen tollitur, quin Ananias tunc temporis Damascum profectus sit, ibique Evangelium prædicaverit. Imò eo tem-

tempore intermedio è nece Stephani usque ad carcerem Herodis, fatentur ipsi Adversarii, S. Petrum fundasse Ecclesiam Antiochiæ, & per Pontum, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam Evangelium prædicasse. Quidni ergo potuit S. Jacobus hoc eodem tempore Hispaniam, ad quam fuerat destinatus, adire, ibique semina Evangelii jacere, ac Jerosolymam ad Martyrium redire; cùm maximè ab anno 34., quo Stephanus Martyrium sustulit, usque ad 44. quo Jacobus gladio fuit peremtus, decem anni effluxerint? Sanè si Jacobi & Joannis mater Salome eâdem dispersione fugata in Italiam venit, & apud Henricos itinere fatigata in pace quievit, ut produnt vetera Monumenta Ecclesiæ Verulanæ, ubi ejus corpus asservatur; valdè credibile fit, eam Jacobum filium in Hispaniam euntem comitatam, fessam itinenere ac ætate ibi defecisse. Tandem ut habetur Galat. 1. v. 18., cùm S. Paulus tertio è sua Conversione anno (Christi 37.) Jerosolymam venisset, dicit, quòd præter Petrum alium Apostolorum vidit neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. Ubi ergo tunc erant alii? ubi Jacobus frater Joannis? quò ierat? certè ad prædicandum. At cur non ad Hispaniam pertransire potuit usque ad ann. 44.?

IX. Dico tamen cum Baronio citato loco, hæc de accessu Jacobi in Hispanias non sic accipienda esse, ut illic prædicaverit Evangelium Gentibus (nondum enim decreto Apostolorum fuerat illis ostium ad Fidem apertum) sed Judæis tantùm suis Gentilibus Christum annuntiarit; ne sic quidem, ut aliquam ibi fundarit Ecclesiam: & in hoc sensu accipienda sunt verba Innocentii I. Papæ ad Decentium, neminem Apostolorum præter S. Petrum Hispaniam Fide imbuisse; quibus, sicut ut supra dixi non excludit S. Paulum, ita nec excludit S. Jacobum, modo tamen explicato. Neque obest, quòd S. Paulus dicat, se ibi solùm prædicasse, ubi annuntiatus non fuerat Christus: undè cùm Paulus in Hispaniis prædicaverit, sequatur, quòd à nullo alio, nec à Jacobo fuerit ibi Christus annuntiatus. Nam Apostoli verba possunt accipi non generaliter, sed restrictè ad Gentes, quarum specialiter ipse Doctor erat: Jacobus autem annuntiaverat Christum solis Judæis, sicut fecerat Petrus, cùm primò percurrit Pontum Galatiam &c., unde primam Epistolam scribit *Electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ* &c., ideſt Judæis dispersis per illas Regiones. Vel possunt accipi regulariter, sed non semper: nam Paulus etiam Romæ prædicavit, ubi tamen ante ipsum annuntiatus fuerat Christus, & tanto cum profectu, ut antequam Romam adiret, Romanis cap. 1. v. 8. scribat gratias

agens Deo, quòd Fides eorum annuntiatur in universo Mundo.

Quod verò Rodericus Ximenius adventum S. Jacobi in Hispanias inter narrationes Monialium & Viduarum retulerit, non obest. Nam Ximenii intererat id, quod poterat suæ causæ obesse, deprimere. Sic nec quod Compostellanus nihil opposuerit, arguit, se hâc ratione fuisse convictum; sed potiùs noluisse de hoc contendere, & ob alias potiores causas cessisse. Non desunt tamen qui hanc contentionem apocrypham censeant. Hæc dixi, ut appareat, adventum S. Jacobi in Hispaniam non esse merum commentum, ut aliqui jactant. De hoc videri possunt Emmanuel Sousa, qui duobus Tomis Adventum & Gesta S. Jacobii in Hispaniis propugnat, & Ignatius Cattoira, qui idem novissimè demonstrativè ostendere conatur.

§. III.

De Festo & Translatione Corporis S. Jacobi.

I. DE S. Jacobo agunt Græci in Menologio pridie Kalendas Aprilis, circa quem diem creditur contigisse ejus Martyrium; nam ex dictis hoc paulò ante Festum Paschæ contigit, Pascha autem eo anno Christi 44. in secundam diem Aprilis incidit. Menologium tamen Basilii necem S. Jacobi fratris Sancti Joannis assignat diei 15. Novembris. Ibi enim inter cætera ait: *Post Domini autem Ascensionem, & Deiparæ dormitionem, Joannes quidem Ephesum abiit, prædicationis munere ibi fungens; Jacobus verò relictis Jerosolymis, duodecim Tribus Israel percurrens, Dominum nostrum Jesum Christum ubique annuntiabat. Quamobrem ab Herode Tetrarcha in Cæsarea Palestinæ Urbe comprehensus, ejusque jussu gladio cæsus, in Cælum avolavit.* In his tria sanè difficilia reperio. Primum, quòd Martyrium Jacobi die 15. Novembris ponit, cùm ex Luca habeatur paulò ante Pascha contigisse. Secundum, quòd post dormitionem Deiparæ dicat, Jacobum Christum annuntiasse Tribus Israel, cùm communis sententia ferat, Deiparam in senectute obdormiisse, & proinde post Jacobi Martyrium; & ideò non potuisse post ejus dormitionem Christum annuntiare. Tertium, quòd Jacobus Martyrium subierit Cæsareæ, cùm ex Actis Apostolicis appareat, eum Jerosolymis passum fuisse. Ut enim habetur Act. 12. v. 18. Herodes non descendit Cæsaream, nisi post liberationem Petri è carcere: Petrum autem Jerosolymis fuisse ab Herode carceri traditum constat, quia ibi erat Jacobus frater Domini Epi-

Episcopus Jerosolymorum, & domus Mariæ Matris Joannis Marci, in quam Petrus è carcere se recepit. Tunc autem cùm Petrus è carcere liberatus fuit, imò & antequam conjiceretur in carcerem, Jacobus jam gladio cæsus fuerat.

II. Latini verò S. Jacobi Festum celebrant die 25. Julii tanquam die, non Martyrii, sed Translationis Corporis ejus ab Jerosolymis ad Hispanias. Sic enim in Martyrologio Romano legitur: *Sancti Jacobi Apostoli fratris Beati Joannis Evangelistæ, qui propè festum Paschæ ab Herode Agrippa decollatus est. Ejus sacra Ossa ab Jerosolymis ad Hispanias translata, & in ultimis earum finibus apud Gallæciam recondita celeberrimâ illarum Gentium veneratione, & frequenti Christianorum concursu, Religionis & voti causâ illuc adeuntium, piè coluntur.* De Translatione Ossium S. Jacobi, eorumque in Hispania existentia nullam puto esse controversiam. Rodericus ipse Ximenius cum Compostellano Antistite de primatu contendens, hoc ei concedit, dicens: *Si nobilitatem etiam sepulturæ inducant, quòd ibi Divus jaceat Jacobus, libenter assentior cum his, qui istud asserunt.* De modo & tempore Translationis dubitatur. Quidam putant, Corpus Sancti Jacobi de Jerusalem Iriam Hispaniæ & Gallæciæ Urbem delatum eodem sui Martyrii anno, fortè à Discipulis ejus, & indè Compostellam. Hoc præfatus Rodericus etiam refert addens: *Licèt quidam affirment, Corpus ejus Jerosolymis requievisse: postea raptum à Discipulis delatum esse & sepultum apud Compostellam.* Ita in Concil. Later. IV. Hoc idem eruitur ex Concilio Ovetensi anno 872. sub Joanne VIII. Papa, & Alphonso Gallæciæ Rege, ubi de Consecratione Ecclesiæ (Compostellanæ puto) sic habetur: *In Altari quoque, quod est super Corpus Beati Jacobi Apostoli, quod consecratum fuerat à septem Discipulis ejus, quorum nomina sunt hæc, Calocerus, Basilius, Pius, Chrysogonus, Theodorus, Athanasius, Maximinus; tamen nemo ex dictis Episcopis ausus fuit aliquid in eo agere, nisi tantùm Orationem, Missamque cantare.* Hos tamen septem fuisse Discipulos, non S. Jacobi, sed SS. Petri & Pauli Româ in Hispaniam missos, scribit Gregorius VII. Lib. 1. Regesti Epist. 64.

III. Hanc Translationem Corporis S. Jacobi Jerosolymis in Hispaniam colligit Baronius ad ann. 816. num. 62. ex quadam Epistola Leonis III. (quæ tamen inter ejus Epistolas non legitur) qua asseritur, eodem anno fieri contigisse, quo idem Sanctus Apostolus truncatus est capite; tunc & fuisse sublatum Corpus, quod canibus atque volucribus expositum fuit, navigioque impositum Iriam Flaviam delatum ad octavum Kalend. Augusti,

sti, inde verò Compostellam. A quibus sublatum fuerit, non dicit: probabiliter aliqui existimare possunt, quòd à Judæis aliquibus Gallæcis, qui à Jacobo Jerosolymis Fidem susceperant, ac in Patriam redeuntes eam hoc thesauro ditare voluerint. Sed dubitari primò potest, an in his extremis Hispaniæ partibus Judæi essent, deinde hoc etiam dato, valdè probabile est, primos Christianos moram elegisse iis in locis, in quibus Fides jam stabilita erat, nec remeare voluisse ad loca, in quibus Christus nondum fuerat annuntiatus, si alioquin ad Fidem propagandam destinati non essent. Mortuo autem S. Jacobo, nonnisi post multos annos Fides à Paulo invecta fuit, nisi sentiamus, S. Jacobum Apostolum ante mortem Fidei semina ibi jecisse.

IV. Addit Baronius ibidem, factum fuisse, ut urgentibus in Christianos persecutionibus, mortuisque illis, qui tantum thesaurum detulerunt, locus manserit omninò incognitus, omnisque ejus memoria penitùs interierit; adeòut Venantius Fortunatus, qui præcipuos Hispaniæ & cultu celebriores Sanctos recenset, solùm Vincentium Martyrem nominat, Joannem verò Ephesi, & Jacobum Jerosolymis sepultos esse, supponat his versibus, carmine de Bodegisilo Duce.

Præcipuum meritis Ephesus veneranda Joannem
Dirigit, & Jacobum terra beata suum.

Fortunato igitur, qui sexto seculo vivebat, ignotum erat S. Jacobi Corpus in Hispanias fuisse translatum.

Seculo tamen octavo, Rege Hispaniarum Alphonso Casto, non sine speciali Dei providentia S. Jacobi Reliquiæ per aliquot secula absconditæ detectæ sunt. Ita Baronius ad ann. 816. n. 53. addens, quòd ex hoc tempore ille sacer locus totius Orbis concursu fuit frequentatus, insignitus ibi patratis miraculis, Populos è Regionibus etiam remotis adhuc attrahentibus. Huic narrationi consentit Natalis Alexander Hist. Eccles. secul. 8. cap. 8. art. 5. dicens: „ Regnante Alphonso Casto S. Jacobi Apostoli „ Reliquias in Gallæcia inventas memorant, & Episcopalem „ Iriæ Flaviæ Sedem, retento nomine, & Bracarensis Metro- „ politani jure servato, Compostellam à Leone III. translatam „ fuisse, honestandi loci causâ. „ Accedit Mariana L. 7. cap. 10. citans Monumentum Compostellæ asservatum, quo Alphonsus Castus testatur, Corpus S. Jacobi Apostoli suo tempore repertum fuisse. Quantæ tamen auctoritatis, & quibus verbis sit conceptum hoc Monumentum, Mariana non refert.

V. Quare Recentiores Critici, inter quos Tilmontius Nota 7. & 8. in S. Jacobum Majorem ostendere conatur, varia nimis

mis & proinde incerta esse documenta de tempore & modo Translationis & Inventionis Corporis Jacobi Majoris. Pater Joannes de Bosco Cœlestinus Bibl. Floriacensis p.2. prodit Manuscriptum exaratum, ut putat, circa annum millesimum ab ejusdem Abbatiæ Monacho, in quo narratur, Corpus S. Jacobi translatum fuisse Jerosolymis in Gallæciam, non ferè statim post Apostoli mortem, sed Jerosolymis sepultum, postea Jesu Christi nomine per totum Orbem diffuso, inde extractum, fuisse illuc delatum à Ctesiphonte uno ex Episcopis per Apostolos ordinatis ad effundendum Evangelii semen. De facto autem in Martyrol. Rom. die 15. Maji inter Viros à Sanctis Apostolis Episcopos ordinatos, & in Hispanias Româ missos ad prædicandum ibi Evangelium, recensetur Ctesiphon. Sed cùm iste dicatur ordinatus, & Româ, non Jerosolymis missus, difficile creditu videtur, quod ab isto Corpus S. Jacobi fuerit Jerosolymis in Gallæciam asportatum.

Magis verisimile existimare videtur Tilmontius, quòd inter seculi septimi turbationes & rapinas, quibus Sarraceni tunc & postea Palæstinam devastarunt, Corpus S. Jacobi fuerit aliquâ occasione in Gallæciam delatum, ibique ignotum ob invasiones Maurorum usque ad seculum octavum mansisse, & sub Alphonso Rege detectum. Quæ conjectura, inquit, estò carens probatione, ex his tamen, quæ de hac re variè dicuntur, probabilis apparet, ac omnes difficultates de eadem tollit, & meliùs ac faciliùs tuetur, Reliquias, quæ Compostellæ asservantur, verè S. Jacobi Majoris esse. Hoc ego concludam, quòd quidquid sit de tempore & modo, quo Corpus S. Jacobi in Hispaniam & Compostellam translatum sit, hoc certò tenendum est, illud ibi vere asservari: non enim permisisset Deus totum Orbem, & per tot secula in errore versari.

An autem verum sit, quod refert Bollandus 3. Januarii, varias Corporis ejusdem Apostoli partes (ut caput, brachium &c.) inde extractas, fuisse aliis Ecclesiis Belgii & Galliæ dono datas, aliis discutiendum relinquo.



CA-

CAPUT V.

De Sancto Joanne Apostolo & Evangelista.

§. I.

Genus & Gesta ante Passionem Jesu.

I. EX præcedenti Capite, & alibi dictis, satis constat, S. Joannem Evangelistam Galilæum è vico Bethsaide Jacobi Majoris fratrem germanum fuisse, Zebedæum & Salomen parentes habuisse, & artem piscatoriam exercuisse. Putarunt aliqui, alium Discipulum Joannis Baptistæ, qui Joann. 1. v. 40., cùm Andrea secutus est Jesum, ipsum Joannem Evangelistam fuisse, qui nomen suum ibi reticuerit. Sed oppositum probabilius esse ostendi supra cap. 3. §. 1. Hoc certum, quòd, ut referunt Matth. cap. 4. v. 21. & Marcus cap. 1. v. 19., cùm esset in navi cum Jacobo fratre & Zebedæo Patre, vocatus a Jesu, ipse & Jacobus relicto Patre navi & retibus secutus est eum. Cùm Apostolos designavit Marci 3. v. 17. ambobus *Boanerges* idest Filii Tonitrui seu Fulminis nomen imposuit, quasi fragore prædicationis ei totum Orbem subacturi essent: quod maximè implevit Joannes, tum Apostolatu suo, quo totum ferè Orbem penetravit; tum & maximè sublimitate scientiæ, quâ arcana Divinitatis Jesu detexit & explicavit, quasi nubes, quibus nobis tegebatur, scindens.

II. Cæteris Apostolis junior fuisse creditur, ætatis nempè annorum 25. aut 26.; quod à longo tempore quo in terris supervixit apertè colligitur. Quamvis tamen cæteris Apostolis ætate minor, omnibus tamen merito & sapientia par, imò & superior fuit. Speciali propterea dilectione ipsum Jesus prosequebatur, ita ut, cùm Joannes de se ipso loquitur, hoc vocabulo se ab aliis distinguere consueverit, Joann. 13. v. 23. cap. 19. v. 26. cap. 21. v. 7. & 20.: *Discipulus quem diligebat Jesus*. De quo S. Augustinus tract. 124. in Joann. instituit quæstionem, quis præferendus, an Joannes quem Jesus plus cæteris diligebat, an Petrus qui plus cæteris diligebat Jesum, quam post multa resolvit sic: *Quantum autem ipse sapio, meliorem, qui plus diligit Christum, feliciorem verò, quem plus diligit Christus, facilè responderem: Si justitiam Liberatoris nostri minùs eum diligentis, à quo plus diligitur, & eum plus, à quo minùs diligitur, quemadmodum defenderem, pervideram.*

III. Quia

III. Quia tamen S. Joannes de se dicit quidem, se esse Discipulum quem diligebat Jesus, sed non dicit causam, qua præ cæteris eum diligeret, reliquit locum eam inquirendi. Chrysostomus homil. 33. in Joann. putat, causam fuisse ejus modestiam & humilitatem, quâ præ cæteris se gerebat: cum enim cæteri Christum sæpè alloquerentur, eumque interrogarent, ut Petrus ut Philippus ut Judas ut Thomas, Joannes *nisi tantùm semel in gratiam Coapostoli sui Petri rogantis se*, quem ut coryphæum venerabatur, & cum quo mutuus specialis amor intercedebat, Jesum interrogavit. Unde Chrysostomus prosequitur: *Videtur mihi*, inquit, *ille modestiam & mansuetudinem magnam exhibuisse quapropter sæpè non ita liberè & fidenter agere deprehenditur. Hæc quanta sit virtus, ex Moyse arguitur, nam hæc illum talem effecit; nihil enim par humilitati est: ideo hinc beatitudines Christus incæpit; nam quasi ædificii maximi fundamentum jacturus, humilitatem primam posuit.*

Alii & communiùs censent, specialis hujus dilectionis causam fuisse singularem Castitatis amorem, quo præ cæteris Joannes etsi junior fervebat, in summa enim castitatis custodia ab infantia vixerat, à nuptiis semper alienus. S. Joannem mansisse virginem, Scriptura quidem non asserit, ei tamen maximè favet: ideoque in hanc sententiam descendunt Scriptores Ecclesiastici præcipui, tum Recentiores tum Veteres. Manichæi ipsi (ut habetur apud Augustinum L. 30. contra Faustum cap. 4.) hoc pro explorato habebant; imò hoc Joannis exemplo ad damnandas nuptias abutebantur. S. Hieronymus Lib. 1. contra Jovin. hoc sensit. Unde ad eum alludens S. August. tract. 124. in Joann.: *Sunt*, inquit, *qui senserint, & hi quidem non contemtibiles sacri eloquii tractatores, à Christo Joannem Apostolum propterea plus amatum, quòd neque uxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit. Hoc quidem in Scripturis Canonicis non evidenter apparet, verumtamen id quoque multùm adjuvat congruentiam hujusce sententiæ, quòd ea vita per eum significata est, ubi non erunt nuptiæ.* Porrò licèt Augustinus hìc apertè non asserat Joannis Virginitatem, eam tamen fatetur Lib. de Bono Conjugali cap. 21.. Joannis Virginitatem inter cæteros extollit S. Hieronymus in cap. 56. Isaiæ his verbis: *Talem fuisse Eunuchum, quem Jesus amabat plurimùm, Evangelistam Joannem, Ecclesiasticæ tradunt Historiæ, qui recubuit super pectus Jesu, qui Petro tardiùs ambulante elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum; qui in secreta Divinæ se Nativitatis immergens, ausus est dicere quod cunctia secula nesciebant* „ In principio erat Verbum„ &c.. Scio, ali-

quos putasse, Sponsum in Nuptiis Canæ fuisse Joannem; sed hoc rejeci supra, dum agerem de Nuptiis Canæ in Vita Christi.

IV. Sancto ductus zelo & amore erga Jesum, Marci 9. v.37., Joannes: *Magister*, inquit, *vidimus quendam in nomine tuo ejicientem Dæmonia, qui non sequitur nos & probibuimus eum*. Jesus tamen; qui interiora scrutabatur, & quid futurum esset præsciebat, non quasi eum arguens, sed potiùs instruens, non esse impediendos à bono debiles, quamvis totum, quod facere deberent, nondum faciant; respondit: *Nolite probibere: nemo est enim, qui faciat virtutem in Nomine meo, & possit citò malè loqui de me. Qui enim non est adversùm vos, pro vobis est*.

V. Unà cum Jacobo fratre Transfigurationi Jesu Christi astitit Joannes. Ambo se vero spiritu Evangelico nondum repletos ostenderunt, cùm petierunt, ut ignis de Cœlo descenderet super Samaritanos, qui eis hospitium denegaverant, & cùm per Matrem à Jesu sibi postularunt, ut unum ad dexteram, ad sinistram alterum sedere faceret in Regno suo; & tandem cùm paulò ante Passionem, quando ruina Templi esset eventura, quæsierunt.

VI. Volens Jesus ultimam cum Discipulis celebrare Cœnam, ut eam pararent, misit Petrum & Joannem. Hinc aliqui, maximè ex Græcis Nicephorus & Cedrenus, existimarunt, domum, in qua paraverunt Paschalem Cœnam, pertinuisse ad Joannem, qui licèt corde & animo cum cæteris Apostolis omnia reliquisset, ut Christum sequeretur, in effectu tamen domum retinebat, in qua parentes ejus Zebedæus & Salome habitabant. Sed hoc esse falsum, ostendi supra de Vita Christi, agens de ultima Cœna; & ipsa Christi verba declarant Lucæ 22. v.9., nam Petro & Joanne quærentibus, *ubi vis paremus?* respondit Jesus: *Ecce introeuntibus vobis in Civitatem, occurret vobis bomo quidam amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum, in quam intrat; & dicetis Patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi Pascha cum Discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis Cœnaculum magnum stratum; & ibi parate. Euntes autem invenerunt, sicut dixit, & paraverunt Pascha*. Domus igitur, in qua celebrata fuit Cœna, ignota erat etiam Joanni, ac proinde non erat ad illum pertinens, sed potiùs Diversorium publicum paratum pro iis, qui Cœnam Paschalem agere volebant; qualia Jerosolymis multa esse debebant, præsertim illis diebus, quibus ad Pascha ex diversis partibus Judæi confluebant.

VII. Pretiosius suæ dilectionis signum exhibuit Joanni Jesus, cùm permisit eum in sinu suo inter cœnandum recumbere.

Hoc

Hoc charactere se ipsum designat Joann. 13. v. 23.: *Erat ergo recumbens unus ex Discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus*. Et cap. 21. v. 20.: *Conversus Petrus vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui & recubuit in Cœna super pectus ejus*. Inde ebibit secreta Cœlestia, quæ propinaret nobis, inquit S. Augustinus tract. 1. in Joann. & tract. 36.: *Hoc ructabat quod biberat. Non enim sine causa de illo in isto ipso Evangelio narratur, quia & in convivio super pectus Domini discumbebat. De illo ergo pectore in secreto bibebat: sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit, ut perveniat ad omnes Gentes non solùm Incarnatio Filii Dei & Passio & Resurrectio; sed etiam quid erat ante Incarnationem, Unicus Patri, Verbum Patris, coæternus Generanti, æqualis ei, à quo missus est; sed in ipsa missione minor factus, quo major esset Pater*. Et in Psalm. 144.: *Ille avidissimus epulator Joannes Apostolus, cui non sufficiebat ipsa mensa Domini, nisi discumberet super pectus Domini, & de arcano ejus biberet Divina secreta, quid eructavit?* „ In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum„. Cognoscens hoc Petrus, in ea turbatione, quâ omnes Apostolos posuerunt verba Christi dicentis Joann. 13. v. 21. *Unus ex vobis tradet me*, videns Joannem in sinu Jesu recumbentem: *Innuit* ei dicens: *Quis est de quo dixit?* Joannes autem *cùm recubuisset supra pectus Jesu, dicit ei: Domine quis est?* Tunc Jesus, cùm indicasset eum esse, cui intinctum panem porrexisset, intinctum panem dedit Judæ Iscariotæ, quo eum esse traditorem Joanni indicavit. Sed cur Petrus alioquin ad Jesum interrogandum promtus, per se ipsum hoc à Christo non quæsivit, sed usus est Joanne? *Quia* inquit Chrysost. hom. 71. modò 72. in Joannem) *pridem correptus fuerat, & lavare volentem cohibuerat, & ubique comparet amore ardens, sed increpatur: ideò timens, neque quærit, neque loquutus est, sed Joannis operâ vult edifcere*: qui nimirùm solus modestus humilis & quietus suæ innocentiæ conscius, turbatis aliis, in sinu requiescebat.

§. II.

Gesta à Passione Jesu.

I. Absolutâ Cœnâ, in hortum Gethsemani Jesus se contulit initium suæ Passioni daturus ab agonia, quam ibi pertulit, secum adducens unà cum Petro & Jacobo etiam Joannem. Interea proditore Judâ cum satellitibus superveniente, ut Jesum comprehenderet, *Tunc* (inquit Matthæus cap. 26. v. 56.) *Disci-*

puli omnes relicto eo fugerunt. Non obstante tamen quòd Matthæus dicat, quòd *omnes fugerunt*, in quæstionem vertitur, an etiam S. Joannes fugerit. Et ipsum fugisse, sentiunt Ambrosius in Psalm. 36., Gregorius L.14. Moral. cap.13., Beda; quos sequitur Baronius ad ann. 34. n.65.: qui putant Joannem fuisse adolescentem illum, de quo Marcus cap.14. v.51. & 52. ait: *Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum. At ille rejectâ sindone, nudus profugit ab eis*. At ex modo loquendi Marci videtur hic adolescens à tribus Discipulis diversus fuisse. Nam postquam dixit, quòd Discipuli *relinquentes eum omnes fugerunt*, subjungit: *Adolescens autem quidam &c.*, quibus videtur, quòd adolescens iste fuerit alius à Discipulis, & fortè qui de vicina domo audito strepitu multitudinis, è lecto solo linteo coopertus surgens accurrerit, ut alibi dixi. Verius ergo crederem, & Joannem illo primo impetu fugisse, non tamen procul, sed sicut Petrum, qui estò & ipse fugisset, à longè tamen secutus fuit Christum usque ad Atrium Caiphæ, & cum eo Joannem. Ita sentit Chrysostomus hom.85. modò 84. in Matth., ubi de Petro ait: *Ingens Discipuli fervor, cùm fugientes videret, non fugit sed stetit, & cum illis introivit. Nam etsi Joannes quoque hoc fecerat, sed notus erat Pontifici*. Hoc dicerem, ut salvem Matthæum & Marcum dicentes, quòd tunc omnes fugerunt. Cùm autem cum Christo soli tres essent, Petrus Jacobus & Joannes; si nec Petrus nec Joannes ullo modo fugerunt, solus Jacobus fugit: quomodò ergo *omnes* fugerunt?

II. His Chrysostomus supponere videtur, illum Discipulum, qui utpotè notus Pontifici, introivit in atrium Caiphæ, ut Joann. 18. v.15., fuisse ipsum Joannem. Quod homil. 82. modò 83. in Joann., apertè confirmat dicens: *Quis est alius Discipulus? Qui hæc scripsit. Et cur non se nominat? Nam cum supra pectus Jesu recubuit, jure nomen occultat. Nunc autem cur idipsum facit? Eadem de causa. Nam hic quoque rem præclaram narrat, quòd nempè omnibus aufugientibus, ipse sequeretur, ideò nomen tacet suum, & Petrum priorem ponit, suique tamen meminisse coactus est, ut edisças, eum accuratiùs, quàm alios, ea quæ in aula gesta sunt enarrare, utpotè qui intus esset. Et vide, quomodò laudem præcidat suam. Ne quis enim diceret, quomodò omnibus fugâ semotis, ipse etiam ulteriùs quàm Simon ingressus est, addit* ,, Quia notus erat Pontifici ,, *ut nemo miretur, si sequutus sit, nec ejus fortitudinem celebret*. His fortitudinem simulque modestiam Joannis commendat Chrysostomus, & confirmat hom.10. in Act.4. v.13., ubi dicitur, quòd Annas & Caiphas videntes Petri & Joannis con-

constantiam, *cognoscebant eos, quoniam cum Jesu fuerant*. Nimirùm, inquit, *in Passione. Hi enim soli tunc unà erant, quando viderunt illos humiles, dejectos. Quod illos maximè in admirationem rapiebat, repentina nempè mutatio. Nam illic erant Annas & Caiphas, & hi etiam adstabant illis*.

III. S. Augustinus rem hanc in medio relinquit, ait enim tract. 113. in Joann.: *Quisnam iste sit Discipulus, non temerè affirmandum est, quia tacetur. Solet autem se idem Joannes ita significare & addere*,,quem diligebat Jesus,,*Fortassis ergo & hic ipse est. Quisquis tamen sit* &c., ubi nec affirmat, nec negat. S. Thomas tamen in cap. 18. Joann. Lect. 3. absolutè dicit,, Et alius Discipulus,, *scilicet Joannes, cujus nomen ipsemet occultat humilitatis gratiâ. Mysticè autem per hos duos Discipulos duæ vitæ intelliguntur, quæ Christum sequuntur, scilicet Activa, quæ signatur per Petrum, & Contemplativa, quæ per Joannem*. Quæ intelligentia videtur communior, ut alibi dixi.

IV. Cur autem Joannes esset notus Pontifici, S. Thomas citato loco dicit, quòd ei erat notus, *vel quia Pater Joannis ejus servus erat, vel aliquis ex consanguineis suis*. S. Hieronymus Epist. 16. modò 96. ad Principiam vult, notum fuisse Pontifici ob nobilitatem generis; ait enim: *Qui propter nobilitatem generis erat notus Pontifici, & Judæorum insidias non timebat: intantum ut Petrum introduceret in atrium*. Quomodò autem generis nobilitate floreret, qui filius Piscatoris erat, non percipio. Nicephorus L. 1. cap. 28. putat, Joannem notum fuisse Pontifici, quia cùm in Galilæa quoddam prædium haberet, illud eidem Pontifici vendiderat, & ex pretio domum Jerosolymis emerat, sitam in circuitu Montis Sion. Sed hoc divinando dicitur.

V. Hoc certum est, Joannem solum sequutum fuisse Christum usque ad Crucem. Nam de Petro post negationem & pœnitentiam nulla ampliùs mentio fit, nisi post Resurrectionem. Joannes autem se ipsum stantem cum Maria Matre Jesu describit Joann. 9. v. 16., quod celebrant Hilarius L. 6. de Trinit., Hieronymus Epist. 16. modò 96., & alii: ejusque erga Christum constans dilectio ad tantum honorem ipsum perduxit, ut Jesus suo Testamento Mariæ Matris filium loco sui morientis constituerit: *Cùm vidisset ergo Jesus Matrem, & Discipulum stantem, quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*. Hìc exclamat Ambrosius L. de Instit. Virginis cap. 7.: *Claudite ora impii, aperite aures pii: audite quid Christus loquatur. Testatur de Cruce Dominus Jesus, & paulisper publi-*

blicam differt salutem, ne Matrem inhonoram relinquat. Subscribitur Joannes in Testamento Christi. Legatur Matri pudoris defensio, testimonium integritatis. Legatur & Discipulo Matris custodia, pietatis gratia commendatur. Et ex illo suscepit eam Discipulus in sua. Non utique Christus faciebat divortium, non Maria relinquebat Virum. Sed cum quo Virgo habitare debebat, quàm cum eo, quem Filii hæredem integritatis sciret esse custodem? Ex hoc facto commendatur etiam Joannis Virginitas. Undè Hieronymus L.1. adv. Jovin.: *Ut brevi*, inquit, *sermone multa comprehendam, doceamque cujus privilegii sit Joannes; imò in Joanne virginitas: à Domino virgine, Mater virgo, virgini Discipulo commendatur*. Quo etiam Jesus aliud Fidei Sacramentum confirmavit, quòd nimirùm Maria alium quàm seipsum filium non haberet. Ita S. Paulinus Epist. 50. aliàs 43. ad Augustinum his verbis: *Et illud quod ad fidem pertineret, salutiferum pietatis suæ sacramentum, arcanâ Divini ratione consilii sub hac voce consignans, ut alii Matrem delegaret pro matre habendam, & vice suâ consolandam, atque illi vicissim novum filium vice corporis sui traderet, imò ut ita dixerim gigneret: quo ostenderet, eam præter se, qui ex ea Virgine natus esset, nec habuisse filium, nec habere: quia nec Salvator tantoperè curam desolationis habuisset ejus, si illi unicus filius non fuisset*. Quibus, ut ait etiam Ambrosius L. de instit. Virginis cap.6., calumnia Hæreticorum præcluditur, qui Mariam alios ex Joseph habuisse filios contendebant.

VI. Accepit ergo eam Joannes in Sua. *Sed* (inquit Augustinus tract.119. in Joann.) *in qua Sua Joannes matrem Domini accepit? Neque enim non ex eis erat, qui dixerunt ei*: (Matth.19. v.27.) *Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te .... Quomodò ergo matrem Magistri & Domini sui Discipulus & famulus accepit in Sua, ubi aliquid suum nemo dicebat? An quia paulò post in eodem libro* (Act.4. v.34. 35.) dicitur: „ *Quotquot enim possessores prædiorum vel domorum erant, vendentes offerebant pretia eorum, „ & ponebant ad pedes Apostolorum; distribuebatur autem unicuique prout opus erat* „ *intelligendum est, sic distributum fuisse huic Discipulo quod opus erat, ut illic etiam beatæ Mariæ tanquam Matris ejus portio poneretur; magisque sic debemus accipere quod dictum est*,, Ex illa hora suscepit eam Discipulus in Sua,, *ut ad ejus curam quidquid ei esset necessarium pertinere? Suscepit ergo eam in Sua, non prædia quæ nulla propria possidebat, sed officia quæ propriâ dispensatione exequenda curabat*. Ita S. Augustinus. Ex illa ergo die Joannes curam & officium suscepit, ut ex distributionibus, quæ inter Fideles fiebant, suppeditaretur id, quod ad Bea-

Beatæ Virginis tanquam Matris suæ sustentationem erat necessarium. Credibile enim est, Matrem Domini in eadem, in qua Joannes, domo postea inhabitasse; ubi enim poterat S. Virgo securiùs immorari, quàm cum eo, quem sciebat datum esse à Filio sibi filium, hæredem, ac Virginitatis suæ fidelem custodem? Ex cujus etiam familiari colloquio discere poterat Divina, quæ postea tradidit mysteria, quàm Mariæ Virginis, quæ Arca fuerat Sacramentorum? *Unde*, inquit Ambrosius L. de Inst. Virg. cap. 7., *non miror præ cæteris loquutum mysteria Divina, cui præsto erat aula Cœlestium Sacramentorum*.

VII. Stetisse autem S. Joannem juxta Crucem, etiam Christo mortuo, ejus testimonio comprobatur, dum ipse dicit, se vidisse è latere Christi paulò post mortem lanceâ aperto Sanguinem & Aquam fluentem, ait enim cap. 19. v. 34. & 35.: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Et continuò exivit Sanguis & Aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus. Et ille scit, quia vera dicit, ut & vos credatis*. Qui vidit, ait Sanctus Thomas in cap. 19. Joann. Lect. 5., *ipse est Joannes* „ Et verum est testimonium ejus „ *Hoc est, non ab aliis audivi, sed ipse præsens vidi, & verum est testimonium. Meritò sanè. Contumeliam narrat; non magnum quid & mirabile, ut possis contra suspicari: Verùm ille Hæreticorum ora comprimens, & futura prænuntians mysteria, atque contentum in ipsis thesaurum considerans, minutatim recenset ea, quæ gesta sunt*. Ita Chrysost. homil. 85. aliàs 84. in Joann.

Ipsâ Resurrectionis die, nuntiante Mariâ Magdalenâ, se non invenisse Corpus Jesu in sepulchro, & fortè fuisse inde ablatum, statim Joannes ipse cum Petro cucurrit ad monumentum. Joannes tamen pervenit primus, non tamen introivit, sed solùm, postquam Petrus intravit, *& vidit & credidit*: non tamen tunc credidit Jesum resurrexisse, sed credidit verum esse, quod Maria dixerat, Corpus Jesu non esse in monumento. Ita S. Augustinus tract. 120. in Joann.: *Non ergo eum credidit resurrexisse, quem n. sciebat oportere resurgere. Quid ergo vidit, quid credidit? Vidit scilicet inane monumentum, & credidit quod dixerat Mulier, eum de monumento fuisse sublatum* „ Nondum enim sciebant Scripturam, quia oporteret eum à Mortuis resurgere. *Et ideò quando id ab ipso Domino audiebant, quamvis apertissimè diceretur, consuetudine audiendi ab illo parabolas, non intelligebant, & aliquid aliud eum significare credebant*.

VIII. Aliquot post Resurrectionem diebus, septem Discipuli, inter quos erat Joannes, post integræ noctis piscationem cùm nihil

nihil prendidissent, & Jesu apparente in littore, & jubente ut in dexteram navigii mitterent rete, immensam piscium multitudinem cœpissent (Joann.21. v.7.) primus Joannes fuit, qui Jesum esse nuntiavit Petro: *Dixit ergo Discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cùm audisset, quia Dominus est, tunicâ succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.* Hoc factum observans Chrysostomus homil.87.aliàs 86. in Joan. *Ut autem*, inquit, *cognoverunt illum, tunc proprios sibi mores exhibent Discipuli Petrus & Joannes. Ille ferventior, hic sublimior. Ille promtior erat, hic perspicacior. Ideò Joannes prior Jesum cognovit, Petrus prior illum adiit.* Joannes unà cum aliis tunc cum Jesu pranderunt. Cùm prandissent, Petrus, cui totum Orbem regendum Dominus tunc commiserat, videns Joannem sequentem v.21. *dixit Jesu, hic autem quid?* Sed cur Petrus sic de Joanne, ut quem exitum ille habiturus sit, interroget; audiatur Chrysostomus hom. 88. aliàs 87. in Joann.: *Hic amorem ostendit, quem erga illum habuit: nam Petrus Joannem admodùm amabat, ut ex sequentibus liquet, perque totum Evangelium hæc necessitudo ostenditur, necnon in Actibus Apostolorum. Quia ergo magna ipsi prædixerat, Orbem commiserat, Martyrium prænuntiarat, majorem quàm cæterorum amorem ejus indicaverat, volens Petrus hunc consortem habere, dixit* „ Hic autem quid„? *An non eâdem nobiscum viâ incedet?* Nolebat Petrus à Joanne separari, quem diligebat; sed nimis curiosam interrogationem præcidens Jesus respondit *Sic* vel: *Si eum volo manere donec veniam: quid ad te?* Ex hoc Christi responso putarunt aliqui, Joannem adhuc vivere, ejusque mortem reservari ad finem Mundi: sed hoc alibi rejeci, & præcipuè in Theologiæ tom. 16. quæst.1. de Antichristo Dub.6.§.3. num.17.; & inferiùs aliqua addam.

IX. Refert Eusebius L.2.hist.cap.1.ex Clemente Alexandr., quòd *Jacobo Justo & Joanni & Petro Dominus post Resurrectionem Scientiæ Donum impertiit. Quod illi cæteris Apostolis, hi verò septuaginta Discipulis, quorum unus fuit Barnabas, tradiderunt.* Fateor, me in Evangelio & Actibus Apostolicis non reperire, Donum Scientiæ hoc ordine à Christo collatum fuisse, ut immediatè solis tribus, deinde per ipsos aliis Apostolis datum in alios septuaginta fuerit transfusum, sed potiùs Spiritum veritatis omnia docentem fuisse æqualiter omnibus promissum Joann. 16., & omnes eo fuisse repletos, qui in Cœnaculo erant: *repleti sunt omnes Spiritu Sancto* (Act.2. v.4.) Omnes enim Apostolos Jesus mittebat in Mundum, sicut ipse fuerat à Patre missus. Joan.17. v.18. septuaginta autem Discipulos misit ipse in omnem Civitatem

tatem & locum, Lucæ 10. v.1., ad annuntiandum omnibus se ipsum; ac proinde omnibus immediatè creditur donum Scientiæ infudisse ad cognoscenda mysteria Fidei, quæ annuntiare debebant. At modò hoc donum Scientiæ manet quidem in Ecclesia; sed quia non omnes ad Fidem annuntiandam mittuntur, ideò, non omnibus illud donum datur: *Divisiones enim gratiarum sunt: unde alii datur sermo Sapientiæ, alii donum Scientiæ* &c., ut docet Paulus 1. Cor.12. Quia tamen hæc, ut idem Paulus ibidem dicit, non dantur, nisi quatenùs sunt membra ejusdem corporis, quod est Ecclesia, cujus caput est Christus; ideò qui de hoc corpore Ecclesiæ non sunt, quales præcipuè sunt, qui per hæresim ab eo se præciderunt, hujus doni Scientiæ participes non sunt.

His convincitur, donum Scientiæ non habuisse antiquos Hæreticos, qui se *Gnosticos* ab excellentia scientiæ, idest cognoscentes sive scientes jactabant. Nec illud habere modernos Hæreticos, quamvis inaniter glorientur, cuique ex ipsis datum esse Spiritum Scientiæ ad intelligendas Scripturas, nec egere ut ab alio doceantur; quos alibi fusè confutavi. Nam sicut membrum præcisum à corpore non participat de bonis corporis; & ut ait Christus Joann.15. sicut palmes, qui non manserit in vite, non est capax ferendi fructum vitis, sed arescit; ita qui non manet in Christo, & in corpore ejus, quod est Ecclesia, fructus & bona ejus percipere non potest. Sed ad Joannem redeamus.

X. Non diù post acceptum Spiritum Sanctum Joannes & Petrus ascendentes in Templum, Claudo ex utero matris suæ liberam gradiendi facultatem dederunt. Quo commoti Sacerdotes & Magistratus, Act.4., eos carceri tradiderunt; die tamen sequenti eductis præceperunt, ne ampliùs in nomine Jesu loquerentur. Ipsi tamen responderunt, se teneri magis audire Deum, quàm ipsos. Cùmque nihil territi minis prosequerentur enarrare, quæ viderant & audierant, carceri iterùm cum aliis Apostolis traditi sunt, ac flagellis cæsi; eosque occidissent, nisi à Gamaliele deterriti fuissent. In dispersione Fidelium post necem Stephani, cùm Philippus in Samaria multos baptizasset, illuc Joannes cum Petro missus est; ut eis Spiritum Sanctum darent. Hæc & alia Gesta fusè exposui Cap.1. de S. Petro. Ibi ergo dicta videantur. Solùm advertenda est hæc Joannis cum Petro mutua conjunctio & amicabilis familiaritas: *Hi* (inquit Chrysostomus hom.8. in Acta) *magnam inter se concordiam habere conspiciuntur. Huic innuit Petrus: simul ad sepulchrum ambo veniunt: de Joanne dicit Petrus Christo*,, hic autem quid,,? Simul insuper ad Templum vadunt, simul in Samariam mittuntur. Licèt ætate

dispares, sed in virtutibus & maximè in amore erga Jesum pares. Sic Ambrosius L. 2. de Officiis cap.20.: *Plerumque etiam virtutibus pares, dispares ætatibus, sui delectantur copulâ, sicut delectabantur Petrus & Joannes. Nam adolescentem legimus in Evangelio Joannem, & suâ voce, licèt meritis & sapientiâ nulli fuerit Seniorum secundus; erat enim in eo senectus venerabilis morum, & cana prudentia. Vita enim immaculata bonæ senectutis stipendium est.*

XI. Cùm S. Paulus tertio à sua Conversione anno Jerosolymam venit, nullum alium Apostolorum ibi invenit, præter Petrum & Jacobum Minorem: quo indicatur, nec S. Joannem, nec cæteros Apostolos ibi fuisse. Quò autem tunc ierint, ignoratur. Interfuisse S Joannem Concilio Jerosolymitano, colligitur, tum ex Galat.2. v.9., ubi S. Paulus eum recenset unà cum Petro & Jacobo Minore tanquam Columnas Ecclesiæ, & qui Jerosolymis dexteram societatis ei dederunt. Et Chrysost. homil.33. in Acta advertens, in præfato Concilio solos Petrum & Jacobum fuisse loquutos, ait: *Nihil hìc Joannes, nihil alii Apostoli loquuntur, sed tacent, nec indignantur: sic vana gloriâ vacui animi erant.* Judæorum infirmitati, quantum licuit, circa legalium tolerantiam indulsisse fertur; ideòque in celebri controversia de die Paschatis Asiatici Episcopi, qui contendebant Pascha celebrandum esse 14. Lunâ, potissimùm suæ sententiæ fundamentum ponebant in Joanne, qui illud tali die, non die Dominico sequenti, semper celebraverat. Unde Polycrates Episcopus Asiæ (apud Eusеb. L.4. hist. cap.4.) in Epist., quam ad Victorem, & Romanam scripsit Ecclesiam, inter alios suæ Traditionis testes affert Joannem his verbis: *Præterea Joannes, qui in sinu Domini recubuit: qui etiam Sacerdos fuit, & laminam gestavit, Martyr denique & Doctor extitit. Hic, inquam, Joannes apud Ephesium extremum diem obiit ..... Hi omnes diem Paschæ quartadecimâ Lunâ juxta Evangelium observarunt, nihil omninò variantes, sed Regulam Fidei constanter tenentes.*

XII. Quid S.Joannes egerit, & quò migraverit usque ad Domitiani persecutionem, incertum est. Ea enim, quæ Pseudo-Prochorus de Gestis à Joanne in Asia, præcipuè de Templo Dianæ Joannis virtute prostrato, jure rejiciuntur à Baronio ad ann. 44. num.30. & aliis. Nam Templum Dianæ Ephesiæ (propter quod, ut supra dixi, tanta passus fuit Paulus) permansisse usque ad Gallieni Imperatoris tempora, quando (ut auctor est Julius Capitolinus in Gallieno) à Gothis est expilatum & concrematum. Metaphrastes ad diem 5. Septembris, eum in Phrygia

gia ac præsertim Hierapoli prædicasse, ibique usque ad Philippi adventum permansisse refert. Cæterùm hoc certum putatur, Joannem non semper in Asia permansisse, sed alias Orientis Regiones perlustrasse. Ad Parthos enim transmigrasse (præcipuè propter Judæos ibi expansos) ex titulo ejus primæ Epistolæ olim ad Parthos inscriptæ, ut ex Augustino L.2.Qu. Evangelic. cap.39. colligitur; & ulteriores Orientis partes usque ad Indos & Bassoras Christi Fide imbuisse, ex earum Gentium antiqua Traditione à Patribus Societatis, ad Indos Missionis Evangelicæ causâ profectis, accepimus.

§. III.

Mora S. Joannis in Asia usque ad exilium.

I. Verisimile est, anno Christi 62. vel 63. S. Joannem Jerosolymam se contulisse, ut cum aliis Apostolis novi illius Ecclesiæ Episcopi electioni interesset, qui dignus esset, ut Jacobo Minori Martyrio jam coronato in regimine succederet. Electus autem fuit Simeon Cleopæ filius, seu *Cleophæ*, Jesu Christi consanguineus. Ita refert Eusebius L.3. hist. cap.11.: *Post Martyrium Jacobi, & continuò subsecutam Jerosolymorum expugnationem, fama est, Apostolos cæterosque Domini Discipulos, qui adhuc superstites agebant, ex variis locis in unum convenisse, & unà cum iis, qui Dominum secundùm carnem propinquitate generis contingebant (plerique enim eorum adhuc in vivis supererant) in commune consuluisse, quis in Jacobi locum succedere mereretur. Omnes itaque uno consensu Simeonem filium Cleopæ illius, cujus in Evangeliis fit mentio, Episcopali Sede dignum judicaverunt. Creditur autem Simeon patruelis fuisse Servatoris. Nam Cleopam fratrem fuisse Josephi, testatur Hegesippus.* Hæc multa exhibent discutientienda, quæ ad præsens non pertinent. Hinc solùm arguo, quòd si omnes Apostoli, qui tunc in vivis erant, ad hoc convenerunt, convenit etiam Joannes. Quod tamen an verum sit, alteri judicandum relinquo.

II. Hoc certum est, S.Joannem in Asia Minori Evangelium prædicasse, ibique diù mansisse, præsertim in Urbe Ephesi, ut ex Polycrate apud Eusebium L.5. hist. cap.24. nuper retuli. Ephesum tamen non venisse, ut ibi diù subsisteret, nisi priùs aliis Regionibus pertransitis, & proinde nisi post annum Christi 66., probabile est. Priùs tamen Ephesi fuisse, ibique cum Beata Virgine habitasse, Ephesini Patres testati sunt Actione 1., ubi de

 Civi-

Civitate Ephesina dicunt : *In qua Joannes Theologus, & Deipara Virgo Sancta Maria* (subintellige aliquando habitarunt) quamvis S. Epiphanius hæres.78. hoc non admittat, dicens : *Equidem cùm Joannes in Asiam instituerit profectionem, nusquam dicit Scriptura, quòd adduxerit secum Sanctam Virginem*. Sed de hoc, an B. Virgo fuerit Ephesi, & ibi obierit, egi de Vita Christi.

Mariam quoque Magdalenam S. Joannem secutam Ephesum, & cum eo ibi convixisse, ac denique obiisse, sentiunt Photius Cod. 275., & alii ex Græcis. Latini tamen inter se dissentiunt. Hujus tamen loci non est rem hanc examinare.

III. Sed ut ad incœpta redeam, Joannes toto Orbe doctrinâ effusus, corpore sedem fixit in Asia. Ita Chrysostomus homil.1. modò 2. in Joann.: *Evangelio suo universum comprehendit Orbem, corpore autem mediam tenuit Asiam, ubi olim philosophabantur omnes Græcæ disciplinæ homines*. Præcipuè autem tenuit Ephesum Asiæ Minoris Metropolim: ubi Ecclesiam curavit, non fundavit; jam enim Ephesi, & in aliis Asiæ partibus fundatæ fuerant Ecclesiæ à SS. Paulo & Petro. Ita L.3. cap. 3. : *Sed & quæ est Ephesi Ecclesia, à Paulo quidem fundata, Joanne autem permanente apud eos usque ad Trajani tempora, testis est verus Apostolorum Traditionis*. Neque Ephesinam Ecclesiam curavit & rexit tanquam Episcopus, huic enim ante à Paulo datus fuerat Timotheus; sed tanquam Apostolus Timotheum doctrinâ & auctoritate suâ juvans & muniens. Alioquin monitio seu correctio, quam nomine Dei dirigit ad Angelum, idest Episcopum Ephesi Apocal.2. v.1., *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe*, esset ad se ipsum directa. Sed nec videtur correctio ista directa fuisse ad Timotheum, quasi, Thimotheus à prima Caritate excidisset; nimis severè agendo contra quosdam Pseudo-Apostolos, nempè Nicolaitas: erat enim genio mitis & lenis, & propterea ipsis Judæis acceptus. Undè alii censent, cùm Joannes Apocalypsim scriberet anno 97. Timotheum jam Martyrio fuisse sublatum, & correctionem fuisse ad alium, qui, Timothei Successore nondum destinato, Ecclesiam illam loco Episcopi tunc nimis severè administrabat, nolens tolerare in ea malos. Vide S. August. Epist.43. alias 162. cap.8.. Quidquid autem sit; certum est, primum Ecclesiæ Episcopum in Concilio Chalcedonensi agnitum fuisse Timotheum.

IV. Non latet, S. Hieronymum L.de Script. Eccles. cap.9. de S. Joanne dicere, quòd, *interfecto Domitiano & Actis ejus ob nimiam crudelitatem à Senatu rescissis, sub Nerva Principe rediit Ephesum, ibique usque ad Trajanum Principem perseverans, totas*

totas Asiæ fundavit rexitque Ecclesias : & Tertullianum L. 4. adversùs Marcionem cap. 3., quòd *Ordo Episcoporum* (Asiæ) *ad originem recensus in Joannem stabit auctorem*. Hoc tamen in stricto sensu non est accipiendum. Scimus enim, SS. Petrum & Paulum plures Ecclesias etiam in Asia fundasse, ac in eis constituisse Episcopos; nec dubitari potest, primum Ephesi Episcopum fuisse Timotheum à Paulo constitutum, antequam illuc adventaret Joannes. Accipiendum est ergo potiùs in lato sensu, nimirùm, quòd Joannes non omninò totas, sed pro majori parte Ecclesias Asiæ fundaverit, ac eas, quas jam fundatas invenit, confirmarit ac extenderit opere verbo ac scriptis. Nec aliter esse potuit. Nam cum ibi diù moratus fuerit, imò usque ad mortem, facile est credere, eum in pluribus Ecclesiis Episcopos instituisse, Ecclesiasticum Ordinem sanxisse, ac alia in eis bona promovisse, ac si illas ab initio fundasset: quod nec Petrus nec Paulus, ad alias partes vocati, ex integro perficere potuerunt. Consulatur Eusebius L. 3. hist. cap. 23., ubi narrans, quid in Asia ageret Joannes, maximè post reditum ab exilio, dicit, quòd cùm ex Pathmo Ephesum rediisset, *ad finitimas quoque Provincias rogatus se contulit, partim ut Episcopos constitueret, partim ut Ecclesias integras disponeret ac formaret, partim etiam ut homines sibi à Divino Spiritu indicatos in Clerum quemdam, seu sortem Domini seponeret*.

V. Ex Apollonio Scriptore Ecclesiastico tertii ineuntis seculi, acerrimo Ecclesiæ contra Cataphrygas & Montanistas hæreticos defensore, idem Eusebius L. 5. cap. 18. refert, S. Joannem Ephesi mortuum suscitasse: quod confirmat Sozomenus L. 7. hist. camp. 27.. Quemdam etiam Asiæ Præsbyterum, qui sub nomine S. Pauli falsa quædam ejus itinera cum S. Thecla conscripserat, de falsitate convictum atque confessum, fuisse à S. Joanne gradu depositum, indicat Tertullianus L. de Baptis. cap. 17.; & S. Hieronymus L. de Script. Eccles. cap. 7. apertè his verbis: *Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum refert, Presbyterum quemdam in Asia.... convictum apud Joannem, quòd auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, loco excidisse*.

VI. Ut pro viribus aliquid dicam circa controversiam de tempore, quo S. Joannes venit in Asiam, & præcipuè Ephesum; suppono, eum non semel, sed pluriès venisse, semper tamen post S. Paulum, & Ecclesias ab eo fundatas, ut supra dixi. Primò quidem anno Christi 57.: & tunc fortè comites habuit Beatam Virginem & Mariam Magdalenam, quæ, ut aliqui volunt, ibi

ibi remanserint, ibique obierint. Secundò venisse anno propè mortem Apostolorum Petri & Pauli, Nerone adhuc imperante, & tunc Ephesi perseverasse, donec à Domitiano exilio pulsus Romam ductus fuit. Ita Photius Cod. 254., ubi ait: *Etenim ibi* (Ephesi) *habitavit, naufragium jam ad littus passus, & è mari adhuc spirans ejectus, dum Nero crudelis in Christianos sæviret.* Deinde post exilium Ephesum reversus ibi perseveravit. Ita Photius ibidem: *D. Joannes ab exilio liber venit Ephesum, undè priùs à Domitiano relegatus fuerat.* Non audeo asserere, ante annum Christi 57. S. Joannem in Asiam, & præcipuè Ephesum saltem titulo prædicationis adventasse; ne Paulo præjudicem, cui Patres fundationem Ecclesiæ Ephesinæ, & aliarum quoque attribuunt; sicut & alias in Asia à S. Petro antea fundatas volunt plures. Ubi autem tempore illo intermedio fuerit Joannes, incertum est.

VII. S. Joannem in Asiam venisse speciali Spiritus Sancti instinctu, scribit Epiphanius hæres. 51. cap. 2., ut Cerinthi hæresim & Ebionitarum confunderet, qui in hac conveniebant blasphemia, nimirùm Jesum Christum esse purum hominem. Addebat etiam Cerinthus, Christi Regnum post Resurrectionem terrenum futurum, & homines in carne, concupiscentiis, & fœdis libidinibus subjectam vitam acturos: Quem errorem apud Judæos quoque viguisse constat, qui omnia, quæ à Prophetis de Christi Regno dicuntur, carnaliter intelligebant: quo errore imbuta fuisse videtur S. Joannis Mater, cùm à Christo petiit, ut juberet duos suos filios unum à dexteris, à sinistris alterum sedere in Regno suo. De S. Joanne cum Cerintho hoc narrat Irenæus L. 3. cap. 3., tanquam acceptum à Polycarpo ipsius Joannis Discipulo, nimirùm quòd *Joannes Domini Discipulus in Epheso iens lavari, cùm vidisset intùs Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens: fugiamus hinc, ne balneum corruat, in quo est Cerinthus veritatis inimicus.* Ex quibus Irenæus concludit: *Tantum Apostoli, & horum Discipuli habuerunt timorem, ut ne verbo tenùs communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem: quemadmodùm & Paulus ait ad Titum 3. v. 10.* Hoc factum referunt etiam Epiphanius hæres. 30. cap. 25., & Eusebius L. 3. hist. cap. 28. (ex eodem Irenæo) ubi Cerinthi hæresim ex professo describit.

* * *

§. IV. *Joan-*

§. IV.

Joannis Martyrium Romæ, & Exilium in Pathmos.

I. Dum S. Joannes Ecclesias Asiæ, manens Ephesi, placidè Apostolicâ auctoritate in Fide confirmaret, anno Christi 92. secundùm Baronium & Alexandrum, vel secundùm alios 95., Imperii verò Domitiani anno 15., excitata fuit in Christianos quarta, secunda tamen post Neronianam, in Christianos persecutio, quæ tamen sequenti anno unà cum vita Domitiani finem sortita fuit. De hac Tertullianus in Apologetico cap.5. ad Gentes sic loquitur: *Consulite Commentarios vestros: illic reperietis primùm Neronem in hanc Sectam, tum maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur. Qui enim scit illum, intelligere potest, nonnisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum. Tentaverat & Domitianus portio Neronis de crudelitate, sed qua & homo facilè cœptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat. Tales semper nobis insecutores, injusti, impii, turpes, quos & ipsi damnare consuestis, & à quibus damnatos restituere soliti estis.* Domitiani enim Actis per Senatum rescissis, à Nerva successore restituti fuere, ut dicetur.

De hac etiam Eusebius L.3.hist. cap.17., qui cap. 19 addit, quòd cùm Domitianus universos, qui à Davide generis sui originem ducerent, interfici jussisset, vetus fama est, posteros Judæ ejus, qui secundùm carnem frater Christi fuerat, à quibusdam Hæreticis esse delatos, utpotè qui & Davidis stirpe essent oriundi, & ipsius Christi propinquitate fruerentur. Hæc ab Hegesippo se accepisse, Eusebius testatur. Ex quo cap.20. prosequitur, quòd cùm ad Domitianum à quibusdam delati & adducti essent quidam nepotes Judæ, qui secundùm carnem frater Christi vocabatur, adhuc superstites; Domitianus, qui de adventu & Regno Christi, perinde ac Herodes sibi metuebat, eos interrogavit, utrùm ex stirpe Davidis essent oriundi, qui id verissimum esse confessi sunt: *Deinde sciscitatus est ex illis Domitianus, quantas possessiones, quantùmve pecuniæ haberent. Illi verò, novem tantummodò denariorum millia sibi ambobus suppetere, dixerunt, quorum dimidia pars singulis competebat: eas verò facultates nequaquam se in argento habere, sed in æstimatione agrorum: ex quorum fructibus & tributa persolverent, & sibi ipsis non sine proprio labore victum compararent. Simulque manus ostendere cœperunt,*

runt, duritiem cutis, impressumque altè manibus callum ex laboris assiduitate, in testimonium operis sui proferentes. Postremò interrogati de Christo & Regno illius, cujusmodi id esset & quando, quibusve in locis appariturum: responderunt, non hujus Mundi, nec Terrarum imperium illud esse, sed Angelicum & Cæleste, quod in fine seculorum futurum esset, tunc cùm Christus adveniens cum gloria Vivos simul & Mortuos judicabit, & unicuique operum suorum mercedem tribuet. His auditis Domitianus nihil adversùs illos asperius decrevit, sed vilitatem hominum aspernatus liberos abire jussit: missoque edicto persecutionem adversùs Ecclesiam commotam compescuit. Illos verò ad hunc modum dimissos Ecclesiis posthac præfuisse narrant, utpotè Christi Martyres simul ac propinquos; & pace demum Ecclesiæ reddità ad Trajani usque tempora vitam perduxisse. Hæc Eusebius ex Hegesippo. Quibus videtur, Domitianum hanc excitasse persecutionem ex timore potiùs amittendi Imperii, quàm ex odio Religionis Christianæ; & proindè non solùm contra Christianos, sed & contra Judæos, qui Stirpis Davidicæ quomodolibet essent: & rursùm persecutionem etiam vivente Domitiano mitigari cœpisse.

II. Hâc igitur persecutione vigente, ut idem Eusebius ibid. cap. 18., Joannes Evangelista quorumdam calumniis & ipse apud Domitianum accusatus, ejus jussu Ephesо exulare coactus fuit, ac Romam ductus. Quinam fuerint Joannis calumniatores, incertum est. Baronius ad ann. 92. num. 1. fuisse putat sive Apollonium Tyanæum, quem in Christianos fuisse infensissimum, omnes norunt; sive Euphratem Philosophum Apollonii pernecessarium, tunc apud Domitianum agentem, his officiis assuetum; aut Ebionem hæresiarcham, cum quo præcipuè rem habebat Joannes, tum Romæ præsentem; vel quem alium Christiani nominis hostem. Feruntur quædam Epistolæ Domitiani, & Proconsulis Asiæ ultrò citròque, datæ de Joanne impietatis reo constituto Romam mittendo, deque ejus Gestis coram Domitiano. Sed quia auctorem præferunt Prochorum, fide in multis suspectum, nihil certi ex iis asseri potest.

III. Hoc, quamvis ab eodem auctore prolatum, quia tamen aliis magnæ auctoritatis Scriptoribus comprobatum, ut certum propono, nimirùm Joannem Romæ in ardentis olei dolium seu caldarium fuisse immissum, ac inde nullam læsionem passum, incolumem prorsùs evasisse. Hujus prodigiosi facti testes sunt, Tertullianus L. de præscript. cap. 36. his verbis: *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præstò est. Statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt; ubi Pe-*

Petrus Passioni Dominicæ adæquatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum demersus nihil passus est, in Insulam relegatur. Testis est S. Hieronymus; tum L.1. contra Jovin., ubi: *Refert autem*, inquit, *Tertullianus, quòd Romæ* (estò alii legant *à Nerone*, quod ex dictis falsum esse constat) *missus in ferventis olei dolium, purior & vegetior exiverit, quàm intraverit*: tum in Cap. 20. Matth., ubi ait: *Si legamus Ecclesiasticas Historias, in quibus fertur, quòd & ipse propter Martyrium sit missus in ferventis olei dolium, & inde ad suscipiendam Coronam Christi Athleta processerit, statimque relegatus in Pathmos Insulam sit, videbimus Martyrio animum non defuisse, & bibisse Joannem calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licèt persecutor non fuderit sanguinem*. Testatur Ecclesiæ Traditio in Martyrologiis Bedæ, Usuardi, Adonis, & in Romano, ubi die 6. Maji hæc habet: *Romæ Sancti Joannis ante Portam Latinam, qui ab Epheso jussu Domitiani vinctus Romam perductus, & judicante Senatu ante eandem Portam in olei ferventis dolium missus, purior & vegetior inde exiit, quàm intravit*: quibus videtur supponi, hoc præsente Senatu factum esse; cujus miraculi in perpetuum monumentum extat adhuc Romæ Ecclesia sub eo titulo, in qua aliqua instrumenta dicti Martyrii asservantur, & Festus dies 6. Maji in universa Ecclesia celebratur.

IV. Hinc apparet, ut supra dixi ex Hieron. in cap. 20. Matth., impletum fuisse, quod ei & Jacobo fratri prædixerat Christus: *Calicem quidem meum bibetis*. Joannes enim etiam bibit Calicem Passionis: licèt enim Martyrium, seu effectus Martyrii, ei defuerit, ipse tamen Martyrio non defuit, cui se animo paratum exhibuit ac subjecit, non minùs quàm tres Pueri camino ignis. Undè Eusebius L.3. hist. cap.31. S. Joannem Apostolum Martyrem & Doctorem appellat: *Non enim* (inquit August. Serm. 106. de diversis, modò Serm. 296. cap.4.) *quia Joanni Apostolo passio defuit, ideò passioni animus præparatus deesse potuit. Non est passus, sed potuit pati. Præparationem enim ejus Deus noverat. Quemadmodùm tres pueri arsuri missi sunt in caminum, non victuri. Negabimus eos Martyres, quia flamma eos urere non potuit? Interroga ignes, passi non sunt: interroga voluntatem, coronati sunt*; „ Potens est enim Dominus, *dixerunt* eruere nos de manibus tuis: sed etsi non: *Ibi sunt certa pectora & stabilis Fides, ibi virtus inconcussa, ibi certa victoria*; sed etsi non, Notum tibi sit, Rex, quoniam Statuam, quam statuisti, non adoramus„ (Daniel. 3. v. 17. & 18.) *Aliud Deo placuit: non arserunt, sed ignem Idololatriæ in animo Regis extin-*

extinxerunt. Sicut ergo Infantes ab Herode occisi Martyres fuit, quia passi sunt corpore, estò non voluntate. Ita Joannes Martyr erit, quia voluntate passus est, estò non opere.

V. E' ferventis olei dolio incolumis, stupentibus qui aderant, S. Joannes à Domitiano in Insulam Pathmos relegatus fuit; & quidem, ut sentiunt S. Victorinus Episcopus Pictaviensis & Martyr sub Diocletiano, & Primasius celebris in Africa Episcopus sexto seculo in suis super Apocal. Commentariis, ad metalla damnatus: quod ordinarium supplicium erat eorum, qui vulgaris conditionis exilio mulctabantur. Hoc tamen, an verum fuerit de Joanne, statuere non audeo: maximè quia scripta S. Victorini à Gelasio Papa inter apocrypha recensentur, ut ex Baronio in Notis ad Martyr. die 2. Novembris. Pathmos verò Insula est Maris Ægei inter Sporades media inter Icariam & Promontorium Mileti, 23. sive 30. milliaria ambitu exæquans, quæ nullâ majori gloriâ fulget, quàm quòd Apostolum exulem habuerit, unde in ea adhuc ostenditur antrum, ubi à Joanne scripta Apocalypsis fertur.

VI. Circa tempus, quo S. Joannes mansit exul in Pathmos, discordes invenio historicos. Baronius anno 92. vult eo anno, qui fuit Domitiani nonus, in Pathmos eum fuisse amandatum. Nec tamen statim eam, quam scripsit Apocalypsim, accepisse, sed solùm ad finem Imperii Domitiani eam vidisse; motus ex eo, quod Irenæus dicit L. 5. cap. 30., ubi loquens de Apocalypsi, ait: *Neque enim ante multum temporis visum est, sed penè sub nostro seculo ad finem Domitiani Imperii*; hoc autem medio tempore incubuisse Joannem instruendis in Christi Fide illis Insularibus. Vult ergo idem Baronius, quòd solùm anno Christi 97., & Domitiani 14., Apocalypsim acceperit & scripserit, & proinde anno sui exilii quinto. Et hoc eodem anno occiso Domitiano, & successore Nervâ, Joannes ab exilio revocatus reversus est Ephesum. Ita Baronius ad annum 97. num. 13.. Alii volunt, S. Joannem solùm anno Christi 95., & Domitiani 14., in Pathmos relegatum fuisse, & anno 97. ab exilio revocatum fuisse; sive à Domitiano ipso, qui à persequendo Ecclesiam destitit, omnesque exules revocavit. Ita Tertullianus Apolog. cap. 5. dicens: *Tentaverat & Domitianus portio Neronis de crudelitate, sed qua & homo, facilè captum repressit, restitutis etiam quos relegaverat*: sive, ut verius videtur, ab ejus successore Nerva; cùm enim Domitianus anno 96. mense Septembri occisus fuisset, ejusque Acta à Senatu rescissa, Nerva Joannem ac cæteros exules liberavit. Quo fieret, ut vix duobus annis in Pathmo Joannes manse-

ferit. Favet S.Hieronymus L. de Script. Eccles. cap. 9. his verbis: *Quartodecimo igitur anno, secundam post Neronem persecutionem movente Domitiano, in Pathmos Insulam relegatus scripsit Apocalypsim* (quartusdecimus autem Domitiani annus incidit in annum Christi circa 95.) *interfecto autem Domitiano* anno 96. *& Actis ejus ob nimiam crudelitatem à Senatu rescissis, sub Nerva Principe redit Ephesum*. Idem sentit Eusebius L.3.hist. cap. 23.: *Post Domitiani mortem reversus ab exilio, quod in Insula pertulerat*: quod antea cap.20. dixerat. Et hæc opinio apud plerosque Recentiorum videtur plausibilior.

VII. Postliminio igitur S. Joannes revocatus, in Urbem Ephesum rediit, ibique, eam aliasque Asiæ Ecclesias in Fide confirmans, ad finem usque vitæ suæ permansit. Ideò autem rediit, quia ibi parvum hospitium habebat, & quia diuturnâ in ea Urbe morâ multos sibi benevolos comparaverat. Ferunt, quòd cùm Ephesum pervenisset, Timotheum illius Urbis Episcopum Martyrio sublatum eodem anno 22. Januarii repererit. Acta Martyrii Timothei dicunt, eum, ut desiderio & precibus Episcoporum qui apud Ipsum erant annueret, illius Ecclesiæ curam suscepisse, eamque ad Trajani imperium gubernasse: sed si ita esset, fieret, ut correctiones & minæ, quas Dei jussu fecit in Angelum idest Episcopum Ephesi Apoc.2., ipsum percuterent: quod non videtur probabile. Nisi fortè dicatur, eas directas esse ad eum, qui post Timothei mortem, antequam ipse eam susciperet, pro eo temporis intervallo eam regebat. Sed etiam hic multa difficilia sunt. Volunt aliqui, S.Joannem Apocalypsim recepisse quidem dum esset in Pathmos, eam tamen Ephesi scripsisse & vulgasse.

VIII. De Libro Apocalypsis, ejusque in Ecclesia auctoritate, egi in Tomo 1. Verit. Relig. Christ. tract. de Auctoritate Lib. Relig. Christ. cap 3. §.7., ubi ostendi, quòd licèt olim ab aliquibus de ejus auctoritate fuerit dubitatum, sanior tamen etiam Antiquorum pars illum ut Divinum in Canonem recepit, quod modò apud omnes etiam Hæreticos exploratum est: ideòque inter Libros Sacros, estò non Proto-Canonicos, Deutero-Canonicos tamen seu secundi Ordinis recensetur. Videat ergo studiosus quæ ibi dixi, ne eadem inutiliter repetam. Hoc sanè Heterodoxi moderni abutuntur, ad Papam ejusque asseclas omnia, quæ in eo prædicuntur Ecclesiæ & Sanctis, trahentes, eumque impudentissimè blasphemantes, quos contemnere satius est quàm impugnare. Inter ejusmodi adest *Paraphrasis Apocalypseos* sub Jacobi Britanniæ Regis nomine à Jacobo Montacuto

cuto Winthoniensi Episcopo edita, opus Christiani Regis nomine indignum. Sed adversùs Petrum, ejusque in Cathedra Successores clament quantum velint, eique ruinam minitentur Hæretici, firmum semper stabit Christi promissum: *Et portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam.*

§. V.

Latronem Joannes convertit.

I. PRætereunda non est celebris Historia, quæ de S. Joannis caritate amplum exhibet testimonium. Eam refert Eusebius L.3. hist. cap.23, ut ex Clementis Alexandrini Libro inscripto: *Quisnam Dives salutem possit consequi* (qui fortè excidit) haustam, quam iisdem Eusebii terminis subjiciam: *Cùm post obitum Tyranni ex Insula Pathmo Ephesum rediisset Joannes, ad finitimas quoque Provincias rogatus se contulit, partim ut Episcopos constitueret, partim ut Ecclesias integras disponeret ac formaret, partim etiam ut homines sibi a Divino Spiritu indicatos in Clerum quemdam seu sortem Domini seponeret. Cùm ergo ad quamdam Urbem venisset haud longè dissitam à Civitate Ephéso, cujus etiam nomen à nonnullis refertur, Fratresque suis sermonibus consolatus fuisset, ad extremum viso juvene quodam structura corporis egregio, vultu non invenusto, & fervente indole prædito, conversus ad eum, quem ordinarat Episcopum, Hunc, inquit, coram universa Ecclesia & sub testimonio Christi studiosè tibi commendo. Cùm verò Episcopus eum juvenem suscepisset, & curæ sibi imposterum fore polliceretur; iterùm Joannes eadem, quæ priùs, mandare & contestari non destitit. Post hæc Joannes quidem Ephesum regressus est; Presbyter verò adolescentem sibi traditum in domum suam suscipiens educavit, fovit, atque continuit: tandemque Sacramentum Baptismi eidem tradidit. Deinceps Sacerdos de pristina cura atque custodia paulatim remisit, quippè cùm perfectissimo custode apposito, Christi videlicet signaculo* (Confirmationis) *juvenem communisset.*

II. *Illum ergo præmaturá, potitum libertate, æquales quidam sibi adjungunt desides ac dissoluti, & flagitiis omnibus assuefacti. Ac primùm quidem magnificis conviviis adolescentem illiciunt; noctu deinde ad spoliandos obvios egressi, secum illum adducunt: inde ad majorum scelerum societatem cohortantur. At ille sensim assuescebat pravitati, & tanquam generosus & effrænis æquus à recto tramite abreptus, ac frænum commordens, quanto majore animi indole præditus erat, tantò acriùs in præceps ferebatur. Postremò abjectâ spe salu-*

salutis, quam in Deo posuerat, nihil jam mediocre animo designabat, sed grandi aliquo scelere perpetrato, quandoquidem jam de salute sua penitus desperaverat, parem cum cæteris pœnam subire dedignabatur. Assumtis igitur illis ipsis sodalibus, & instituto Latronum collegio, ipse promto animo dux eorum effectus, violentiá cædibus atque atrocitate cæteros superabat.

III. *Aliquanto post tempore, cùm negotii cujuspiam necessitas incidisset, iterùm in eam Urbem accitus est Joannes; qui cùm venisset, & cuncta, quorum gratiá advenerat, ordinasset: Agedum, inquit, Episcope, redde nobis depositum, quod ego & Christus tibi commendavimus, sub testimonio Ecclesiæ, cui præsides. Ad hæc Episcopus, primò quidem mirari, cùm existimaret pecuniam, quam non accepisset, à se per calumniam repeti; & sicut adhibere fidem non poterat reposcenti ea, quæ minimè haberet; ita nec Joanni diffidere audebat. Sed ubi Joannes Juvenem, inquit, & animam Fratris deposco; tunc Senex, demisso vultu suspirans atque illacrymans, ait, mortuus est. Quomodò, inquit Joannes, & quo mortis genere? Deo mortuus est, ait ille; malus quippe evasit & perditus, & ad extremum latro. Itaque nunc pro Ecclesia montem occupavit cum suis simillimis commilitonibus.*

IV. *His auditis Apostolus, scissâ veste, & cum ingenti gemitu caput feriens: Bonum, inquit, animæ Fratris custodem reliqui. Sed jam equus mihi præstò sit, & ductor itineris. Inde ab Ecclesia, itaut erat, profectus, conscenso equo properavit. Cùmque ad locum venisset, ab iis, qui excubias agebant latronibus capitur: non ille fugam parans, nec veniam deprecans, sed vociferans; ad hoc ipsum veni, deducite me ad ducem vestrum. Is verò ut erat armatus interim expectabat. Sed ubi accedentem propiùs agnovit Joannem, præ pudore in fugam se convertit. At Joannes concito cursu hominem persequi instituit, oblitus ætatis suæ, identidem clamans: Quid me patrem tuum fugis, fili, inermem & senem? Miserere mei, fili: noli timere: adhuc superest tibi spes salutis. Ego pro te satisfaciam Christo. Tuâ causâ mortem libenter excipiam, quemadmodùm Dominus pro nobis mori sustinuit. Animam meam pro tua vicariam dabo. Sta modò, & mihi crede; a Christo missus sum.*

V. *His ille auditis, primùm quidem vultu in terram demisso substitit: deinde armis abjectis, tremens in lacrymas effusus est. Et accedentem Senem complexus, gemitu ac lamentis quantùm maximè poterat, veniam rogabat, & lacrymis quasi altero quodam Baptismo expiabatur, solam dextram occultans. Tum Apostolus spondens, ac dejerans, se veniam ipsi à Servatore impetravisse, oransque, ac in genua provolutus, ad dextram ipsam juvenis, utpotè pœni-*

nitentiâ expurgatam deosculans, ipsum in Ecclesiam reduxit. Exinde partim crebris orationibus Deum deprecans, partim continuatis unà cum juvene jejuniis simul decertans, omnibus denique verborum illecebris animum ejus demulcens, non priùs abscessit, quàm illum Ecclesiæ restituisset, magnumque sinceræ pœnitentiæ exemplum, & iteratæ regenerationis ingens documentum, & conspicuæ resurrectionis trophæum omnibus ostendisset. Hactenus Eusebius.

VI. Hoc factum plura nobis observanda proponit. Primum Episcopi illius, cui adolescentis cura à Joanne demandata fuerat, desidia ac negligentia monet sacros Ministros, ut in animarum sibi commissarum curâ vigiles sint ac solertes, ne si eorum negligentiâ pereant, eas de manu eorum Deus requirat, ut comminatur Ezechiel. 34. v. 10.: *Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem, nec pascant ampliùs pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam*.

VII. Secundum: In Adolescente isto, qui licèt benè educatus ac instructus, & signaculo Christi munitus, ex communione tamen cum perditis, citò ipse perditissimus evasit; discere debent maximè juvenes, sibi etsi benè educatis pravorum consortium & familiaritatem fugiendam esse, memores illius Psal. 17. v. 27.: *Cum perverso perverteris*, & 1. Cor. 15. v. 33.: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*.

VIII. Tertium: In Joanne adeò de salute illius Juvenis sollicito, ut sine mora, nullà habitâ ratione ætatis, relictâ Ecclesiâ, ad eam procurandam cucurrerit, lacrymis & amplexibus perditi Juvenis cor emollierit, ad pœnitentiam flexerit, & ad Ecclesiam gaudens reportarit. Quis non videat ad praxim revocata exempla, quæ proposuit Christus Lucæ 15. tum v. 4. de eo, qui habens centum oves, si perdiderit unam ex illis, dimittis nonaginta novem, vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam, *& cum invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum convocat amicos & vicinos, dicens illis: congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat?* tum v. 15. de Patre erga filium paternæ domus desertorem, & vivendo luxuriosè totius substantiæ suæ dissipatorem, qui cùm illum vidisset à longè venientem misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus & osculatus est eum? Quis, inquam, non videat, Joannem dilectum Discipulum hic monita Magistri sui imitatum fuisse?

IX. Quartum: Tandem in isto juvene à statu perditionis ad statum salutis subitò revocato, omnes etsi perditæ vitæ collige-

re

re possunt, nemini de sua salute desperandum, si Gratiæ vocanti respondere velit. Hinc Chrysostomus L. 1. ad Theodorum lapsum, qui ab Ecclesiastico Statu ad secularia negotia lapsus erat, & insuper profanis amoribus irretitus, cum quadam puella, quam deperibat, nuptias inire tentabat, ut eum à lapsu deterreat, eique ostendat non esse difficilem ad pristinam virtutem reditum, inter alia hujus Adolescentis factum proponit, dicens: *Quæ vero pertinent ad juvenem illum, qui antea Discipulus Joannis filii Zebedæi fuerat, postea autem longo tempore latronum dux fuit, deinde sacris beati Viri manibus captus, à recessibus & speluncis Latronum ad pristinam virtutem, ipse non ignoras, sed non minùs quàm nos hæc omnia probè nosti, teque sæpiùs audivi admirantem illius mansuetudinem, quòd cruentam antea dexteram exosculatus sit, hærens in amplexu adolescentis, sicque illum ad priora reduxerit*. Quibus etiam ostendit, faciliùs à peccato retrahi animas suavitate, quàm asperitate & rigore.

X. De Adolescente præfato Ruffinus, vertens ea quæ dicit Eusebius, ait, Apostolum ei gubernium Ecclesiæ postea tradidisse, *cùm eum etiam Ecclesiæ præficeret*: quam interpretationem aliqui secuti sunt: sed hæc lectio admittenda non est; fuisset enim nedum singulare, sed directè oppositum Disciplinæ, quam ex ipsis Apostolis traxit Ecclesia, quæ nunquam passa fuit, ut ad dignitates Ecclesiastici Clericatus elevarentur il, qui propter crimina post Baptismum commissa pœnitentiæ obligati fuissent. Joannes juvenem post pœnitentiam in Ecclesiam quidem recepit, sed Ecclesiæ nullo modo præfecit.

§. VI.

Scribit Evangelium & Epistolas.

I. De Evangelio S. Joannis egi Tom. 1. de Ver. Relig. Christ. Tract. de Auctorit. Lib. cap. 1. §. 5., ubi dixi, non esse adeò certum, quo loco & tempore illud scripserit, quibusdam & præsertim Veteribus, ut Irenæo Lib. 3. cap. 1., volentibus illud scripsisse Ephesi, & quidem post reditum è Pathmo, ut Epiphanius hæres. 51.; aliis verò, inter quos est auctor Synopsis Athanasianæ, putantibus, illud scripsisse, dum adhuc in Pathmo exularet, & illud post reditum Ephesum solum publicasse, quæ opinio apud recentiores Græcos plausibilis est; quam quidam Latinorum non refugiunt. Probabilior tamen sententia est, post reditum e Pathmo illum nedum evulgasse sed & scripsisse: illud enim

enim scripsit rogatu tum Discipulorum, ut scribit Eusebius Lib. *6.* hist. cap. 14., tum omnium Episcoporum Asiæ, ut ait, Hieron. in prologo sup. Matth. & Lib. de Script. Eccl. cap. *9.*: quod signum est, eum scripsisse in Asia & Ephesi. Egisse autem S. Joannem, cùm Evangelium scripsit, annum ætatis nonagesimum & supra, scribit S. Epiphanius loco laudato.

II. Causas, quibus moti Asiæ Episcopi ejusque Discipuli rogarunt Joannem, ut tribus jam editis Evangeliis suum, & quartum adderet, dixi citato loco ex S. Irenæo Lib. *3.* cap. 11., Hieronymo de Script. Eccl. cap. *9.*, & Eusebio Lib. *3.* hist. cap. 24. fuisse duas: unam, contundere Cerinthi & Ebionis hæresim, negantium, Christum ante Mariam fuisse, adeòque esse purum hominem asserentium, & non Deum; & propterea Joannes in sui Evangelii initio & progressu, totus est in ostendenda Christi Divinitate, ubi alii de eo tanquam homine locuti fuerant: alteram, ut suppleret ea, quæ alii tres Evangelistæ de Christi gestis omiserant, nimirùm ea, quæ duobus primis annis suæ prædicationis Christus gesserat. Ita prælaudati auctores. Unde S. August. Lib. 1. de Cons. Evang. cap. 4., & Tract. *36.* in Joan. *Cæteri,* inquit, *tres Evangelistæ tamquam cum homine Domino in terra ambulabant, de Divinitate ejus pauca dixerunt: istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solùm super terram, & super omnem ambitum aeris & cæli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum, & pervenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo* „ In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil „ *Huic tantæ sublimitati principii etiam cætera congrua prædicavit, & de Domini Divinitate quomodò nullus alius est locutus. Hoc ructabat, quod biberat. Non enim sine causa de illo in isto ipso Evangelio narratur, quia & in convivio super pectus Domini discumbebat. De illo ergo pectore in secreto bibebat: sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit, ut perveniat ad omnes Gentes, non solùm Incarnatio Filii Dei & Passio & Resurrectio; sed etiam quid erat ante Incarnationem Unicus Patri, Verbum Patris, coæternus Generanti, æqualis ei, à quo missus est; sed in ipsa missione minor factus, quo major esset Pater.* His sublimitatem Evangelii Joannis super cætera tria celebrat Augustinus.

III. Non tamen hoc insigne Opus Joannes statim aut sponte aggressus est, suâ renitente humilitate. Ut enim ait Eusebius L. 3. hist. cap. 24.: *Admirabiles illi prorsùsque Divini Apostoli Ser-*

Servatoris nostri, cùm essent vitâ quidem & moribus castigatissimi, & omnibus virtutibus ornati, sermone autem ipso rudes essent atque inculti; freti Divina atque mirifica virtute ipsis à Servatore concessa, artificioso verborum ornatu Magistri sui præcepta exponere, neque noverant, neque item conabantur: sed adjuvantis ipsos Spiritus Sancti demonstratione & virtute Christi, quæ per ipsos plurima perpetrabat miracula, tantummodò utentes, notitiam Regni Cælorum tantummodò nuntiabant. Neque curæ illis erat libros scribere, quippè qui longè præstantiore ministerio & supra humanas vires posito fungerentur. Deinde ponit exemplum Pauli, qui licèt Divina ac innumera mysteria exponere potuerit, tamen præter paucissimas Epistolas nihil scriptum reliquit, & cæteri Apostoli præter Matthæum & Joannem nihil scripserunt. Hæc afferre volui, ut appareat quod alibi fusè contra modernos Heterodoxos ostendi, nimirùm Apostolos habuisse quidem à Christo mandatum prædicandi Evangelium, non autem scribendi; & qui scripserunt, necessitate quâdam impulsos hoc fecisse.

IV. Hoc eodem consilio S. Joannes ad scribenda mysteria, quæ prædicabat, ægrè inducebatur: sed cùm aliqua in scriptis à tribus prioribus Evangelistis omissa essent, eaque ad Fidem de Christi Divinitate, quæ tunc impugnabatur, aliaque ejusdem Gesta plenè dignoscenda, necessaria, rogantibus amicis & Asiæ Præsulibus, & Sancto Spiritu eum movente, ad scribendum Evangelium adductus est. Nec tanto operi manum apponere voluit, nisi priùs à tota Ecclesia per jejunium lumine à Deo implorato. Rem totam narrat Hieronymus in prologo Comment. in Matth. his verbis: *Is* (Joannes) *quum esset in Asia, & jam tunc Hæreticorum semina pullularent Cerinthi Ebionis & cæterorum...., coactus est ab omnibus penè tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus, de Divinitate Salvatoris altiùs scribere, & ad ipsum (ut ita dicam) Dei Verbum non tam audaci quàm felici temeritate prorumpere. Et Ecclesiastica narrat Historia, quum à Fratribus cogeretur ut scriberet; ita facturum se respondisse, si indicto jejunio, in commune omnes Deum precarentur: quo expleto, revelatione saturatus, in illud proœmium Cælo veniens eructavit*, „ In principio erat Verbum &c. Hoc exemplo omnes, qui Sacra scribere, & mysteria tractare aggrediuntur, monentur, quomodò se gerere, quid præmittere debeant, ut opus & feliciter inchoent & feliciter perficiant.

V. Non igitur mirum est, si Joannis Evangelium, licèt posteriùs tempore, dignitate tamen præcipua Scripturæ pars habeatur; omnesque Patres in eo specialiter celebrando conspirent.

Illud enim fuisse scriptum, ait S. Paulinus Epist.21. aliàs 24. ad Amandum, *Quasi columna firmamentum adjiceret fundamentis Ecclesiæ, priores Evangelii Scriptores consona auctoritate confirmans, ultimus auctor in libri tempore, sed primus in capite Sacramenti*. Addens quòd Joannes transcendit Moysen, qui usque ad Caput Mundi & visibilium Creaturarum exordia scientiæ terminos extendit. Iste & Evangelistis cæteris altiùs volans penetravit & Cœlos, & omnes Creaturas etiam spirituales & supremas transgressus, in ipsum se Creatorem arduâ mente direxit, & ab illa ineffabili Generatione ordiens, Unicum Dei Filium Patri coæternum apud eum detexit & nuntiavit. Quare S. August. Lib.1. de Conf. Evang. cap.6. observans, ex aliis tribus Evangelistis unum in leone, alium in homine, alium in vitulo figurari, ait: *Hæc autem animalia tria sive Leo sive Homo sive Vitulus in terra gradiuntur; unde isti tres Evangelistæ in his maximè occupati sunt, quæ Christus in carne operatus est, & quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit. At verò Joannes super nubila infirmitatis humanæ velut Aquila volat, & lucem incommutabilis veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur*. Hæc Augustinus: quæ repetit Tract.36. in Joann.

VI. Nec soli tamen Christiani sed & ipsi Philosophi ipsum initium Evangelii Joannis: *In principio erat Verbum* &c. legentes, demirabantur. Undè S. Augustinus L.1. de Civit. Dei c.29. refert: *Quòd initium Sancti Evangelii, cui nomen est secundùm Joannem, quidam Platonicus, sicut à Sancto sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiæ præsedit Episcopus, solebamus audire, aureis litteris conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat*. Alius etiam Platonicus (apud Eusebium L.11. Præpar. Evang. cap.19.) nomine Amelius, qui circa finem tertii seculi vixit, in iis, quæ de Verbo Dei dicit, Joannem laudat, etsi eum *Barbari* nomine appellat. Sic enim ex Heraclito dicebat: *Atque hoc planè Verbum erat, per quod sempiternum cùm esset, existebant omnia quæ fiebant; quemadmodùm Heraclitus loqueretur: quòd ipsum videlicet Barbarus etiam ille apud Deum in Principii gradu ac dignitate constitutum, imò & Deum simul esse pronuntiat: per quod facta simpliciter omnia sint, in quo quidquid factum est, & vivens, & vita, & aliquid pro sua quoque natura fuerit: idem porrò in corpora delabi tradit, & carne indutum humanam speciem præseferre, sic tamen, ut suæ in terra naturæ majestatem ostendat: adeòque solutum ubi jam fuerit, Dei locum denuò capessere, ac Deum prorsùs eumdem esse, qui erat, priusquàm in corpus hominemque descenderet*. Hæc Amelius.

lius. Undè Eusebius: *Quæ*, inquit, *profectò non jam subobscurè adumbrata, sed palàm, nudáque, quod ajant, fronte ex illa barbari hominis Theologia translata esse nemo non videt. Barbarus autem ille, quem vocat, ecquis porrò fuit, nisi Joannes Servatoris nostri Evangelista, qui Hebræus ex Hebræis erat? Cujus hæc est ipso statim Evangelii sui exordio Theologia*. „ In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. „ Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Et vidimus gloriam ejus, quasi Unigeniti à Patre „. His ostendere conatur Eusebius, Joannis doctrinam in Evangelio de Verbo Dei facto carne sapientum Græcorum doctrinæ non repugnare, imò ab eis probari.

VII. Hinc factum est, ut sententia Joannis de Verbo in sui Evangelio, si vel ab ipsis Platonicis & Græcis Philosophis probata fuerit, multò magis ab Ecclesiis Catholicis quovis seculo recepta, ejusque Evangelium eam continens à nullis unquam nisi ab Hæreticis repudiatum, quales fuerunt *Alogi* secundo seculo, sic dicti quasi *sine Verbo*, seu *carentes Verbo*, de quibus S. Augustinus L. de hæres. cap. 30.: *Alogi*, inquit, *propterea sic vocantur, tanquam sine Verbo* (Logos *enim græcè Verbum dicitur*) *quia Deum Verbum recipere noluerunt, Joannis Evangelium respuentes, cujus nec Apocalypsim recipiunt, has videlicet Scripturas negantes esse ipsius*. Ubi nota, non ausos fuisse Joanni refragari: *Pudet enim* (ait Epiphanius in Panario Lib. 2. hæres. 31. num. 3.) *B. Joanni contradicere; quòd & ipsum inter Apostolos fuisse numeratum & à Domino præcipuè dilectum non dubitent, qui & sacra mysteria pro rei dignitate patefecit, & supra Domini pectus incubuit. Quare aliam damnandorum Apostoli Scriptorum causam commenti sunt. Negant hæc Joannis, & Cerintho tribuunt*. Sed hic se cæcos esse produnt, subdit Epiphanius: *Qui enim fieri potest, ut hæc à Cerintho scripta sint, quæ Cerintho potissimùm repugnant? Hic enim recentem ac nudum hominem esse Christum asseruit. Contra Joannes perpetuò fuisse Verbum, atque è Cœlo delapsum & carnem esse factum pronuntiat*.

VIII. In Evangelio Joannis revocata olim in dubium fuit historia de Muliere Adultera, quasi absit ab antiquioribus & purioribus exemplaribus, inter quos, ut refert Sixtus Senensis Lib. 1. Biblioth. Sanct., fuit Euthymius Monachus Græcus 12. seculi in Comment. cap. 8. Joannis; propterea volens, nullum eam esse interpretatum. Quod quidem de Chrysostomo,

Origene, Cyrillo, Alexandrino, Nonno, & Theophylacto verum est. Alii tamen, ut Ambrosius, Augustinus, & alii eam ut genuinam Evangelii Joannis partem agnoscunt, ut dixi To.1. de Verit. Relig. Christ. de Auctorit. Lib. cap.3. §.8. num.60., quæ studiosus adire poterit.

IX. Præter Evangelium tres quoque Epistolas Joannes scripsit. De prima, ut ostendi citato loco cap.2. §.2. n.25., numquam dubitatum fuit; sapit enim planè Joannis stylum, ut apud Eusebium L.7. hist. cap.25. demonstrat Dionysius Corinthius. Undè inter Proto-canonicas est recensenda, etiam quoad illa verba: *Tres sunt qui testimonium dant in Cælo*, ut ibi probavi n.26.

X. De secunda & tertia dubitatum olim fuit, an essent Joannis, ut dixi citato loco cap. 4. §.4.; utramque tamen ceù legitimum Joannis fœtum, & ut Canonicam Veteres agnoverunt, & ut Canonicam suscepit & suscipit Ecclesia, ut ibi ostendi, & rationes dubitandi solvi. Secunda creditur data ad quamdam Matronam nomine *Electam*. Quamvis autem voluerint aliqui, hoc nomen Electa non fuisse nomen personæ, sed vel nomen gentilitium vel nomen honoris, communiùs tamen creditur fuisse nomen proprium personæ: multò minùs nomen alicujus Ecclesiæ, ut aliqui autumant. Tertia ad quemdam Cajum data est, quem aliqui putant fuisse unum ex Discipulis S. Pauli hujus nominis, quo etiam usum fuisse S. Joannem, ut annuens in conscribendo Evangelio, censet Athanasius in Synopsi. In hisce duabus Epistolis nomen Apostoli non assumit, sed Senioris, quia non sunt ad aliquam Ecclesiam directæ, sed ad particularem personam amicitiæ titulo. Vocat autem se Seniorem ratione ætatis, longævus enim erat cùm eas scripsit. Adderem, Joannem se Apostolum non nominasse ex humilitate. Nam nec in prima, quam ad Parthos scripsit Epistola, imò nec in toto suo Evangelio unquam se Apostolum, sed semper Discipulum nuncupat. Cætera, quæ de his tribus Epistolis agitari solent, videantur locis supra citatis.

§. VII.

Joannis Mors. Quid de opposita opinione?

I. QUia, ut ait S. Hilarius L.10. de Trinit., Joannem non elegerat Christus ad Fidem Martyrio firmandam, sicut Petrum & Jacobum, sed verbo & prædicatione; ideò ipsum ad extremam usque senectutem perduxit. Adeò ut in extre-

tremis suæ vitæ diebus, cùm se ipso pergere ad Ecclesiam ampliùs non posset, inter Discipulorum brachia ad eam deferretur: & cùm non posset ampliùs longo sermone disserere, non aliud in ore haberet, nisi ut se Discipuli mutuò diligerent. Ita S. Hieronymus in Caput. 6. ad Galat. his verbis: *Beatus Joannes Evangelista, quum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, & vix inter Discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocum verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc, Filioli, diligite alterutrum. Tandem Discipuli & Fratres, qui aderant, tædio affecti, quòd eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quarè semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Joanne sententiam: Quia præceptum Domini est; & si solùm fiat, sufficit.*

II. Eum usque ad Trajani tempora Ephesi moratum fuisse testantur Irenæus L. 2. cap. 39. modò 22., & L. 3. cap. 3., Eusebius L. 3. hist. cap. 23., & Hieronymus de Script. Eccles. cap. 9.; Trajanus autem Nervæ successit anno 98. ineunte. Sub ejus Imperii anno tertio Eusebius in Chronico putat, S. Joannem Ephesi placidè obiisse, Trajano & Frontonio tertiò Consulibus, qui fuit annus 68. post Christi mortem, & Christi 101. Cùmque Joannes sex aut septem annis ætate minor Christo fuerit, fit ut nonagesimum quartum annum ageret, quando mortuus fuit. His consentire videtur S. Hieronymus de Script. Eccles. cap. 9., ubi ait: *Interfecto autem Domitiano, & Actis ejus ob nimiam crudelitatem à Senatu rescissis, sub Nerva Principe rediit Ephesum: ibique usque ad Trajanum Principem perseverans totas Asiæ fundavit rexitque Ecclesias; & confectus senio sexagesimo octavo post Passionem Domini anno mortuus, juxta eamdem Urbem sepultus est.* Idem sentit S. Epiphanius hæres. 51. cap. 12. Alii tamen ætatem S. Joannis producunt usque ad annum 98. & 99.: ita Cedrenus. Alii usque ad 106., alii usque ad 120.; quod tamen verisimile non videtur. Chronicon Alexandrinum anno 104. eum mortuum facit, ætatis autem annorum 100. & mensium septem. Sed hæc incerta sunt.

III. Ephesi fuisse sepultum, supra dixi ex Hieronymo; ejusque sepulchrum extare, colligitur ex Epistola Cœlestini Papæ, qui Episcopos in Concilio Ephesino congregatos hortatur, ut doctrinam Joannis sequantur, in ea Urbe maximè, in qua sortem habebant ejus Reliquias venerandi, & penes se habendi. Ita Act. 2. Conc. Ephes.: *Vos hortor*, inquit, *Fratres beatissimi, respiciatur illa sola dilectio, in qua utique secundùm vocem Joannis Apostoli, cujus Reliquias præsentes veneramini, manere debemus.*

Et

Et Episcopi, qui illuc ex Syria venerant, sibi non fuisse permissum deosculari Reliquias Martyrum, & præsertim Joannis Apostoli, conquesti sunt. Ex ejus sepulchro, refert S. Augustinus Tract.123., perennem manare pulverem, quo in varias Terras deportato plura miracula fiunt: & hic est, de quo S. Ephræm Patriarcha Antiochenus anno 530. apud Photium Bibl. Cod. 229., supponens S. Joannem nondum esse mortuum, licèt in sepulchro positum, ait: *Cùm in aliquo loco, ut ajunt, illius monitu positus esset, quæsitus mox inventus non est, sed diffundens Sanctimoniam è loco, quo brevi tempore continebatur, à quo tanquam Sanctitatis fonte sacrum unguentum hausimus*. S. Gregorius Turonensis de Gloria Mart. cap.30. asserit, præfatum prodigium ad sua tempora continuasse, vocans terram mannæ farinæ similem; addens, eam quòcumque delatam infirmos miraculosè sanare. De hac Græci multa in suis libris dicunt. In Menologio Basilii die 8. Maji hæc habentur: *Sepulchrum, in quo magnus Apostolus & Evangelista Joannes, paulò post transferendus, depositus fuit, sanctum Cinerem, quem Incolæ Manna appellant, Spiritu Sancto annuente, octavo mensis Maji die quotannis extemplò emittit emanatque, quem qui accedunt accipientes, in curationem universorum morborum, in animarum sanitatem, & in corporum medelam, eo utuntur.*

IV. Verùm quia ex mox dictis apparet, Græcorum opinionem esse, S. Joannem positum fuisse in sepulchro quidem à se adhuc vivente electo, & in eo positum eâdem horâ mortuum esse, sed paulò post mirabiliter à Deo excitatum & aliò translatum: sive ut alii volunt, fuisse in sepulchro positum solùm apparenter mortuum, sed reverà dormientem, ibique in somno continuare nisi in extrema die evigilaturum, ac terram quæ ex ejus sepulchro exilit, vi ejus respirationis exilire: quæ opiniones in eo conveniunt, quòd S. Joannes nondum sit finaliter mortuus sed solùm moriturus in fine Mundi: propterea cui fundamento nitantur, examinandum est. De quo licèt locutus fuerim tom.16. Theol. qu. 1. de Antichristo Dub.6. §.3. n.12. &c., non erit tamen inutile ad rem præsentem ad examen iterum illud revocare.

V. Fundamentum huic quæstioni dat Joannes ipse in suo Evangelio cap.21., ubi narrat, quòd cùm Christus prædixisset Petro martyrium & quidem Crucis, his verbis v.18.: *Cum autem senueris extendes manus tuas & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc autem dixit significans, quâ morte clarificaturus esset Deum*: Petrus his auditis, cùm vidisset Joannem sequentem, *dixit Jesu: Domine hic autem quid? Dicit ei Jesus* (v.22.) *sic*

eum

eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Ex his Christi verbis ortum duxit opinio de qua supra, Joannem in vita mansurum, donec Christus veniat Orbem judicaturus: vel quòd si mortuus sit, paulò post resurgens translatus sit ad locum, ubi Henoch & Elias manent adventum Christi Judicis præstolantes.

VI. Voluut aliqui, quòd Petro interroganti de Joanne *hic autem quid?* ideft hic autem quem exitum habiturus est? Christus responderit: *Si* (non sic) *eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Quæ locutio est conditionalis nihil ponens in esse, ut ajunt Logici; & facit sensum: etsi eum velim manere donec veniam, quid ad te? quid tua refert? tuum non est decreta mea scrutari. De facto autem ita legitur in textu Græco, in Versione Syriaca, & in aliquibus etiam Latinis Codicibus. Sic etiam Chrysostomus hom. 87. in Joan., S. Cyrillus Alex. Lib. 12. in Joan., S. Hieronymus Lib. 1. in Jovin., & S. Augustinus tract. 124. in Joann. Sed etiamsi sequamur Vulgatæ lectionem dicentem: *Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te?* eundem sensum habemus: nimirum Nolo tibi esse socium in martyrio, sed volo, eum tibi superstitem esse, donec veniam hora quâ decrevi illum placidâ morte ad æternam beatitudinem vocandum. Nec enim Petrus interrogabat, an Joannes esset moriturus nec ne, sed quo genere mortis esset moriturus. Cùm enim Petrus valdè diligeret Joannem, & audisset se martyrio Crucis esse coronandum, curiosè quæsivit quid futurum esset de Joanne: quam interrogationem, utpote de re ad ipsum non pertinente, Christus rejecit dicens: *Quid ad te?*

VII. Quod confirmatur ex eodem S. Joanne ibi v. 23. Cùm enim ex præcitatis verbis exiisset rumor inter Fratres, *quòd Discipulus ille non moritur;* Joannes hanc Sociorum hallucinationem tollere volens, ait: *Et non dixit Jesus: non moritur: sed si* (vel *sic*) *eum volo manere*, ideft superstitem esse, *quid ad te?* quid tua refert? Undè S. Augustinus Tract. 124. in Joann: *Quis facile*, inquit, *aliud dictum esse credat, quàm quòd Fratres crediderant qui tunc erant, eò quòd scilicet non esset Discipulus ille moriturus, sed donec Jesus veniret, illâ maneret in vita? Sed hanc opinionem Joannes ipse abstulit, non hoc dixisse Dominum apertâ contradictione declarans. Cur enim subjungeret,* „non dixit Jesus: non moritur„ *nisi ne hominum cordibus quod falsum fuerat inhæreret?* Si ergo ipso Joanne asserente, Christus non dixit, quòd non esset moriturus, & hoc Joannes dicit, ut corrigat falsam opinionem exortam inter Fratres; apertè constat, Joannem scivisse

se se moriturum, sed non eo genere mortis, quod Christus prænuntiaverat Petro, & de quo Petrus interrogat. In hac re Sanctus Hieronymus L. 1. adv. Jovin. ait: *Post auditam sententiam, quòd ab alio cingendus esset Petrus & ducendus quò nollet; & Crucis fuisset illi passio prophetata, & ille diceret,,* Domine quid iste,,? *nolens deserere Joannem, cum quo semper fuerat copulatus, dicit ei Dominus,,* Quid ad te, sic eum volo sic esse,,? *Unde & sermo exivit inter Fratres, illum Discipulum non moriturum. Ex quo ostenditur, Virginitatem non mori, nec sordes nuptiarum ablui cruore Martyrii, sed manere cum Christo, & dormitionem ejus transitum esse non mortem.* Cæterùm mortuum esse Evangelistam Joannem, apertè ostendunt testimonia Veterum: Polycratis Ephesini Episcopi, qui discipulos ipsius viderat apud Eusebium L. 3. hist. cap. 31.; S. Irenæi illis temporibus vicini apud eumdem Eusеb. L. 3. cap. 23.; Tertulliani L. de anima cap. 50. dicentis: *Translatus est Henoch & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Cæterùm morituri reservantur, ut Antichristum sanguine suo extinguant. Obiit & Joannes, quem in Adventum Domini remansurum, frustrà fuerat spes*: Origenis apud Euseb. L. 3. cap. 1.; Dionysii Alexandr. apud eumdem L. 7. cap. 25.; & aliorum de quibus supra.

VIII. Statuto, quòd Joannes Evangelista verè mortuus sit, nec oppositum colligatur ex verbis Christi, facilè aliter sentientes sine fundamento loqui convincuntur, maximè à S. Augustino Tract. 124. in Joann.. Qui enim dicunt, Joannem mortuum non esse, quia ejus Corpus vel Ossa non inveniuntur; respondeant. Nec corpus Moysi nec sepulchrum ejus unquam inventum est, teste Scripturâ Deuter. 34. v. 6., & tamen ibi v. 5. dicit: *Mortuusque est Moyses*. Si ergo potuit Deus sepulchrum Moysi verè mortui sic abscondere, ut prorsùs lateret homines ubi esset, cur non potuit sic abscondere sepulchrum & Ossa Joannis, ut ubi sint homines adhuc lateat? Quamquam si verum est quod scribit Bollandus die 9. Maji, quòd Mediolani in Ecclesia Ambrosii sint Reliquiæ Corporis S. Joannis, fortè à S. Ambrosio ibi repositæ, jam Joannis Reliquiæ homines non latuerunt. Sed quod plus est, non latuerunt Cœlestinum Papam, qui in Epist. supra memorata ad Synodum Ephesinam meminit, Reliquias S. Joannis Evangelistæ Ephesi in honore haberi, eumque ibi defunctum esse: quarum etiam mentionem fecerunt Orientales in Epistola Synodica ad Clerum Constantinopolitanum, quæ extat in Actis Concilii Ephesini.

IX. Qui dicunt, quòd Joannis sepulchrum extat, illudque sibi

sibi fieri jussit, ac incolumis ipse fuit præsens, sed eo effosso ac diligentissimè præparato, ibi se tanquam in lectulo collocavit, & statim ibi defunctus, miraculosè fuit à Deo suscitatus, & in locum nobis ignotum, fortè cum Henoch & Elia translatus, ibi mansurus usque ad Adventum Christi Judicis. Quæso eos, undè hoc hauserunt? ex quo authentico documento? Certè, ait Augustinus, nonnisi ex quibusdam apocryphis Scripturis? Deinde si Deus voluit Joannem manere cum Henoch & Elia usque ad adventum suum, cur voluit eum mori, ac deinde resurgere? Cur non transtulit illum adhuc viventem, ut transtulit illos? In hanc tamen opinionem descendunt non solùm Græci, ut ex Menologio supra relato, & Ephræm apud Photium, sed etiam ex Latinis aliqui à sexcentis annis in eam propendunt, à quibus non dissentit S. Thomas in cap. 21. Joann. lect. 5., ubi rejectâ opinione (de qua statim) volentium, Joannem non esse mortuum, sed dormire, dicit: *Et ideò non est hoc credendum, sed quòd mortuus fuit, & resurrexit etiam in corpore*. Contrarium tamen habetur ex Concilio Ephesino, nobis testante, S. Joannem esse tunc cum illis in ea Civitate.

X. Supersunt qui dicunt Joannem in sepulchro positum, *non defunctum, sed defuncto similem cubuisse, & cùm mortuus putaretur, sepultum fuisse dormientem, & donec veniat Christus sic manere, suamque vitam scaturigine pulveris indicare; qui pulvis creditur, ut ab imo ad superficiem tumuli ascendat, flatu quiescentis impelli*. Ita refert August. citato loco, quod reverà à non levibus hominibus se audivisse fatetur, qui propterea licèt inutile judicet hoc refellere, ne aliis sese misceat quæstionibus, dicit tamen per hoc hanc non solvi quæstionem; nequit enim concipi, quòd Jesus, qui Joannem præ cæteris Discipulis diligebat, illum reliquerit dormientem in sepulcho usque ad finem Mundi, ubi Petrum & cæteros à corpore solvit, ut ante secum essent in gloria. Sic ergo Augustinus relatâ præfatâ opinione, ait: *Sed numquid hinc tanta illa solvitur quæstio, si magno miraculo, qualia potest facere Omnipotens, tamdiù vivum corpus in sopore sub terra est, donec veniat terminus seculi? Quin imò fit amplior & difficilior, cur Discipulo Jesus, quem diligebat præ cæteris, in tantum ut super pectus ejus discumbere mereretur, pro magno munere longum in corpore donaverit somnum: cùm beatum Petrum per ingentem Martyrii gloriam ab onere ipsius corporis solverit, eique concesserit, quòd Paulus se concupisse dixit & scripsit, dissolvi & esse cum Christo. Si autem quod magis creditur, ideò Sanctus Joannes ait, non dixisse Dominum,* „non moritur„ *ne illis verbis quæ dixit, hoc voluisse*

voluisse intelligi putaretur, corpusque ejus in sepulchro ejus exanime sicut aliorum mortuorum jacet; restat, ut si verè ibi sit quod sparsit fama de terra, quæ subinde ablata succrescit; aut ideo fiat, ut eo modo commendetur pretiosa mors ejus, quoniam non eam commendat Martyrium (non enim eum pro Fide Christi persecutor occidit) aut propter aliquid aliud quod nos latet. Hactenùs S. Augustinus; qui addit, manere tamen semper quæstionem, cur dixerit Dominus de homine morituro: *sic eum volo manere donec veniam*.

XI. Hanc tamen inferiùs solvit supponendo, quòd duæ sunt Vitæ: una in Fide altera in specie, una in Tempore peregrinationis altera in Æternitate mansionis &c.; una bona est sed adhuc misera; & ista significata est per Apostolum Petrum, cui propterea dixit: *tu me sequere*, perferendo mecum passionem & temporalia mala: altera melior & beata; & ista significata est per Joannem, quæ quia in præsenti tempore non est, sed expectanda in futuro, ideò de Joanne dixit: *Sic eum volo manere donec veniam*: quod non est sic intelligendum, quasi dixerit *remanere* vel *permanere*, sed *expectare*; quoniam *quod per eum significatur, non utique nunc, sed cùm venerit Christus, implebitur*. Ita S. Augustinus à studioso videndus.

XII. Eamdem mysticam expositionem sequitur S. Thomas in cap. 21. Joann. Lect. 5., qui addit, quòd secundùm Chrysostomum *legitur sic*,, Sic eum volo manere,, *idest remanere in Judæa, & in hac terra ad prædicandum, & te volo me sequi habendo sollicitudinem totius Orbis, & patiendo pro me & hoc*,, donec veniam,, *ad delendum Judæos.... Nam sicut habetur in historiis, Joannes non recessit de Judæa usque ad tempus, quo Vespasianus veniens in Judæam cœpit Jerusalem, & tunc inde discedens venit in Asiam. Vel secundùm Hieronymum*,, Tu me sequere,, *per passionem* (*&* sic) *idest Joannem*, volo manere, *absque passione Martyrii & mortis* (donec veniam) *ad vocandum eum ad me, ut supra cap.* 14. Iterùm veniam & accipiam vos ad me ipsum. Hæ probabiles expositiones sunt, dummodò S. Joannem mortuum esse, firmiter teneatur.

§. VIII.

De S. Joanne aliqua pro complementto.

I. S. Joannis diem Festum Ecclesia Latina peragit die 27. Decembris, & quidem multis abhinc seculis. Nam in Martyrol. S. Hieronymi & in Sacramentario S. Gregorii eâdem

dem die notatur, sicut & in Martyrologiis Usuardi, Bedæ, Adonis, & Romano. Græci verò in Menologio Cardinalis Sirleti die 26. Septembris hæc habent: *Migratio Sancti gloriosi & celebris Apostoli & Evangelistæ Joannis cognomento Theologi.* In Menologio autem Basilii eâdem die præter alia habent hæc: *Dominico autem die cùm Fratres magna Dei opera docuisset, eisque, ut quæ edocti à se fuerant, observarent, præcepisset, imperavit Discipulo, ut assumtis hominibus, & quæ ad fodiendum opus essent, paratis instrumentis, se consequeretur: abiitque in quemdam locum, jussitque egestâ altè terrâ, forsan in Crucis figuram effodere. Mox oravit & dixit: Pax vobis Fratres: & in fovea sese composuit: quo operto Discipuli discessere. Verùm paulò post regressi, visendi eum studio, nequaquam invenerunt.* Quibus suam opinionem confirmant, quòd S. Joannes in sepulchro non manserit, sed paulò post aliò translatus fuerit; de qua supra.

II. Græci, ut vidimus, S. Joannem Evangelistam *Theologi* nomine exornant. Athanasius etiam in Synopsi, Cyrillus Hierosolym. Catech. 12., Gregorius Nyssenus in S. Theodorum, Isidorus Pelusiota L.3. Epist., Ephræm Syrus passim, & alii, imò & ipsum Concilium Ephesinum. Sed quare hoc titulo eum distinguant, non dicunt. Sanè cùm Theologus græcè idem sit ac sermonem faciens de Deo ac de Divinis, cui magis quàm Joanni Theologi nomen aptari poterat, qui Divinorum cognitionem è Christi pectore ebibit, eamque tam salubriter edocuit in suo Evangelio, ubi de Verbo Dei tam altè disseruit, & in Apocalypsi tot & tam profunda mysteria manifestavit? Errarunt ergo quidam Antiqui, qui Apocalypsim Joanni Theologo tribuentes, eam Joanni Apostolo & Evangelistæ eripiebant.

III. S. Joannis tunicam tempore S. Gregorii, imò ipso petente, delatam fuisse Romam à quodam vicinæ Urbis Episcopo, penes quem illa asservabatur, testis est S. Gregorius L.3. Epist. Ep.3. ad Joann. Abbatem his verbis: *De Tunica verò S. Joannis omninò gratè suscepi, quia sollicitus fuisti mihi indicare. Sed studeat dilectio tua mihi ipsam tunicam, aut quod melius est, eumdem Episcopum, qui eam habet, cum Clericis suis, & cum ipsa ad me transmittere, quatenùs & benedictione Tunicæ perfruamur, & de eodem Episcopo, vel Clericis mercedem habere valeamus.* Eam porrò fuisse S. Joannis Evangelistæ Tunicam, & positam Romæ in Basilica Constantiniana (idest Lateranensi) & pluribus coruscasse miraculis, narrat circa annum 875. Joannes Diaconus in Vita Sancti Gregorii L.3. cap.59. Quam in eadem Basilica sub Altari Majori, in quo à S. Gregorio creditur reposita, summâ

veneratione adhuc custodiri, antiqua fert Traditio. Undè Romanus Populus, in necessitatibus ad eam venerandam confluens, intercessione S. Apostoli plurima beneficia expertus est.

IV. Polycrates Ephesiorum Episcopus apud Euseb. L. 5. hist. cap. 24., & S. Hieronymus de Script. Eccles. cap. 45. scribit, quòd Joannes, qui supra pectus Domini recubuit, & Pontifex ejus fuit, auream laminam in fronte portabat. Hoc erat honoris insigne, quod antiqui Episcopi gestare solebant ad imitationem Summi Pontificis Judæorum, qui auream in fronte laminam gerebat inscriptam: *Kodesch*-la-*Jehovah*, idest *Sanctum Domino*, quæ sericâ fasciâ fronti alligabatur.

V. Non est incredibile quod S. Epiphanius hæres. 30. c. 24. narrat, S. Joannem singulare & admirabile vitæ institutum servasse, eamdemque vivendi regulam, quam S. Jacobus Minor tenuisse, videlicet capillos totondisse nunquam, balnea non frequentasse: quod si, ut dixi, balneum intravit Ephesi, non ut se lavaret, hoc fecit, sed ut Cerinthum, qui intus erat, fugiendum esse, Discipulis suis demonstraret. Cujusquam animalis carnes numquam comedisse, nec nisi unam tunicam & unum pallium lineum habuisse. In Joanne seculum Apostolorum terminum habuit. Plures Discipulos reliquit, inter quos præcipui fuere S. Ignatius S. Polycarpus, ille Episcopus Antiochenus Smyrnensis iste, & Papias Hierapolitanus Antistes.

VI. His, quæ diximus de austeritate vitæ, quam tenuit S. Joannes, non videtur congruere quod narrat Cassianus Collat. 24. cap. 21., quòd interdum blandiendo perdici solamen caperet: quod facientem cùm quidam, qui ad eum venerat ductus publicâ Viri adeò celebris famâ, vidisset, admiratione, ne dixerim scandalo correptus, quòd Vir, cujus virtus per omnium ora spargebatur, ad actionem adeò vilem ac puerilem sese dimitteret, Joannes ei responderit hâc similitudine: quòd sicut arcus continuò tensus, nisi aliquando laxetur, facilè frangitur: sic oportere, ut spiritui aliqua relaxatio permittatur, ne quasi spiritualibus actionibus continuis debilitatus, & quasi fractus, reddatur ineptus ad alia necessaria, vi ac vigore assumenda & exercenda. Videtur, inquam, hoc factum non congruere ideæ, quam de serietate & gravitate vitæ hujus Apostoli omnes concipiunt: ideòque nec Cassianus ipse hoc tanquam certum, aut à probato Auctore acceptum narrat, sed potiùs ut incertâ vulgi famâ sparsum proponit, dicens *fertur*.

VII. Duæ S. Joannis post obitum apparitiones referuntur. Una circa annum 244. Cùm enim S. Gregorius Thaumaturgus Ec-

Ecclesiæ Neocæsariensi præfectus fuisset: & ut refert Baronius ad annum 233. n.15., cùm ipse olim Origenis auditor fuisset, illumque dixisse atque scripsisse nonnulla meminisset, quæ à communi aliorum Christianorum Orthodoxorum sententia discreparent: & cùm, ministerio Episcopatus quod susceperat exposcente, sciret sibi onus incumbere Evangelicam Veritatem sibi subditis annuntiare, mente anxius, quâ potissimùm incederet viâ, & ambiguus diù multùmque versatus est. Sed per mirificum quemdam visum, quem ibi Baronius ex Nysseno de Vita Gregorii Thaum. refert, omnis ab eo dubitatio sublata, & vera, quam traderet, doctrina ostensa est. Apparuit ergo ei Beata Virgo, & S. Joannes Evangelista, qui eâdem S. Virgine rogante eum docuit Fidei Regulam, quam tutò prædicaret. Hanc Catholicæ Fidei Regulam, inquit Baron. n.19., Gregorio divinitùs impertitam tum Orientalis tum Occidentalis Ecclesia cognitam comprobavit, atque ut sacrosanctum depositum cœlitùs collatum religiosissimè custodivit. Habetur, eandem quarto seculo desinente manu ipsius Gregorii scriptam adhuc extasse, rursùs in quinta Synodo Œcumenica recitatam; & citatam ab Apocrysariis Gregorii Papæ IX. adversùs Germanum Juniorem Episcopum Constantinopolitanum in eam sententiam, quòd Spiritus Sanctus à Patre Filioque procedit. Regula illa Fidei, quam ex Nysseno refert Baronius num.18., tota est in exponendo Trinitatis Mysterio, & Verbi Generatione, ideòque Joanne Evangelista verè digna.

VIII. Altera Joannis apparitio simul cum S. Philippo Apostolo refertur à Theodorito L.5.cap.24., facta Theodosio Seniori Imperatori, quâ ambo Apostoli victoriam contra Eugenium tyrannum polliciti sunt, quod demonstravit eventus. Hoc ex Theodorito per extensum narrat Baronius ad annum 394. a n.9.; ubi etiam ostendit numisma, utriusque Apostoli effigiem ex una parte, ex alia Theodosii referens.

IX. Auctoritate S. Joannis Evangelistæ plures abusi fuere, sub ejus nomine falsa scripta spargentes. Ebionitæ Librum de itineribus ab ipso factis ei tribuerunt, qui fortè idem est ac ille dictus: *Acta S. Joannis*, quo tum Encratitæ, tum Manichæi, tum Priscilianistæ utebantur; cujus legitimus auctor creditur fuisse Leutius, homo solitus similes libros falsos & impios componere, & sub alterius nomine ad fidem eis conciliandam evulgare. Hinc Gelasius Papa in decreto de libris apocryphis, ait: *Libri omnes, quos fecit Leutius discipulus Diaboli, apocryphi*: Et ante ipsum Innocentius I. ad Exuperium Epist.3.: *Cætera*, in-

inquit, *quæ sub nomine Matthiæ, sive Jacobi Minoris, vel sub nomine Petri & Joannis, quæ à quodam Leutio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ à Nexocharide & Leonide Philosophis, & sub nomine Thomæ, & si qua sunt alia, non solùm repudianda, verùm etiam noveris esse damnanda*, Et S. Augustinus L.2. de Actis cum Felice Manichæo cap.6. memorat Acta à Leutio scripta, quæ tanquam Actus Apostolorum scripsit. Fuisse autem Leutium Sectâ Manichæum, S. Augustinus, seu Evodius L. de Fide contra Manichæos cap.4. & 38. testatur. Cæterùm longè ante tempora Manetis hæresiarchæ, ab ipsis ferè Apostolorum temporibus falsa Apostolorum Acta, Joanni tributa, fuisse scripta credibile est.

X. Refert etiam Sixtus Senensis L.2. Biblioth. verbo *Joannis*, præter præfata Acta à Manichæis S. Joanni tributa, proferri à quibusdam librum quemdam de Transitu & Assumtione Beatæ Mariæ sub nomine S. Joannis Evangelistæ. Sed hujus operis vanitatem arguit Augustinus (seu quisquis sit alius) Serm. 35. de Sanctis (modò in Appendice 208.) dicens: *Sed nec invenitur apud Latinos aliquis Tractatorum de Mariæ morte quippiam dixisse apertè .... sed quid de his dico, cùm nec ipse, qui hanc accepit ante Crucem Domini in sua, idest, Joannes Evangelista, de hoc posteris aliquid retinendum, scriptis mandaverit? Nullus enim hoc fideliùs narrare potuit, si illud Deus manifestari voluisset, quàm ille utique qui hanc nutriendam suscepit, nec contra morem filius matrem reliquit. Restat ergo, ut homo mendaciter non fingat apertum, quod Deus voluit manere occultum.*

Inter Liturgias etiam, quibus Æthiopes seu Abassini utuntur, una est, ut refert Cardin. Bona Rerum Liturgic. L. 1. c.9., quam vocant S. Joannis Evangelistæ. Sed hoc absque fundamento dictum, ut apocryphum rejiciendum est.

XI. Pro complemento quæri potest, cur Christus, qui amore adeò speciali S. Joannem prosequebatur, illi ut sui Vicario oves & agnos suos pascendos non commisit, sed Petro?

S. Hieronymus L.1. adv. Jovin. postquam dixit, quòd Christus supra Petrum fundavit Ecclesiam, & in Petro unum Caput constituit, ait: *Sed cur non Joannes electus est Virgo?* Respondet: *Ætati delatum est; quia Petrus senior erat; ne adhuc adolescens ac penè puer progressæ ætatis hominibus præferretur, & Magister bonus, qui occasionem jurgii debuerat auferre Discipulis .... in Adolescentem, quem dilexerat, causam præbere videretur invidiæ*. S. Thomas autem Quolib. 4. à 15. affert pro ratione, quòd licèt Joannes esset maximè idoneus, quia tamen consangui-

guineus erat ei secundùm carnem, ideò prætulit ei Petrum in regimine Ecclesiæ. Quod tamen non ita strictè (ut dicit ibi Sanctus Doctor) intelligendum est, ut non liceat consanguineo æquè idoneo Ecclesiæ curam committere, sed quia licèt idoneus esset Joannes, magis tamen idoneum judicavit Petrum: fortè quia licèt Joannes esset in sapientia sublimior, Petrus tamen erat in amore ferventior, ut insinuat Chrysost. hom.86. alias 87. in Joann. Ideòque post trinam interrogationem, an diligeret eum plus cæteris, constituit Petrum Ecclesiæ vice sui Pastorem: *Pasce* &c. Sed hæc curiosè inquirenda non sunt. Christus Petro præ Joanne Ecclesiæ suæ curam commisit: ergo justo ac sapienti consilio hoc fecit.

CAPUT VI.

De Sancto Thoma Apostolo.

§. I.

Quid de eo Evangelium.

I. Apostolus iste duplici nomine in Evangelio exprimitur: & vocatur *Thomas* hebraicè, & græcè *Didymus*, quæ duo nomina synonyma sunt; significant enim gemellum. Nam sicut primus Apostolorum vocatur *Cephas* & *Petrus*, utroque nomine idem significante, nempè *Petram*: ita iste dicebatur *Thomas* & *Didymus*, & utrumque significat geminum seu gemellum. Alterum nomen nimirùm *Judæ* ei tribuit Eusebius L.1. hist. cap.13., ubi ait: *Post Ascensum Jesu Christi Judas, qui etiam Thomas dictus est, Thaddæum Apostolum, unum è septuaginta ad Abgarum misit.* Ait tamen Valesius in Notis ad dictum Caput. „ Thomas quidem fuit unus ex duodecim, „ dicebatur Didymus teste Joanne Evangelista Joan.11. & 20., „ sed eundem & Judam esse cognominatum, alibi quod sciam „ non reperitur. Nisi fortè hunc errorem Eusebii esse dicamus, „ qui Thomæ cognomentum attribuerit, quod tribuendum „ erat Thaddæo. Certè Thaddæus Apostolus alio nomine di- „ ctus est Judas.

II. S. Thomæ originem quamvis Evangelium non exprimat, sicut nec ejus vocationem, è Galilæa tamen eam, sicut & cæteros Apostolos, traxisse, par est credere: ex quo tamen Galilææ loco, sicut & quando, & quomodò à Christo vocatus sit,

res

res in obscuro est. Prima ejus mentio fit in enumeratione eorum, quos Christus duodecim elegit, & Apostolos nominavit Matth.10. v.3., Marci 3. v.18., & Lucæ 6. v.15. Apostolus ergo anno 31. designatus tribus prædicationis annis Christo comes adhæsit. Ejus tamen Gesta usque ad annum 33. nos latent. Solùm paulò ante passionem Christi, cùm idem Christus in Bethaniam ad suscitandum Lazarum se contulisset & dixisset: *Lazarus mortuus est ... eamus ad eum*, Joann.11. v.16. de ipso hæc habentur: *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad Condiscipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo*. Nempè, vel cum Lazaro vel cum Christo. Utraque enim expositio probabilis est. Quæ verba, inquit S.Thomas in cap.11. Joan. Lect.3. indicare possunt vel affectum dubitantis, vel affectum diligentis. Primo modo ea exponit Chrysostomus: *Nam omnes Discipuli timebant Judæos, & super alios Thomas. Nam ante passionem infirmior erat aliis & infidelior .... Unde ex hac dubietate* dicit ad Condiscipulos: ,,Eamus & nos, & moriamur cum illo,, *quasi dicat: Iste non timet mortem, penitùs vult ire, se & nos volens tradere morti. Secundo modo exponit Augustinus. Thomas enim & alii Discipuli ita Christum amabant, ut vel cum eo præsente vivere, vel cum eo mori vellent, ne post mortem deserti iterum inconsolati remanerent. Unde ex hoc affectu Thomas dicit ad Condiscipulos*,, Eamus & nos &c.,, *quasi dicat: ire vult: periculum mortis ei imminet. Nunquid & nos remanebimus, ut vivamus? Absit. Sed eamus & moriamur cum illo*. Ita S. Thomas.

III. Sollicitus Thomas sciendi, quò Christus iturus esset, cùm Joan. 14. post Cœnam loquens de suo discessu, eosque invitans, ut eum quò ipse iret sequerentur, dixit: *Quò ego vado scitis, & viam scitis*: respondet S. Thomas v. 5.: *Domine, nescimus quò vadis: & quomodò possumus viam scire?* Augustinus Tract.69. in Joan. supponens, Thomam ore omnium locutum, miratur & dicit: *Utrumque illos Dominus dixerat scire, utrumque dicit ille nescire, & locum quò itur, & viam quà itur. Sed nescit ille mentiri: ergo illi sciebant, & scire se nesciebant. Convincat eos jam scire, quod se putant adhuc usque nescire*:,,Dicit ei Jesus: Ego sum Via & Veritas & Vita,,. *Quid est, Fratres? Ecce audivimus Discipulum interrogantem, audivimus & Magistrum docentem: & nondum capimus etiam post vocem sonantem sententiam latitantem? Sed quid non possumus capere? Numquid poterant ei dicere Apostoli ejus, cum quibus loquebatur: nescimus te? Proinde si eum sciebant, & Via ipse est, Viam sciebant: si eum sciebant, & Veritas ipse est, Veritatem sciebant: si eum sciebant, & Vita ipse est, Vitam sciebant*,

bant. Ecce scire convicti sunt, quod se scire nesciebant. Ita peracutè S. Augustinus. S. Chrysostomus hic hom. 73. aliàs 72. laudat Thomæ reverentiam & timorem, & ait: *Vide, quàm reverenter. Non enim dixit: Dic nobis locum; sed* ,, nescimus quò vadis ,, *hoc enim jam olim omnes discere cupiebant.*

IV. Porrò quod Thomam celebrem reddidit & singularem, fuit ejus post infidelitatem Fides, ac Fidei confessio. Cùm enim Christus Apostolis post Resurrectionem spectandum se, absente Thomâ, exhibuisset: Ille (Joan. 20. v.25.) Fratrum testimonio numquam fidem suam præbiturum professus est, nisi nedum oculis, sed & manibus suis vulnus lateris & manuum ac pedum tactu explorasset: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Conscius Jesus incredulitatis Thomæ, volensque eam tollere, post dies octo Apostolis præsente Thomâ iterum apparens, ei se videndum præbuit, simulque ejus incredulitatem increpans: *Infer*, inquit, *digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.* Confusus ille, omni hæsitatione depositâ, v.28. respondit & dixit ei: *Dominus meus & Deus meus.* Cui Jesus: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt & crediderunt.* In hoc tamen singularis est S. Gaudentius, qui Serm.17. Thomæ desiderium videndi Christum, amoris, non incredulitatis fuisse putans: *Tertius*, inquit, *Beatus Thomas, qui post Resurrectionem Christi solus desideravit, solusque obtinuit, ut membra Christi curiosis quidem, sed utique dignis manibus contrectaret. Ardentis siquidem desiderii fuit illud, non incredulitatis, quòd Condiscipulis suis, qui ipso absente Dominum viderant, ait.* ,,Nisi videro & contrectavero,non credam. *Erat enim valde anxius, ne non & oculis frueretur eo quod corde credebat, ne privaretur aspectu illius lucis, quá se cæteri Apostoli illuminatos gloriabantur.* Pia quidem & favorabilis Apostolo est ista expositio, sed communiori Patrum contraria; imò nec consona videtur sive petitioni Thomæ, sive responso Christi. Ideò cum pluribus sentiendum puto, ex Incredulitate hoc processisse: quam tamen Christus dignatus fuit ex sua pietate sustinere, & ut ex hoc etiam veritas suæ Resurrectionis magis confirmaretur.

V. In hoc facto plura consideraverunt Patres. Origenes L.2. contra Celsum existimavit, Thomam non discredidisse, Jesum fuisse oculis corporalibus visum, ut Mulieres narraverant, eo modo, quo anima videri potest; discredidisse tamen, animam fuisse vitam in eodem corpore, quod priùs habebat: ideòque

non contentus videndi tantùm dixit, se velle etiam tangere. Ita Origenes dicens: *Fidem tamen habebat is mulieri se vidisse narranti: neque enim dubitabat, quin anima mortui conspici posset: sed sibi in animum inducere non poterat, eum verè surrexisse eo corpore, quod priori simile esset. Hinc est, quòd non dixerit solummodò* ,, Nisi videro, non credam ,, *sed addiderit* ,, Nisi mittam manum meam in locum clavorum, & contrectem latus ejus, non credam ,,. *Quæ quidem Thomas dixit, quia existimarit corporis oculis conspicabile fieri corpus animæ, quæ priorem formam omninò referret*.

VI. An verò Thomas non solùm viderit, sed & de facto manu palpaverit manus, pedes, & latus Jesu, communiter affirmare videntur Patres. S. Augustinus Serm. 258. dicit: *Ubi tetigit, exclamavit* ,, Dominus meus & Deus meus ,,: *Hominem tetigit, Deum cognovit: & tetigit carnem, respexit ad Verbum, quia Verbum caro factum est* &c. Idem asserit Tract. 121. in Joan. quamvis oppositum non excludat: *Videbat*, inquit, *tangebatque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat neque tangebat, sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud jam remotâ dubitatione credebat*. ,, Dicit ei Jesus Quia vidisti me, credidisti: ,, *Non ait, tetigisti me; sed* vidisti me: *Quoniam generalis quodammodò sensus est visus. Nam & per alios quatuor sensus nominari solet: velut cùm dicimus: Audi, & vide, quàm benè sonet: olfa, & vide, quàm benè oleat: gusta & vide, quàm benè sapiat: tange & vide, quàm benè caleat .... Unde & hìc ipse Dominus* ,, Infer, *inquit*, digitum tuum huc, & vide manus meas ,, *quid aliud ait, quam tange & vide? Nec tamen oculos ille habebat in digito; ergo sive intuendo sive etiam tangendo* ,, Quia vidisti me, *inquit*, credidisti.

Quamvis dici possit, non ausum fuisse Discipulum tangere, cùm se offerret ille tangendum; non enim scriptum est, & tetigit Thomas. Sed sive aspiciendo tantùm, sive etiam tangendo viderit & crediderit, illud quod sequitur magis Gentium fidem prædicat atque commendat ,, Beati qui non viderunt & crediderunt ,,. *Præteriti temporis usus est verbis tamquam ille, qui quod erat futurum, in sua noverat prædestinatione jam factum*. Ita Augustinus.

VII. Thomæ dubitatio utilior nobis fuit, quàm aliorum Discipulorum fides promta: quia de Christi Resurrectione argumentum, ut ita dicam, palpabile donavit. Quare S. Gregorius hom. 26. in Evang.: *Non hoc*, inquit, *casu, sed Divinâ dispensatione factum est. Egit namque miro modo superna Clementia, ut Discipulus ille dubitans, dum in Magistro suo vulnera palparet car-*

carnis, in nobis vulnera sanaret Infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium Discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postpositá in fide solidatur. Et infra: *Dum ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur* „ Quia vidisti me credidisti,„ *Sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine Divinitas videri non potuit. Hominem ergo vidit, & Deum confessus est, dicens*: Dominus meus & Deus meus „ *Videndo ergo credidit, qui considerando verum hominem, hunc Deum, quem videre non poterat, exclamavit.* Sic unicâ confessione & fidem Resurrectionis & Divinitatis asseruit: & homo planè rudis, nec Dialecticæ aut Philosophiæ subtilitatibus instructus, in una Christi Persona naturam hominis & Dei lumine Gratiæ illustratus agnoscens, omnes postea hæreses, & præcipuè Nestorii orituras præfocavit.

VIII. De S. Thoma nil aliud ultra in Evangelio habemus, nisi quòd Joan. 21. v. 2. & 12. post aliquot dies cùm ipse unà cum aliis Apostolis ivisset ad piscandum, apparuit eis Jesus in littore, & cum eo pranderunt. Et Act. 1. v. 13. ubi post Ascensionem Domini inter Apostolos, qui à Monte Oliveti reversi introierunt in Cœnaculum Adventum Sancti Spiritus expectantes ac deprecantes, recensetur Thomas. Reliqua de isto Apostolo ex Traditione sumenda sunt.

§. II.

S. Thomæ Prædicatio, Obitus &c.

I. IN distributione Orbis Terrarum, quâ cuique ex Apostolis designati sunt Populi & Provinciæ Evangelii prædicatione imbuendæ, de qua Baronius ad annum 44. num. 33., S. Thomæ Parthos contigisse, antiqua Traditio fuit. Sic Origenes L. 3. in Genes. apud Eusebium L. 3. hist. cap. 1. his verbis: *Et Thomas quidem, ut à Majoribus traditum accepimus, Parthiam sortitus est.* Addit Theodoritus cum aliis L. 3. de Verit. Evang. (apud Baron.) Parthos, Persas, Medos, Brachmanes, Bactrianos, aliasque finitimas Nationes Parthorum imperio subjectas vel finitimas, ab ipso Veritatem Evangelicam suscepisse. Ad Taprobanam quoque Insulam pervenisse, scribit, Nicephorus L. 2. c. 40.; quia tamen addit quædam apocrypha de Thoma ad longè positos Populos abire detrectante, & Christo illi apparente; ideo fidem suspendo. Auctor Oper. Imperf. in Matth. hom. 2. putat, eum pervenisse ad Regionem, unde venerant Magi adoratores

Christi, eos baptizasse, & adjutores in Evangelio habuisse, his verbis: *Cùm post Resurrectionem Domini Thomas Apostolus isset in Provinciam illam, adjuncti sunt ei & baptizati ab eo, facti sunt adjutores prædicationis ejus.*

II. Etiam ad Indos penetrasse, affirmant Gregorius Nazianzenus Orat. 25., ubi recensens Regiones, in quibus singuli Apostoli prædicarunt, ait: *Thomæ cùm India*, S. Paulinus Carmine 25. modò 27.

Parthia Matthæum complectitur, India Thomam.

S. Hieronymus Epist. 148., S. Ambrosius in Psal. 45., & alii. An verò S. Thomas ad veros Indos, ut à nobis appellantur, penetraverit, sicut ad veros Æthiopes; dubitant aliqui. Putant enim Indiæ nomen ab Antiquis tributum fuisse cuicumque Provinciæ extra Fines Romani Imperii positæ ex parte Orientali & Meridionali, in quo sensu Parthi etiam sub Indorum nomine comprehendi possunt. Id quod auget dubium est, quia Theodoritus L. 1. hæret. fabul. cap. 26. asserit, quemdam Thomam Manichæi Discipulum ad Indos perrexisse, eis mendacia sui Magistri sub fuco nominis Jesu Christi propinando: estò autem iste malè acceptus inde discesserit, fortè tamen illuc rediit: ex quo fortè dubitari posset, Thomam Manichæi Discipulum cum Thoma Discipulo Jesu Christi ex deceptione confusum fuisse. Sed me hoc non movet: non enim prudenter credi potest, præfatos Patres, qui S. Thomam Apostolum Indis prædicasse, affirmarunt, hoc turpi æquivoco laborasse; ut Thomam Manichæum pro Thoma Apostolo sumerent. Sed de hoc infra cum de loco, in quo S. Thomas obiit, sermo erit.

III. Autumarunt aliqui (tom. 2. Comm. Synopsium, Kircher Sina illustrata &c.) S. Thomam inter cæteras Regionem etiam Sinicam prædicatione excurrisse, moti auctoritate Breviarii Syriaci hæc habentis: *Per S. Thomam error & idololatria dissipati sunt apud Indos. Per S. Thomam Sinæ & Æthiopes in agnitionem veritatis conversi sunt. Per S. Thomam Regnum Cœlorum advolavit, & ascendit usque ad Sinas.* Ex hac Regione divertisse credunt ad Indos, ubi Martyrium consummavit, ut infra dicam. Accedunt duo Arabes, quorum Itinerarium recèns Parisiis vulgatum est, dicentes, Reges Sinarum agnovisse aliquid de Christo & Apostolis, & in itinere se pertransisse Bezomnam, idest Ecclesiam S. Thomæ. Sed quamvis non diffitear, Religionis Christianæ notitiam vetustissimam esse apud Sinas, non tamen ab aliquo Apostolorum eam accepisse crediderim. Neque oppositum evincit quædam inscriptio detecta anno 1628. in Urbe Si-

Siganfù Metropoli Provinciæ Kensi, in qua descripta legitur Vita Salvatoris, & prædicatio Evangelii à priscis Patribus. Nam illa inscriptio anno Christi 780. sculpta fuit, ideòque non probat, Evangelium ad Sinas per Apostolos pervenisse, sed potiùs anno 636. ideòque anno 134. ante sculptum illud monumentum, & ab aliquo 600. annis S. Thoma posteriore. Ita sentiunt plures. Sed quis fuerit qui primò Sinis Christum annuntiaverit, nulla certa fert Traditio.

IV. S. Joannes Chrysostomus hom. 61. modò. 62. in Joan. dicit, quòd S. Thomas, qui antea omnium infirmissimus apparebat inter Apostolos, indulgentiâ & gratiâ Christi omnium fortissimus tantique animi postea evaserit, ut totum ferè Orbem percurrerit, & in iis maximè Regionibus, ubi homines ferocissimi eum quærebant ad necem, moram traxerit. Verba ejus sunt: *Omnes itaque Judæorum impetum formidabant, omnium maximè Thomas, ideò dixit*, „ Eamus, ut & nos moriamur cum eo „. *Quidam verò dicunt, ipsum mori optasse. Sed non ita res est: nam potiùs ex timore loquebatur: sed non increpatus fuit. Ejus enim infirmitatem adhuc tolerabat. Demum certè is omnium fortissimus effectus est & insuperabilis. Nam quod admiratione dignum est, is, quem ante Crucem ita infirmum vidimus, post Crucem & post Resurrectionis fidem ferventissimam omnium conspicimus. Tanta est Christo virtus. Nam qui cum Christo Bethaniam ire non audebat, hic Christo non præsente Orbem ferè percurrit, in mediis Populis versabatur sanguinariis, qui illum interficere quærebant.*

V. Ejus tamen particularia Gesta in suo Apostolatu nos latent. Terebatur apud Manichæos tempore S. Augustini quædam narratio, quam ipse refert L. 1. de Serm. Domini in Monte cap. 20. L. 22. contra Faust. cap. 69., & L. contra Adimantum Manich. his verbis: *Ipsi autem* (Manichæi) *legunt Scripturas apocryphas, quas incorruptissimas esse dicunt; ubi scriptum est, Apostolum Thomam maledixisse homini, à quo per imprudentiam palmâ percussus est, ignorante quis esset, maledictum illud continuò venisse ad effectum. Nam cùm ille homo, quoniam Minister convivii erat, ut apportaret aquam, exiisset ad fontem, à Leone occisus & dilaniatus est. Quod ut manifestaretur ad aliorum terrorem, canis manum ejus intulit mensis, ubi convivabatur Apostolus; atque ita cùm causa quæreretur à nescientibus, eisque panderetur, in magnum timorem & magnum honorem Apostoli eos esse conversos, atque hinc Evangelii exordium commendandi extitisse.* Hæc apocrypha narratio. Quamvis autem subjiciat ibi Augustinus, in illa eadem Scriptura legi, *quòd deprecatus fuerit Apostolus pro illo, in quem* tem-

temporaliter vindicatum est, ut ei parceretur in futuro Judicio; eam tamen narrationem inter fabulas Manichæorum recensendam puto, quia indignam Apostolo: qui potiùs debuisset percutienti unam maxillam, juxta monitum Christi, præbere alteram; & rursùs à temporali vindicta commendatum fuisse exordium Evangelii, credibile non videtur.

VI. Annus, quo vitam suam exitu coronavit S. Thomas, incertus est. Baronius putat fuisse annum Christi circiter 78. Nilus apud Photium Cod. 276. censet, fuisse post annum mortis Pauli, quem tamen ab anno mortis Petri falsò distinguit: sic enim ait: *Stephanus tanquam ramus ab Ecclesia excisus est, & alius palmes Martyrium postulavit. Jacobus & Petrus amputati sunt: alius rursùm Martyr enascitur: quo exciso alium rursùs uberem palmitem radix protulit. Vindemiâ decerptus est Paulus, & alius racemus Martyrio maturescens Thomas apparuit: & undique radix vindemiata fructum tulit uberiorem, & germen durabilius, quàm qui vindemiarunt. Etenim qui absciderunt, paulatim arescentes extincti sunt. Ecclesia verò fructibus omni tempore onusta fines terræ suis plantis comprehendit.* Ita Nilus. Martyrio vitam clausisse, quamvis Clemens Alexandrinus L.4. Stromat. ex Heracleone hæretico Valentiniano referat, S. Thomam Martyrem non obiisse, communis tamen sententia Patrum oppositum tenet, ut Nilus supra relatus, Theodoritus de curandis Græc. Affectionibus L.8., S. Asterius Orat.10., S.Gaudentius Serm.17., & Martyrologia Latinorum Græcorumque Menologia infra referenda.

VII. Quoad locum Martyrii, Regionem fuisse Indiam, Urbem verò Calaminam sentiunt multi. Fuisse Indiam, scribunt SS. Gaudentius Serm.17., Gregorius Turonensis de Glor.Martyr. cap.32., asserens, in antiquioribus Martyrol. hoc haberi. Ita Græci in Menologio Sirleti die 6. Octobris his verbis: *Natalis S. gloriosi Apostoli Thomæ. Hic cum Medis, Parthis, Persis, & Indis Verbum Dei prædicasset, in custodiam injicitur à Rege Smidæo, propterea quòd ejus operâ crediderant, & baptizati fuerant Vazanes filius, & uxor nomine Tertia, & Migdonia & Narce: quapropter quinque militibus traditur, qui ad montem quemdam ductum vulnerarunt.* Idem in Menologio Basilii eâdem die, ubi dicitur: *Obtigit Sancto Thomæ Indorum Regio, ubi Christum prædicavit. Cùm autem ad Christi fidem uxorem Regis Indorum, ejusque filium convertisset, defertur ad Regem, qui Thomam in carcerem cum aliis vinctis detrudi jussit. Corruptis autem pecuniâ militibus, Regis filius cum matre atque aliis non paucis carcerem ingressi*

gressi, ab eo baptizati sunt; & post idoneum tempus ordinati fuere ex his Presbyteri & Diaconi, qui in nomine Christi docebant. Quod ubi Rex intellexit, iratus, eductum è carcere Apostolum, & militibus traditum jussit occidi. Abductum itaque Sanctum in montem, lanceâ transverberatum, interfecerunt. Die autem 30. Junii, ubi fit Commemoratio omnium Apostolorum, de Thoma sic dicitur: *Thomas Didymus ab Indis lanceis confossus.*

VIII. Urbs Indiæ, in qua S. Thomas passus fuit, Calamina fuisse creditur. Ita Martyrol. Rom. die 21. Decembris: *Calaminæ natalis beati Thomæ Apostoli, qui Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, & Brachmanis Evangelium prædicavit, ac demùm in Indiam perveniens, cùm eos Populos in Christiana Religione instituisset, Regis jussu lanceis transfixus occubuit.* Idem sentit Sophronius cap.8. Hanc Urbem olim Calaminam dictam, eandem esse quæ modò Maliapur vocatur, censeut Recentiores, præsertim Lusitani: moti ex quadam antiqua inscriptione & effigie ibi reperta, nimirùm ejusdem Apostoli ad pedes Crucis lanceâ transfixi. In hac re placet referre, quæ Osorius Silvensis Episcopus & rerum Indicarum accuratus Scriptor apud Baronium ad ann. 57. num.113. narrat, videlicet: *In eadem Civitate, quam diximus appellari Malipurem, & nunc postquam à Lusitanis frequentari cœpit, S. Thomæ Civitas appellatur, erat in colle Sacellum ædificatum, eò quòd affirmarent Incolæ, eo in loco Thomam fuisse a Religionis hostibus interemtum. Erat autem hoc solemniter institutum, ut in eo Sacello octo diebus ante diem Natalem Christi res Divina fieret, & omnes Christiani in eo convenirent. Fuerat quoque ante quatuordecim annos in illo colle inventa Crux in lapide incisa, in cujus fastigio Columbæ imago insidebat: basis verò erat in specie quadam herbarum, quæ diffundi latissimè videbantur, collocata; & tam fastigium quàm basis & brachia in liliorum formam desinebant. Arcus eam ex eodem lapide factus undique muniebat. In arcu erant incisæ litteræ, quas nemo legere poterat. Totum hoc opus integrum, quod erat satis magnum, fuit super Altare ejusdem Sacelli multorum operis statutum. In Cruce eminebant notæ sanguinis insignes.*

IX. Deinde narrato miraculo, quod in illa Cruce contigit, ex qua maculæ & humor sanguineus effluxere, quod apud Baronium citato loco num.114. legi potest; procedit ad examinandum, quid exprimerent litteræ illæ in prædicto arcu incisæ. Accersito itaque Brachmane litteris & eruditione præstanti petunt, ut illas explicet; qui respondit litteras esse priscas, quibus antiqui Sapientes utebantur, sed earum cognitionem interiisse. Ro-

Rogatus tamen, ut ascenderet super Altare, quo litteras illas propiùs dignosceret, primò renuit reverentiâ detentus: *Invitus tamen subiit, & litteras perlegit, quarum vim eam esse dixit, ut una nota decem & quindecim & viginti litterarum officio fungeretur. Sententia verò litterarum in summa hæc erat*: „ Thomam Divinum Virum fuisse à Dei Filio, cujus erat Discipulus, in eas „ oras Segami Regis tempore missum, ut Dei Summi notitia „ Gentes illas erudiret: ibique Templum extruxisse, & res admirabiles effecisse; atque tandem cùm genibus flexis ad Crucem illam affixus orationem ad Deum funderet, à quodam „ Brachmana fuisse hastâ transfixum: Crucem verò ejusdem „ Viri sanctissimi cruore tinctam, ad memoriam virtutis illius sempiternam relictam fuisse „. *Hæc erat sententia, quæ litteris continebatur. Fecit autem majorem fidem alius ejusdem Sectæ Vir aliundè accersitus grandis admodùm natu, & sapientiæ opinione præstans, qui litteras in eamdem sententiam interpretatus est*. Hactenùs Osorius, qui addit, prædictæ Crucis exemplum in eodem ligno, ex quo Templum ædificatum ferunt, insculptum cum litteris multorum testimonio comprobatis apud se retinere. Sanè ex hoc antiquo monumento colliguntur plura, nempè & quòd S. Thomas in Civitate Malipurensi (olim ut fertur Calamina) passus erit; & quòd tempore Apostolorum fuerit usus erigendæ Crucis, & adorandæ, & usus etiam Altaris & sacrificii, quæ Novatores negant.

X. His non obstantibus, aliqui sibi persuadere non possunt, Meliapurem modò fuisse olim Calaminam, & quidem in Indiis, sed arbitrantur, fuisse potiùs Calamonam Arabiæ Urbem: cùm probabilius sit S. Thomæ corpus, postea, ut dicemus, Edessam translatum, ex Urbe Arabiæ deportatum fuisse, quam è Meliapure in Indiis sita. Sed hæc opinio redditur singularis ex hoc, quòd ponit S. Thomam passum fuisse in Arabia, & non in India, quod nemo Antiquorum, quem viderim, hactenus dixit.

XI. Hujus Apostoli venerandum Corpus ex India Edessam Mesopotamiæ Urbem fuisse postea translatum, Traditio est. Hujus Translationis memoriam ad diem 3. Julii referunt Martyrologia, Bedæ, Usuardi, Adonis, & Romanum his verbis: *Edessæ in Mesopotamia Translatio Sancti Thomæ Apostoli ex India, cujus Reliquiæ Ortbonam in Apulia postea translatæ sunt*. S. Gregorius Turonensis L. de Glor. Mart. cap. 32. dicit, hanc Translationem ex India Edessam non statim factam fuisse, sed longo tempore in India asservatum Corpus, fuisse postea inde Edessam translatum, & ibi inhumatum. Quo tollitur difficultas, quæ

quæ aliquos premit, nimirùm quomodò feculis illis Apoftolicis, quibus Chriftiani in abfcondito vivebant, potuerit defuncti Corpus tam longo itinere, quale eft ab India Edefsam afportari. Adeò notum & celebre erat temporibus S. Joannis Chryfoftomi Corpus S. Thomæ Edefsæ afservari, ut Hom. 26. in Epift. ad Hebr. dicat, notum effe & veneratione habitum fepulchrum S. Thomæ, ficut & Petri & Pauli Apoftolorum. Undè Socrates Lib 4. hift. cap. 18., & Sozomenus L. 6. cap. 18. afserunt, quòd Edefsæ aderat infignis Bafilica fub Thomæ Apoftoli nomine nuncupata. Teftantur hoc etiam Ruffinus L. 2. cap. 5. & Venantius Fortunatus hoc verfu

Producens Thomam munus Edeffa pium.

Undè concludit Baronius in Not. ad 3. Julii, luce clarius efse, Corpus S. Thomæ Edefsam translatum fuifse.

XII. Translationem hanc factam fuifse anno 236., ait Baronius ad eundem annum num. 5. his verbis: *Fertur, hoc anno, bello Perfico confecto, translatum fuiffe ex India Corpus S. Thomæ Edeffam, fed quòd abfque Antiquorum teftimonio tradatur, fides fit apud Auctorem. Caterùm haud ipfum integrum transferri permiffum, certum eft: nam Indi adhuc fe illud habere profitentur, quod & qui res Indicas noftri temporis funt profecuti, teftantur.* Quibus Baronius refpexit ad ea, quæ Oforius Epifcopus Silvenfis Lufitaniæ L. 3. de rebus Indicis fcribit, nempè Indos nuper recipientes Evangelium affirmare, penes fe effe Corpus S. Thomæ Apoftoli, à quo Evangelium acceperunt. Ex quo movetur Baronius ad dicendum, quod frequenter de aliis dicitur, ideft quòd unius Corporis partes in diverfa loca diftributæ occafionem dederint multis opinandi, vel hic vel alibi unum idemque corpus afiervari; ut de Corpore S. Bartholomæi adhuc contentio eft. Et hoc eò magis de Corpore S. Thomæ dicendum videtur, quòd Orthonam translatum, ibique effe vult Martyrologium, ut vidimus; & pro medietate Goam Meliapurâ delatum volunt Lufitani; ejufque Caput Conftantinopolim fub Leone Sapiente deportatum fuiffe Græci contendunt: ne dicamus, in aliquibus ex iftis locis Corpus vel partem Corporis pro Corpore vel parte Corporis S. Thomæ Apoftoli fuiffe fuppofitam. Florentius tamen putat, Edefsâ deftructâ Corpus Apoftoli translatum in Infulam Chium, inde Orthonam, & circa finem quarti feculi deportatas fuiffe ejus Reliquias Nolam; & fub Altari Sancti Felicis repofitas, fcribit S. Paulinus Carm. 24.: alias quoque Brixiæ in Bafilica dicta Concilium Sanctorum cuftodiri, narrat S. Gaudentius Serm. 17. Sed in re tam varia fruftrà laboramus.

XIII. Refertur, apud Indos esse Christianos, qui S. Thomæ dicuntur, utpotè qui ab eodem Apostolo se institutos credant. In Peninsula Indiæ cis Gangem habitant, quamquam occurrant etiam in Regno Cranganor, & finitimis Regionibus, sicut & in Nagapatan, Melchapar, Engamar supra Coccinum, ubi totius Gentis Archiepiscopus Patriarchæ Babyloniæ subjectus residet. Narrant, primos illos Fideles ab Apostolo institutos, sed deinde in idololatriam relapsos, receptam ab eo doctrinam adeò oblivioni tradidisse, ut ne Christianos quidem unquam in iis Regionibus extitisse recordarentur. Successu temporis vir quidam nomine *Mar-Thome*, sive *Dominus Thomas* Syrus natione (quod ex Theodorito supra tetigi) eò veniens, extinctum jam Evangelii lumen sedulitate suâ, atque aliorum Sacerdotum opé, quos ex Syria & Ægypto acciverat, iterùm excitavit. Hunc Theodoritus putat fuisse illum Manetis Discipulum, qui sub nomine Christi errores Magistri sui illis Populis tradidit. Alii tamen censént, ab hoc Mar-Thome verâ Fide fuisse imbutos, quamvis postea variis erroribus, & præcipuè Nestorianismo infecti reperti fuerint.

XIV. Huic Apostolo, ab Hæreticis præsertim, varia scripta fuere supposita, quæ indicavi supra Tom. I. cap. 4. de Libris suppositis ab Hæreticis §. 2. num. 4., nimirùm Acta, Itineraria, Evangelium, Apocalypsis, omnes à Gelasio Papa damnati. Liber de Itineribus, & rebus ab eodem in India gestis apud Abdiam commemoratur. Acta S. Thomæ manuscripta græcè in aliquibus Bibliothecis adhuc asservari aliqui dicunt, Evangelium S. Thomæ Auctorem habuit Thomam Manetis Discipulum. Historiam de homine à Leone vorato, quam supra ex Augustino retuli, ex Actis S. Thomæ haustam apud Abdiam leges. Ex iisdem Actis etiam habetur, S. Thomam oleo non aquâ baptizasse: quod cùm Manichæi in usu haberent, facile est credere, tam illa Acta quàm Evangelium sub nomine S. Thomæ, ab aliquo Manichæo & præsertim à Thoma conficta fuisse. De Thomæ Pseudo-Evangelio Cyrillus Hierosol. Catech. 6. hæc habet: *Hujus* (Manetis) *Discipuli tres fuere, Thomas, Baddas, & Hermas. Nullus quæso legat Evangelium secundùm Thomam; non enim est unius è duodecim Apostolis, sed unius de tribus pravis Manis Discipulis*. De Baptismo verò non in aqua sed in oleo collato dubitatur, an hoc Manichæis in usu fuerit. Manes enim in disputatione cum Archelao n. 50. de Baptismo sic loquitur, quasi quidem remissionem peccatorum non conferat, sed tamen à se propter Christi exemplum adhibeatur. Verùm

rùm quia S. Turribius Asturicensis in Epist. ad S. Leonem 15. cap. 5. refert, eos non in aqua sed in oleo baptizasse, id forsan Priscillianistis in Hispania peculiare fuit, & fortè etiam posterioribus Manichæis. Nam tertio & quarto seculo, Baptismo Christi ad exemplum eos usos fuisse videtur certius. Sed quia postea Baptismo suo multa fœda miscuerunt, ideò Patres aliqui baptizatos ab eis iterùm baptizandos esse censuerunt. Sic Hieron. in dial. contra Luciferianos, Basilius Epist. 1. ad Amphiloch. Can. 1. Sed hæc omittamus.

§. III.

An S. Thomas miserit Thaddæum Edessam.

I. Quæsitum hoc unum supponit, aliud proponit. Supponit Agbarum Edessenorum Principem gravi infirmitate afflictum, auditâ famâ miraculorum Christi ægros à quacumque infirmitate curantis, ad eum scripsisse Epistolam, quâ precabatur, ut ad eum sanandum Edessam se conferret. Ad eum autem Christum suâ Epistolâ respondisse, se non posse deserere Judæos, propter quos venerat, missurum tamen unum ex suis, quo sanitati restitueretur. Et hæc est Epistola Jesu ad Agbarum, de qua contentio est, an acceptanda ut genuina, an ut apocrypha rejicienda sit. Hanc rem tractavi Tom. I. Verit. Relig. Christ. cap. 4. de Lib. apocr. §. 1., ubi perpensis utriusque partis momentis, quæ ibi Lector videre poterit, causam in medio reliqui. Quia verò adhuc stante dubio, an Christus reverà Epistolam ad Agbarum dederit, subsistere potest quòd Agbarus nuntios ad Christum miserit; ut enim scribit Matthæus cap. 4. v. 24.: *Abiit opinio ejus in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes* &c.: & quòd Christus estò non scripto, voce tamen promiserit, se unum ex suis ad eum sanandum missurum, ideò exurgere potest alterum quæsitum, an hoc promissum impletum fuerit à Thoma mittente illuc Thaddæum.

II. Hujus missionis historiam, quam ex publicis Edessæ Tabulariis Syriacâ linguâ scriptam, & à se græcè redditam se excerpsisse dicit, nobis exhibet Eusebius L. 1. hist. cap. 13., ubi postquam narravit de Epistola scripta ab Agbaro ad Jesum, & de Epistola Jesu ad eundem, subjicit sequentia: *Post Ascensum Jesu Christi Judas, qui etiam Thomas dictus est, Thaddæum Apostolum, unum è septuaginta ad Agbarum misit. Qui cùm illuc advenisset, apud Tobiam Tobiæ filium divertit. Postquam verò fa-*

ma de ejus adventu & de miraculis, quæ ab ipso edebantur increbrescere cœpit, nuntiatum est Agbaro advenisse illuc Apostolum Jesu, sicut per litteras promiserat. Cœpit igitur Thaddæus morbos quoslibet & languores Divinâ virtute sanare, adeò ut cuncti admiratione caperentur. Proinde cùm Agbarus ab illo patrata miracula audivisset, & quo pacto per Nomen & virtutem Jesu Christi morbos fugaret, in suspicionem adductus est, hunc ipsum esse de quo Jesus olim ad se perscripserat. Cùm primùm me ad eum recepero, ex Discipulis meis aliquem ad te mittam, qui & morbum tuum curet, & vitam tibi tuisque omnibus præstet. Accito igitur Tobiâ, cujus hospitio utebatur, accepi, inquit, potentem quemdam Virum profectum Jerosolymis apud te diversari, & plurimas morborum curationes in nomine Jesu ab illo fieri. Ad hæc Tobias, Certè, inquit, Domine, Peregrinus quidam apud me est, qui plurima edit miracula. Tum Agbarus: illum velim ad me adducas. Igitur Tobias domum reversus, sic Thaddæum allocutus est. Agbarus hujus Civitatis Regulus accersivit me, jussitque ut te ad ipsum perducerem, quò ipsius ægritudinem cures. Cui Thaddæus: Pergamus, inquit, quoniam ejus potissimùm gratiâ sum missus. Postridie ergo Tobias mane assumto Thaddæo ad Agbarum perrexit. Cùmque esset ingressus, Agbarus proceribus suis circumseptus in ipso intrantis Thaddæi vultu Divinum nescio quid videre sibi visus est: quo conspecto statim Thaddæum adoravit. Mirabantur omnes, qui aderant, quippe qui nihil horum vidissent, quæ Agbaro apparuerant. Tum Agbarus Thaddæum interrogavit: Tu ne, inquit, Discipulus es Jesu filii Dei, qui hæc ad me scripsit: Ex Discipulis meis aliquem ad te mittam, qui & morbum tuum curet, & vitam tibi, tuisque omnibus præstet? Cui Thaddæus: quandoquidem, inquit, maximam fiduciam posuisti in Servatore Jesu, qui misit me, idcircò ad te sum missus. Quòd si deinceps magis ac magis in eum credideris, fient omnia, quæ postulas, prout fidem habebis. Hìc Agbarus: Adeo, inquit, credidi ei, ut Judæos, qui illum in Crucem egerunt, bello appetere, & ad internecionem delere voluerim, nisi metus Imperii Romani me ab hoc consilio revocasset. Tum Thaddæus: Dominus, inquit, noster, & Deus Jesus Christus quidquid à Patre mandatum fuerat executus est, perfectisque omnibus ad parentem suum est reversus. Cui Agbarus: Et in ipsum, inquit, credidi, & in Patrem ipsius. Tunc Thaddæus: Propterea, inquit, manum tibi impono in Nomine Domini nostri Jesu. Quo facto statim Agbarus morbo & ægritudine, qua laborabat, liberatus est. Hactenùs Eusebius. Qui subindè exponit admirationem Populi ob hanc sanationem Agbari & ulterius cujusdam alterius nomine Abdi à podagra, aliorumque mul-

multorum, qui Verbum Dei à Thaddæo audiebant. Qui tandem ab Agbaro rogatus die crastino publicâ concione omnia exposuit de Christo credenda, quæ in Symbolo postea collecta sunt: unde omnes in eum crediderunt. Cùmque Agbarus aurum atque argentum Thaddæo dari jussisset: ille accipere recusavit, dicens: Cùm nostra dimiserimus, cur aliena capiemus?

III. In hac Eusebii narratione scrupulum primò facit, cur Thomæ uni ex duodecim Apostolis nomen *Judæ* affinxerit, cùm dicatur quidem *Didymus*, sed Judas nullibi dictus reperiatur. Nomen Judæ Thaddæo quidem uni ex duodecim Apostolis tribuitur. Undè lapsus credendus est, vel Eusebii, vel potiùs Scriptorum. Nec dici potest lapsum in hoc esse, quòd Thomæ nomen Judæ tribuatur, quod tribuendum erat Thaddæo. Nam, ut infra dicam, Thaddæus, qui Edessam missus est, non est ille, qui Judæ cognomen habebat. Nascitur secundò scrupulus, cur Eusebius, Thaddæum missum Edessam vocet Apostolum, & simul dicat esse unum è Septuaginta, cùm ex Evangelio Lucæ 10. constet, hos 70. esse à 12. Apostolis distinctos? sed tolli potest dicendo Thaddæum vocari Apostolum non absolutè, sed illius Gentis, ad quam missus fuit: neque enim solis duodecim hoc inditum est vocabulum Apostoli, sed extensum est etiam ad omnes eorum Discipulos comites & adjutores generali quâdam ratione, dum ad aliquam Gentem primi mittebantur, ut notavit Hieronymus in cap. 1. ad Galat., dicens: *Quatuor autem genera Apostolorum sunt. Unum quod neque ab hominibus est, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem. Aliud, quòd à Deo quidem est, sed per hominem. Tertium, quòd ab homine, non à Deo. Quartum, quòd neque à Deo, neque per hominem, neque ab homine, sed à semetipso. De primo genere potest esse Isaias cæterique Prophetæ & ipse Apostolus Paulus, qui neque ab hominibus, neque per hominem, sed a Deo Patre & Christo missus est. De secundo Jesus filius Nave, qui à Deo quidem est Apostolus constitutus, sed per hominem Moysen. Tertium genus est, quum hominum favore & studio aliquis ordinatur, ut nunc videmus plurimos non Dei judicio, sed redemto favore vulgi in Sacerdotium ordinari. Quartum est Pseudo-Prophetarum & Pseudo-Apostolorum, de quibus Apostolus* (2. Cor. 11. 13.) Istiusmodi Pseudo-Apostoli operarii iniquitatis, transfigurantes se in Apostolos Christi, qui dicunt, hæc dicit Dominus: & Dominus non mittit eos. Ita Hieronymus. Apostoli ergo (idest Missi seu Nuntii) de primo genere fuere Duodecim, & alii 70., quos ipse Jesus misit per se ipsum. De secundo ii, quos mittebant Apostoli. De tertio utinam

nam in Ecclesia plures non essent. De quarto Hæretici sunt, & præsertim Moderni, qui nec à Deo, nec per hominem, nec ab homine, sed a semetipsis missi sunt, ut in vera Ecclesia Tom. I. fusè demonstravi.

IV. Controvertitur, quis fuerit ipse Thaddæus a S. Thoma Edessam missus. Cùm duo inter Discipulos Christi reperiantur Thaddæi nomine; unus dictus Judas Thaddæus, qui ex duodecim Apostolis fuit; alter Thaddæus, sive juxta Ruffinum *Tattæus*, qui vulgò creditur fuisse frater S. Thomæ Apostoli; fit, ut sæpè confundantur, & quod uni convenit, alteri tribuatur. S. Hieronymus in cap. 10. Matthæi putat, fuisse Judam Thaddæum unum ex duodecim, qui ad Agbarum missus fuit: ait enim: *Thaddæum Apostolum Ecclesiastica tradit historia missam Edessam ad Agbarum Regem Osroenæ, qui ab Evangelista Luca Judas Jacobi dicitur*. Communis tamen sententia fert, Thaddæum Edessam missum non fuisse Judam Thaddæum unum ex duodecim, sed Thaddæum unum ex septuaginta Discipulis, ut notat Eusebius citato loco.

V. De anno, quo S. Thomas misit Thaddæum Edessam non modica contentio est. Eusebius hujus historiæ auctor præcipuus, videtur indicare, hoc accidisse paulò post Christi in Cœlos Ascensum, tum ex ejus verbis relatis L. I. cap. 13., tum ex iis, quæ refert L. 2. cap. 1., ubi inter Gesta ab Apostolis post Christi Ascensum, ait: *Iisdem temporibus quæcumque Servator noster Osdroenorum Regi promiserat ad effectum perducta sunt. Thomas enim Divino quodam motus afflatu Thaddæum Christianæ doctrinæ præconem & nuntium Edessam misit*. Quod ex eo etiam comprobatur, quia Eusebius circa finem Regni Tiberii hoc contigisse indicat, nimirùm circa annum Christi 35. vel 36.; imò cùm Eusebius citatus referat missionem Thaddæi, quasi eodem tempore, quo facta fuit Ordinatio Jacobi fratris Domini in Episcopum Jerosolymitanum, quam factam fuisse anno Christi 34. censet Baronius num. 290., non capio quomodò idem Baronius expeditionem Thaddæi ad annum protrahat. Quid in hac obscuritate dicendum, latet: sanè cùm Agbarus esset Gentilis, non Judæus, difficile creditu est, missum ad eum fuisse Thaddæum, antequam Evangelium aperiretur Gentibus per Cornelii Baptismum, imò antequam fieret inter Apostolos divisio Provinciarum, aliàs non ad Thomam, sed ad Petrum, vel totum Collegium Apostolicum spectasset Prædicatorem mittere Edessam. Factâ autem divisione Provinciarum inter Apostolos, dici posset, quod cùm Thomæ contigisset illa portio Syriæ vel Meso-

sopotamiæ, memor promissi Christi facti Agbaro, ad illum Thaddæum Discipulum, vel etiam fratrem suum delegarit. Sed annus, quo facta fuit Apostolorum divisio, incertus est. Baronius enim putat, fuisse annum Christi 44., alii annum 36. Omnia ergo incerta sunt.

VI. Quis fuerit hujus Thaddæi exitus, obscurum est. Quia sæpè cum Juda Apostolo dicto etiam Thaddæo confusus, parum imò nihil honoris obtinuit apud Latinos. Græci in Menol. Basilii die 19. Junii illum memorant; sed Thaddæum, qui Agbarum convertit, volunt fuisse Judam Thaddæum Apostolum. In Menologio tamen Sirleti die 21. illum distinguunt: sic enim ajunt: *Natalis S. Apostoli Thaddæi, qui Lebæus dictus est. Sanctus Apostolus Thaddæus ex urbe Edessa, Hebræus genere, Divinis litteris eruditus, ascendit Jerosolymam in diebus Joannis Baptistæ; cujus prædicationem audiens, & ejus Angelicam vitam admiratus, ab eo baptizatus est. Postea Christum videns, & ejus ipsius infinita miracula, cælestemque doctrinam audiens, secutus est eum: post cujus in Cælum Ascensionem reversus in Patriam Abagarum Regem baptizavit, ejusque lepræ quod reliquum fuerat curavit: cùmque multos alios docuisset, & Fide curasset, Ecclesiis ædificatis, pertransiit urbes Lyciæ: cumque Berytum civitatem Phœniciæ venisset, & illic multos ad Christi Fidem conversos baptizasset, requievit in Domino*. Vide Lector, quàm variè de isto Thaddæo, & de hac historia referant Auctores. Hæc igitur relinquamus.

CAPUT VII.

De Sancto Jacobo Minore.

§. I.

Quot Jacobi fuerint.

I. TRibus Apostolus iste appellari solet nominibus, nempè Jacobus Minor relatè ad Jacobum fratrem Joannis Evangelistæ & filium Zebedæi, qui nuncupatur Major; Jacobus Alphæi; quia Alphæi filius: & Frater Domini, quia ejus Consobrinus: de quibus statim. Hinc factum est, ut aliqui, præsertim ex Græcis, tres Jacobos distinxerint: Jacobum Majorem filium Zebedæi, Jacobum filium Alphæi, & Jacobum fratrem Domini; & istum è numero duodecim Apostolorum excludant. His referente Baronio ad annum 44. n.36. con-

consentit Nicephorus L.2.cap.3. & 40.; & ante ipsum non defuere, qui de tribus Jacobis idem sentirent; sed imprudenter, quia sine ullo stabili fundamento. Nam S. Jacobum fratrem Domini non fuisse unum ex duodecim Apostolis fundant in Libris Recognitionum S. Clementi falsò adscriptis, & ejusdem Clementis Constitutionibus, sed apocryphis, ubi L.2. cap.54. ex Persona Apostolorum dicitur: *Nos ergo qui digni facti sumus, ut essemus testes adventus ejus cum Jacobo fratre Domini, & aliis septuaginta duobus, & septem Diaconis* &c.: quibus volunt, Jacobum fratrem Domini non fuisse unum ex Apostolis, quia separatim ab illis nominatum. Sed si ita est, cùm separatim etiam a septuaginta Discipulis nominetur, nec erit unus ex septuaginta. Quid ergo erit? Jacobus ergo ibi specialiter nominatur, non ut è numero duodenario excludatur, sed potiùs cùm esset frater Domini, hoc speciali charactere exprimitur. Sed quid in apocryphis hæremus? Paulus ipse Galat.1. v.19. eum expressè inter Apostolos recenset, dicens: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*; & cap.2. v.9. eum inter Apostolos, qui videbantur Ecclesiæ Columnæ esse, refert his verbis: *Et cùm cognovissent gratiam, quæ data est mihi Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur Columnæ esse* &c.

II. Cæterùm duos tantùm fuisse Jacobos, nempè filium Zebedæi, dictum Majorem, & filium Cleophæ, dictum Fratrem Domini, & Minorem, verius judico: Primò quia ita sentit Clemens Alexandrinus apud Eusebium L.2. hist. cap.1.: *Duo*, inquit, *fuere Jacobi; alter cognomento Justus, qui ex Templi fastigio præcipitatus, & à fullone fustè percussus interiit; alter qui capite truncatus est. Porro Jacobi illius Justi meminit etiam Paulus ita scribens: Alium autem ex Apostolis vidi neminem, præter Jacobum fratrem Domini*. S. Hieronymus licèt in cap.1. Epist. ad Galat., & in cap.17. Isaiæ, in aliquorum sententia præter duodecim Apostolos à Christo electos tertiumdecimum nominet Jacobum fratrem Domini, & consequenter eum distinguat à Jacobo Alphæi: attamen in L. contra Helvidium, ubi rem dogmaticè tractat, oppositum sentit; ait enim: *Nulli dubium est, duos fuisse Apostolos Jacobi vocabulo nuncupatos: Jacobum Zebedæi, & Jacobum Alphæi. Istum, nescio quem Minorem Jacobum, quem Mariæ filium, nec tamen Matris Domini, Scriptura commemorat, Apostolum vis esse, an non? Si Apostolus est, Alphæi filius erit, & credet in Jesum, & non erit ex illis fratribus, de quibus scriptum est*,, Neque enim tunc fratres ejus credebant in eum ,, *Si non est Apostolus, sed tertius nescio quis Jacobus, quomodò*

modò est frater Domini putandus? & quomodò tertius ad distinctionem Majoris appellatur Minor: quum Major & Minor non inter tres, sed inter duos soleat præbere distantiam, & frater Domini Apostolus sit, Paulo dicente „ Deindè post triennium veni Jeru-
„ salem videre Petrum, & mansi apud illum diebus quindecim:
„ alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fra-
„ trem Domini„ *Et in eadem Epistola*„ Et cognitâ gratia, quæ da-
„ ta est mihi, Petrus & Jacobus & Joannes, qui videbantur Co-
„ lumnæ esse „. *Ne autem hunc putes Jacobum filium Zebedæi, lege Actus Apostolorum. Jam ab Herode fuerat interemtus. Restat conclusio, ut Maria ista, quæ Jacobi Minoris scribitur Mater, fuerit uxor Alphæi* &c. En quomodò S. Hieronymus contra Helvidium probat, Jacobum fratrem Domini eumdem esse ac Jacobum Alphæi Apostolum.

III. Addi potest S. Hippolytus in Lib. duodecim Apost., ubi ait: *Jacobus Alphæi prædicans Jerosolymis lapidatus à Judæis occiditur, illicque propè Templum sepelitur*, quæ non de alio Jacobo Alphæi, quàm de fratre Domini intelligi possunt; hic enim, ut dicam, Jerosolymis, ubi erat Antistes, à Judæis occisus fuit. S. Augustinus L.2. contra Crescopium cap.37., Jacobum fratrem Domini Apostolum vocat; nam de Jerosolymitana Ecclesia ait: *Quam primus Apostolus Jacobus Episcopatu suo rexit*. Observandum autem hic est, quòd dignitas Episcopatus Jerosolymitani quantacumque esset, numquam tamen dignitati Apostoli æquiparari poterat. Cùm ergo Jacobus frater Domini à S. Paulo Galat. 2. par primis Apostolis agnoscatur, dum ait, *Jacobus & Cephas & Joannes, qui videbantur Columnæ esse*; clarum fit, eum non solùm Episcopum, sed & Apostolum fuisse, sicut erant Cephas & Joannes. Nec dicas, fuisse quidem Apostolum, non unum è duodecim à Christo electis, sed modo extraordinario asumtum ultra illos, sicut Matthias Paulus & Barnabas; nam de his tribus Scriptura nos certos facit, sed de Jacobo, unde certò colligitur? In Concilio Ephesin. Part.1. cap.17. vocatur Apostolus unà cum Petro & Joanne.

IV. Nihilominus Græci & Veteres & Recentiores videntur Jacobum fratrem Domini distinguere à Jacobo Alphæi uno ex duodecim. Ita S. Gregorius Nyssenus Orat.2. in Christi Resurrect. S. Joan. Chrysost. hom. 5. in Matth. Jacobum Jerosolymorum Episcopum ponit in numero eorum, qui in Jesum non crediderunt ante ejus resurrectionem, de quibus Joann.7.v.5. dicitur: *Neque enim fratres ejus credebant in eum*. Sed cum Sanctus Judas Apostolus, qui & frater Domini dicitur, ab Apo-

ftolatu non excludatur; cur propter hoc excludendus erit S. Jacobus Minor, qui & ipse frater Judæ erat, & ideò frater Domini? Sanè si à numero Apostolorum excluditur, quia aliquando hæsitavit in Fide, numerus Apostolorum ad paucos reducetur, cùm pauci fuerint, qui in Fide non hæsitaverint. Sicut ergo hoc non obstante veri Apostoli sunt, quia post Resurrectionem omnes in Fide constantes fuere; ita & Jacobus frater Domini. Undè ut ipse Chrysostomus ibi testatur: *Quando dogmatum causâ Paulus Jerosolymam ascendebat, Jacobum statim adiit, qui ita admirandus erat, ut illius Urbis Episcopatum primus acciperet.*

V. Huic opinioni favere videtur S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 14. de Christi Resurrectione disserens, ubi ait: *Nunc verò Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium, & apparens Cephæ, postea duodecim Apostolis: si enim uni testi non credis, habes duodecim testes: deinde apparuit plus quàm quingentis fratribus simul. Si illis duodecim non credant, quingentos testes recipiant. Postea visus est à Jacobo fratre, primo hujus parœciæ (Civitatis) Episcopo.* Verùm ut benè dicit Alexander secul. 1. c. 8. hinc tam malè colligitur, Jacobum fratrem Domini non esse unum ex duodecim, quàm malè colligeretur, S. Petrum è numero duodecim Apostolorum non esse, quia S. Paulus scribit 1. Cor. 15. v. 5. & 7.: *Visus est Cephæ, & post hoc undecim*, sicut scribit: *Visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus.* Sicut ergo sensus est, quòd primò visus sit Cephæ soli, deindè aliis undecim incluso Petro: ita quòd primò Jacobo soli visus sit, deinde Apostolis omnibus incluso in istis etiam Jacobo.

VI. Eusebius suprà pro nostra sententia relatus, Libro tamen 1. hist. cap. 12. de Jacobo Minore dicit: *Unus hic ex septuaginta Discipulorum numero: ac præterea ex fratribus Domini fuisse perhibetur.* Verùm hæc in uno tantùm Codice habentur, ab aliis desunt, ut observant Critici. Nec Ruffinus ea agnoscit, sic enim vertit: *Post etiam dicit, eum visum esse Jacobo, qui erat unus ex his, qui Fratres Domini appellabantur.* Cui Eusebius ipse consentire videtur, dum postea L. 2. cap. 1., ut suprà, ex Clemente Alexandrino duos tantùm Jacobos admittit. In sententia igitur apud Latinos communi, duos tantùm esse Jacobos, & ambos Apostolos, standum censeo. Nam, ut dixi, opposita in apocryphis fundatur, nempè in Lib. Recognit. falsò S. Clementi attributis, in Constit. falsò Apostolicis dictis L. 2. cap. 55., & Pseudo-Dorotheo in Synopsi de 72. Discipulis. Ex hoc fonte eam ebiberunt Glycas & Recentiores Græci. Inter quos adhuc dissensio est, quid de Jacobo Alphæi, quem Apostolum & à Jacobo

cobo Fratre Domini distinctum volunt, factum sit. Glycas enim vult Ostracinæ pro Christo Cruci affixum fuisse; in Menologio Basilii die 9. Octobris dicitur virgis cæsus; in Menolog. autem Sirleti nulla Jacobi Alphæi fit mentio, sed solius Jacobi Fratris Domini die 23. Octobris, his verbis: *Natalis S. Martyris Apostoli Jacobi Fratris Domini*: quibus non videtur eum distinguere à Jacobo Alphæi, sed duos solos Jacobos admittere, nempè Jacobum fratrem Joannis, & Jacobum Fratrem Domini, ut reverà statuendum est.

§. II.

S. Jacobi Minoris genus: de Maria, & Cleopha.

I. Statuto, S. Jacobum Fratrem Domini eundem esse ac Jacobum Alphæi unum è duobus Apostolis, ejus genus quærendum est; nempè qui fuerint ejus Parentes; cur dicatur Frater Domini. Communiter creditur, S. Jacobum Minorem parentes habuisse Cleopham alio nomine Alphæum, & Mariam Cleophæ dictam, Sororem germanam B. Mariæ Matris Jesu juxta illud Joann. 19. v. 25.: *Stabant autem juxta Crucem Jesu Maria Mater ejus, & Soror Matris ejus Maria Cleophæ*; ideòque dici Fratrem Domini idest Consobrinum, quia filium Sororis Mariæ Matris Domini. Placet hìc afferre, quæ de hoc dicit S. Thom. in cap. 1. ad Galat. Lect. 5.: *Quare*, inquit, *Jacobus dicatur* Frater Domini *à diversis diversimodè dicitur. Helvidius enim dicit, quòd ideò dicitur Frater Domini, quia fuit filius Beatæ Virginis: Dicit ergo, quòd Beata Virgo Christum concepit, & peperit, & post partum Christi concepit de Joseph & peperit alios filios. Sed hic error est damnatus & reprobatus. Item patet esse falsum, quia Jacobus non fuit filius Joseph, sed Alphæi.*

Alii verò dicunt, quòd Joseph ante Beatam Virginem habuit aliam uxorem, de qua habuit filium Jacobum & alios: quâ mortuâ accepit in uxorem Beatam Virginem, de qua natus est Christus, non tamen cognitâ à Joseph, sed per Spiritum Sanctum, ut in Evangelio dicitur. Quia ergo ex Patre nominantur Cognationes, & Joseph putabatur pater Christi; ideò iste Jacobus, licèt non fuerit filius Virginis, tamen vocabatur Frater Domini. *Sed hoc est falsum: quia si Dominus Matrem Virginem noluit nisi Virgini commendare custodiendam, quomodò sustinuisset Sponsum ejus Virginem non fuisse: & sic perstitisse?*

Ideò alii dicunt (& in Glossa tangitur) quòd Jacobus iste fuit filius

filius Mariæ Cleophæ, quæ fuit Soror Virginis: Dicunt enim, quòd Anna Mater Beatæ Virginis nupsit primò Joachim, ex quo peperit Mariam Matrem Domini, quo mortuo nupsit Cleophæ fratri Joachim, ex quo peperit Mariam Cleophæ: & ex hac natus est Jacobus Minor, Judas, & Simon; quo mortuo dicitur, quòd nupsit adhuc cuidam tertiò, qui vocatus est Salome, ex quo concepit & peperit aliam Mariam, quæ dicta est Salome, & de hac natus est Jacobus Major, & Joannes frater ejus.

Sed huic opinioni dupliciter contradicit Hieronymus. Primò quia Salome non est nomen viri, ut etiam in græco apparet, sed est nomen mulieris, quæ fuit Soror Beatæ Virginis, & ex Zebedæo genuit Jacobum Majorem & Joannem: sicut Maria Cleophæ ex Alphæo genuit Jacobum Minorem, Judam, & Simonem. Dicitur autem Frater Domini iste Jacobus, specialiter inter alios Consobrinos: & hoc propter duo: primò propter similitudinem effigiei, quia similis erat Christo in facie, & propter similitudinem vitæ, quia imitabatur Christum in moribus. Vel quia Alphæus pater ejus fuit de cognatione Joseph: & ideò quia Judæi cognationis lineam texere solent à maribus, & Christus putabatur filius Joseph, ut dicitur Lucæ 3.; ideò specialiter dictus est Frater Domini, & non alii, qui solùm ex Matre conjuncti erant.

II. Quibus S. Thomas reprobat primò errorem damnatum Helvidii, volentis, Jacobum dici Fratrem Domini, quia Filium Beatæ Virginis ex concubitu cum Joseph. Secundò, rejicit opinionem volentium, Jacobum dici Fratrem Domini, quia filium Joseph ex priori conjuge. Hanc opinionem non pauci Veterum amplexi sunt. Epiphanius hæref. 28. cap. 7., Eusebius L. 2. hist. cap. 1., Hilarius in cap. 1. Matth., Ambrosius L. de Instit. Virg. cap. 6., Gregorius Nyssenus Orat. 2. de Resurrect., & alii. S. Augustinus dum esset adhuc Presbyter in Comm. in cap. 1. ad Galatas rem indecisam reliquit dicens: *Jacobus Domini Frater, vel ex filiis Joseph de alia uxore, vel ex cognatione Mariæ Matris ejus debet intelligi*. Relinquitur tamen ab omnibus modò hæc opinio: tum obrationem à S. Thoma supra allatam: tum quia fundatur in apocryphis, quæ tamen dicunt, priorem Joseph conjugem fuisse nomine *Eboam*, non Mariam Cleophæ, qualis creditur fuisse Mater Jacobi. Quo posito sequeretur etiam, quòd si ista fuisset prior Josephi uxor, ex qua genuit Jacobum Minorem, cùm hæc adhuc viveret tempore Passionis Christi, fieret, ut S. Joseph eodem tempore habuisset duas uxores, & cùm esset Soror Mariæ Virginis, simul habuisset duas Sorores in uxores.

III. Ter-

III. Tertia opinio, quam refert S. Thomas, quòd Maria Cleophæ Mater Jacobi Minoris fuerit filia S. Annæ ex alio Viro suscepta, & ideò Soror Beatæ Virginis; ac Jacobus hâc ratione fuerit Frater ideſt Consobrinùs Domini, ab aliquibus suscipitur; qui autumant, S. Annam primò Joachim nupsisse, ex quo habuit filiam Mariam Matrem Jesu; deinde cùm Cleopha matrimonio junctam Mariam Cleophæ Jacobi Minoris, Josephi Justi, Simonis Zelotis, & Thaddæi matrem genuisse; è tertiis denique cum Salome nuptiis Mariam uxorem Zebedæi & S. Jacobi Majoris & S. Joannis Evangelistæ Matrem procreasse. In hujus fidem aliqua afferunt Carmina, quæ apud Gersonium Tom.3. sequentia sunt.

Anna tribus nupsit, Joachim, Cleophæ, Salomeque:
Ex quibus ipsa Viris peperit tres Anna Marias:
Quas duxere Joseph, Alphæus, Zebedæusque.
Prima Jesum: Jacobum, Joseph, cum Simone Judam
Altera dat: Jacobum dat tertia, datque Joannem.

Hæc tamen non tantæ auctoritatis sunt, ut ad ea amplectenda nos moveant.

IV. Secundùm hanc opinionem Maria Jacobi Minoris mater, & Mariæ Virginis soror licèt ex alio patre, dicitur Maria Cleophæ ex patre, non ex Viro, qui fuit Alphæus, sicut altera ejus soror dicitur Maria Salome, non ex Viro, qui fuit Zebedæus, sed ex Patre, qui fuit Salome. Alii tamen volunt, eam fuisse vocatam Mariam Cleophæ ex viro Alphæo, qui alio nomine Cleophas dicebatur. Undè apud istos eadem est quæ dicitur Matth. 27. v.56.: *Maria Jacobi & Joseph mater*, Marci 15. v.40., & Lucæ 24. v.10., ac illa quam Joannes cap.19. v.25. vocat *Mariam Cleophæ*. Cleopha ergo & Alphæus unum eundemque Virum designant, ut Jacobus filius Mariæ Cleophæ idem sit ac Jacobus filius Alphæi; ita ut *Alphæus* fuerit nomen proprium, Cleophas vero cognomen additum, quia Cleophas sive hebraicè *Chaleph* quod sonat *immutare*, idem significat ac mutabilem; vel ex urbe *Chaleph* in finibus Nephtali in Galilæa, ex qua fortè ille oriundus erat, derivatur. Posset etiam dici, quòd Maria Beatæ Virginis soror primò nupserit Alphæo, & ex isto susceperit Jacobum, quo mortuo nupserit Cleophæ, ex quo alios filios susceperit. Et sic conciliari, quod S. Jacobus dicatur *Jacobus Alphæi* Matth. 10. v.3., & Maria Mater ejus dici posset à Joanne cap.19. v.25. Maria Cleophæ, quia eo tempore nupta erat Cleophæ. Cæterùm cùm non semper mulieres cognomen sumerent à Viro, sed vel à patre, vel à filio, unde ea-

eadem Maria vocatur Maria Jacobi, Maria Jose, vel à familia, vel aliundè, nihil certi de hoc statui potest, sed solùm tenendum, quòd Maria soror Mariæ Virginis quomodocumque vocata, fuerit Jacobi Minoris mater. Ita S. Hieron. L. contra Helvid.: *Restat*, inquit, *conclusio, ut Maria ista, quæ Jacobi Minoris scribitur mater, fuerit uxor Alphæi, & soror Mariæ matris Domini; quam Mariam Cleophæ Joannes Evangelista cognominat sive à patre, sive à gentilitate familiæ, aut quacumque alia causa ei nomen imponens*. Quod sentit etiam S. Augustinus in cap. 1. ad Galat supra relatus.

V. Hactenùs locutus fui suppositâ opinione supra relatâ à S. Thoma de triplici S. Annæ conjugio, ut salvetur, eas, quas Evangelium vocat Beatæ Virginis sorores, verè tales & germanas sorores fuisse, & qui dicuntur Fratres Domini fuisse ejus consobrinos, quam opiuionem secuti fuere Petrus Comestor in Hist. Evangelica cap. 47., Ludolphus Carthus. de Vita Christi par. 1. cap. 5., Ugo à S. Victore qu. 5. in Ep. ad Galat., Jo: Gerson de Nat. B. Mariæ, & pro ea citantur etiam S. Antoninus Hist. par. 1. tit. 4. cap. 6. §. 10., Lanspergius Serm. de Sancta Anna, Bonaventura, Echius, Jacobus de Vorag., Albertus Magnus, Bellouacensis, Jo: Major, & alii. Quia tamen hæc opinio videtur detrahere continentiæ S. Annæ, & decori ipsius Beatæ Virginis ejus filiæ, nec fundamentum habet in puriorum seculorum Traditione: propterea recentiores Scriptores passim eam relinquunt; voluntque, S. Annam nec alium habuisse Virum præter Joachim nec alium filium aut filiam præter Mariam Virginem, quam post diuturnam sterilitatem in senectute concepit. Quibus & ipse subscribo: *Nec enim* (dicam cum Fulberto Carnot. Serm. 3. de Nat. Beatæ Mariæ) *decebat, ut hujus singularis Virginis Sanctissimi Progenitores fœdarentur plurimorum propagatione filiorum, qui erant futuri unicæ Matris Domini provisores & educatores egregii*. Idem sentit Damascenus hom. 1. in Nat. Beatæ Virginis: omnesque moderni Scriptores. Nec obest quòd Mariæ in Evangeliis tribuantur sorores. Nam ut ait Euthymius in Joann. cap. 19.: *Unigenita erat Dei Mater. Mos autem erat apud Hebræos fratrum quoque uxores appellare sorores propter virorum fraternitatem. Joseph quidem & Cleophas viri, Deiparæ & alterius Mariæ, naturâ fratres erant; ipsæ autem eorum uxores affinitate sorores*. Consentit Baronius in Appar. n. 41. dicens: *Porrò fratrum & Sororum nomine sæpè in Divinis Scripturis cognatos & propinquos intelligi apertissimum est: nec enim quis dixerit esse mentitum Abraham, cùm Saram uxorem sororis nomine nun-*

nuncupavit. Univiram verò fuisse Annam, nec post obduratam sterilitatem, ex voto conceptam, repromissione obtentam, susceptamque in senectute filiam, alios novisse partus, tam veteres, quàm recentiores Orthodoxi Patres sunt professi. Hac ergo prælectâ sententiâ;

VI. Maria hæc S. Jacobi Minoris Mater habuit etiam alios filios, nempè Joseph, Marci 15. v.40., ubi vocatur *Maria Jacobi Minoris & Joseph*, qui dicitur etiam *Jose*; Judam Thaddæum Apostolum, qui in sua Epist. v.1. se Jacobi fratrem vocat *Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi*; & Simonem seu Simeonem: unde Marci 6. v.3. Judæi de Jesu per contemtum dicebant: *Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi & Joseph & Judæ & Simonis?* Ex his clarè apparet, hujus Mariæ filios appellari fratres Jesu, nempè cognatos, quia filios Mariæ Cleophæ, dictæ sororis matris ejus. Quòd si, ut vult Hegesippus, Cleophas Mariæ vir ponitur fuisse frater Joseph Mariæ Virginis sponsi, fit, ut sicut Maria, quia modo dicto soror B. Virginis, dicebatur Christi Matertera, ut S.Hieronymus Epist. 150. ad Hebid. q.4.; ita Cleophas frater Joseph crederetur patruelis Christi, ut apud Euseb. lib.3. Hist. cap.11., & sic duplici titulo vocarentur fratres Domini, tum ratione Matris, tum etiam Patris in hominum æstimatione. De S.Juda & Simone seu Simeone Episcopo Jerosolymorum post S.Jacobum infra sermo erit.

VII. De Josepho Jacobi fratre seu Josete, ut eum vocat S. Hieronymus lib. contra Helvid., nihil in historia habemus. Hunc fuisse illum Josephum Barsabam dictum Justum, qui Act.1. v.23. assumtus fuit una cum Matthia, ut in locum Judæ proditoris alteruter sufficeretur, aliqui arbitrati sunt. Difficultas tamen est: quia Joseph Barsabas erat unus ex illis, qui secuti fuerant Jesum ab initio, & omni tempore in eum crediderant, ut habetur Act. 1. v.21. & 22. Hoc autem saltem de omnibus, qui dicebantur fratres Domini, asseri non potest, Joanne dicente cap. 7. v. 5. *Neque enim fratres ejus credebant in eum*, sed tunc primò crediderunt, quando instabat festum Tabernaculorum, hoc est sex mensibus ante passionem. Quod cùm verum non sit de SS. Jacobo & Juda, qui utpotè Apostoli ab initio in Jesu sequela & fide permanserunt, saltem de Josepho & Simeone dictum putari debet. Qui tamen primitivam in fide hæsitationem tantâ postea fide compensarunt, ut & ipsi cum aliis Apostolis (Act.1. v.14.) fuerint Spiritu Sancto repleti, eorumque in fide constantiam celebret Chrysostomus homil.5. in Matth.

VIII. De Maria Jacobi matre hæc scimus: Eam inter priores Fidem Christi suscepisse, ejus fidelem comitem in itineribus

bus extitisse, crediturque fuisse unam ex illis, quæ Lucæ 8. v.3. ministrabant ei de facultatibus suis. Nec illum ultimo Paschate deseruit, sed &, cùm traditus neci ductus fuit ad Calvarium, ipsum cum aliis secuta est: unà cum Virgine juxta crucem permansit Marci 15. v.40., & Joan. 19. v.25. cadaveri sepeliendo adfuit Lucæ 23. v.49.; die alterâ condiendo cadaveri aromata præparavit Lucæ 24. v.1. Ad monumentum cum aliis die Dominico veniens, nec invento in eo cadavere, sed accepto ab Angelis de Resurrectione nuntio, statim ad Apostolos detulit, Lucæ 24. v.9. 10. Dum iret, obvium habuit Christum, cujus illa cum Sociis pedes amplexa est Matth. 28. v.9. Reliqua ejus gesta sicut & tempus mortis prorsùs ignota sunt. In Martyrologio Romano Mariæ Cleophæ festum ad diem 9. Aprilis consignatur his verbis: *In Judæa S. Mariæ Cleophæ sororis Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ*. Et die 25. Maii ponitur ejusdem Translatio: *Verulis in Hernicis Translatio S. Mariæ Jacobi, cujus sacrum Corpus plurimis miraculis illustratur*. Sed hic puto æquivocationem esse. Nam Corpus quod Verulis asservatur non est Sanctæ Mariæ Cleophæ, seu Mariæ Jacobi Minoris matris: sed Mariæ Salome matris Jacobi Majoris & Joannis, quam non illuc translatam, sed ibi mortuam esse volunt, ut ex illius Ecclesiæ monumentis ostendit in suo libro Abbas Neschiaroli. Sunt, qui velint ejus exuvias reconditas asservari in Provincia in Urbe, cui nomen *Tres Mariæ* ad ripam Rhodani & maris. Græci autem ad diem octavam Aprilis festum agunt SS. Mulierum, quæ aromatibus Corpus Domini condierunt, quarum corpora se habere contendunt in Ecclesia B. Virginis, à Justino II. erecta.

IX. Cleophas (quem, ut dixi, Veteres, Egesippus apud Eusebium lib.3. Hist. cap.11., Epiphanius hæref. 78. cap.7., & alii S. Joseph fratrem, & Jacob filium dicunt ex Maria, sorore Mariæ Virginis appellatâ) filios habuit S. Simonem & Judam & Jose, & secundùm aliquos etiam S. Jacobum Minorem: dictus propterea etiam Alphæus. Tota ejus familia Jesu addicta Christum ut Israelis Redemtorem fatebatur. Verùm quia Cleophas mysterium Crucis nondum fuerat assecutus, eum exanimatum & mortuum conspiciens, spem Redemtionis amisit. Quare cùm eâdem Resurrectionis die, tertiâ autem à Christi morte ad Emmaus cum alio discipulo pergeret, ac mutuò de Christo differerent, Christus Jesus eis apparens Lucæ 24. v.17. *Qui sunt*, inquit, *hi sermones, quos confertis ad invicem & estis tristes?* Cui Cleophas, eum esse Jesum non agnoscens, narravit

vit omnia, quæ de Jesu damnatione crucifixione ac morte illis diebus contigerant, addens v.21. *Nos autem sperabamus quia ipse redemturus esset Israel*: quibus ostendunt se ampliùs non sperare. At Jesus eorum hæsitatione in fide objurgatâ, ac eis ostenso, sic oportuisse Christum pati, & sic intrare in gloriam suam, manifestavit eis se ipsum consecratione panis in Corpus suum, eosque in fide confirmavit. Et hoc facto, dicit S. Hieronymus Epist. 27. modò 86., domum illam, quæ erat domus Cleophæ, Christus in Ecclesiam dedicavit. Quamvis si Cleophas ponitur S. Joseph frater, domus ejus in Galilæa, unde ortus fuit, potiùs quàm in Emmaus statuenda videretur.

X. De Cleophæ gestis nihil ultra novimus. In Martyrologiis Latinorum Bedæ, Usuardi, Adonis & Romano dicitur fuisse à Judæis in eadem domo occisus. Sic enim die 25. Septembris habetur: *In Castello Emmaus Natalis Beati Cleophæ Christi discipuli, quem tradunt in eadem domo, in qua mensam Domino paraverat, pro confessione illius à Judæis occisum, & gloriosâ memoriâ sepultum*. Græci verò illius memoriam celebrant die 30. Novembris his verbis: *Natalis Sancti Apostoli Cleophæ*. Scribit Sozomenus lib.5. Hist. cap.21. de Emmaus olim vico, post excidium autem Jerosolymorum dictâ *Nicopoli*, sequentia: *Ante hanc urbem prope trivium, ubi Christus post Resurrectionem iter faciens cum Cleopha & sociis valedixit, tamquam in alium vicum pergens: fons quidam salutaris est, in quo & homines & animalia variis morbis affecta lavando curantur. Ajunt enim, Christum unà cum discipulis aliunde venientem ad hunc fontem divertisse, ac pedes in eo abluisse: atque ex eo tempore aquam hanc ad morbos sanandos efficacissimum fuisse remedium*.

XI. De Discipulo comite Cleophæ in itinere ad Emmaus, quis fuerit, ambigitur. S. Gregorius lib.1. in Job. cap.1. putat, fuisse ipsum Lucam, qui hoc scripsit, quia se ipsum proprio nomine non appellat. Sicut enim Joannes in suo Evangelio nunquam suum nomen prodit, sed se indicat dicendo *ille* vel *alius discipulus*: ita Lucas dum nominat Cleopham, alterius autem discipuli nomen tacet, *se ipsum fuisse monstravit. Scriptores enim sacri eloquii, quia impulsu Sancti Spiritus agitantur, sic de se in illo testimonium, tamquam de aliis proferunt*. Origenes in Jer. hom. 19., Basilius seu quisquis Auctor Comm. in Isaiam c.6. putant vocatum fuisse Simonem, Epiphanius hær.23. c.6. Nathanaelem, S. Ambrosius tamen in Luc. c.24. *Ammaonem* illum appellat dicens: *Sicut se Ammaoni & Cleophæ seorsim jam vespere demonstraverat*. Quis tamen reverà fuerit, est incertum.

§. III.

S. Jacobi Minoris qualitates.

I. JAcobus qui & Jacob (nomen frequens apud Judæos & apud Christianos usitatum) dictus fuit Minor comparatè ad alterum Jacobum fratrem Joannis dictum Majorem. Et hoc cognomine communiter secernitur apud Latinos, à Græcis tamen frequentiùs vocatur *Frater* Domini; quo nomine etiam vocatur à Paulo Galat. 1. v. 19. Unde autem isti, præ cæteris Domino secundùm carnem conjunctis, hæc prærogativa *Fratris* ei specialiter indita fuerit, præter supradicta, dici potest cum Origene lib. 1. contra Celsum, fuisse, & quia cum Jesu fuerat educatus, & magis, quia ei in vita & moribus similis erat: *Jacobus ille*, inquit, *est, quem Paulus verus Jesu discipulus, ait se vidisse ut fratrem Domini: fratrem autem non tam ob sanguinis cognationem communemque ipsorum educationem, quàm ob mores & doctrinam*. Idem sentiunt Epiphanius hæres. 78. cap. 13., & Nyssenus Orat. 2. de Resurr.

II. Cur autem dictus fuerit Jacobus Minor, variè loquuntur Patres: aliqui volunt dictum fuisse ab ætate, aliqui à corporis statura. Si primum asseratur, non subsistit opinio S. Epiphanii hæres. 78. cap. 8. volentis, eum natum fuisse 40. annis ante ortum Jesu Christi; quo fieret, ut cum mortuus fuerit anno 62. Æræ communis, mortuus fuisset anno ætatis 104. vel 106.; & cùm ei in Episcopatu Jerosolymitano Simeon ejus frater successerit, in ætate decrepita & inepta ad regimen Ecclesiæ ei suffectus fuisset. Addo quòd Mater ejus Maria Cleophæ tempore passionis Christi adhuc vigorem habebat ad itinera cum aliis subeunda, quod stante opinione Epiphanii verisimile non fuisset; habuisset enim annos ad minùs 90. Et prætereà cùm in Evangelio recenseatur inter sorores Matris Domini, credibile est matrem Jacobi Minoris in ætate Matris Domini parum disconvenisse, & sic Jacobum ejus filium fuisse in ætate à Christo non multùm disparem, præsertim in sententia Origenis & Nysseni volentium, Jacobum fuisse cum Jesu educatum. Quot autem annis Christum superarit, incertum est. An verò Jacobus Minor ætate Jacobum fratrem Joannis superarit, an eo fuerit ætate minor, statui non potest. Dicerem ergo, Jacobum fratrem Joannis dici Majorem relatè ad Joannem, quia erat Major natu ipso, Jacobum autem hunc Minorem appellari, ut ab eo secer-

natur: quod ſentit S. Hieronymus lib. contra Helvid: vel dici Minorem non ætate, ſed ſtaturâ, ideſt parvum unde Græcè dicitur *ὁ μικρός*.

III. Verùm quia dixi ex Origene, Jacobum hunc fuiſſe appellatum fratrem Domini, quia ei præ cæteris ſimilis in moribus & doctrina, quo factum eſt, ut etiam *Jacobus Juſtus* nuncuparetur, non pigeat audire, quæ Hegeſippus (auctor ſecundi ſeculi, qui ex Jacobi diſcipulis ea, quæ ſcripſit, accipere potuit) apud Euſebium lib.2. cap.23. refert his verbis: *Eccleſiæ adminiſtrationem unà cum Apoſtolis ſuſcepit Jacobus frater Domini, qui jam inde à Chriſti temporibus ad noſtram uſque ætatem Juſtus cognominatus eſt. Nam multi quidem eodem nomine Jacobi vocabantur. Sed hic ab ipſo matris utero Sanctus fuit: nec vinum unquam bibit, nec ſiceram; ab animantium carnibus penitùs abſtinuit. Comam numquam totondit; neque ungi neque lavare balneo corpus unquam ſolitus. Unus ex omnibus in intimum Templi Sanctuarium ingrediendi jus facultatemque habebat. Neque enim lanicio, ſed lineâ tantùm veſte utebatur. In Templum ſolus intrare, atque ibi genibus flexis pro peccatis Populi ſupplex orare conſueverat. Adeò ut genua ipſius inſtar Cameli occalluerint, dum aſſiduè Deum venerans, & pro ſalute Populi vota faciens, humi ſterneretur. Hic ergo ob ſingularem juſtitiam cognominatus eſt* Juſtus, *&* Oblias, *quòd latinè munimentum Populi & juſtitiam ſignificat* &c. Iſta ex Hegeſippo. Hoc poſtremum confirmat ex Jobio Photius Biblioth. Cod. 222. pag. 642. dicens: *Jacobus verò in quantum virtutis gradum aſcendiſſet, quantamque de ſe opinionem apud Judæorum Populum excitaſſet, vel ſola ejus appellatio clamat. Ipſum enim Populus propter virtutis magnitudinem, atque agendi cum Deo libertatem*, Obilam, *hoc eſt* Populi præſidium & protectionem *vocabant*. Controvertitur an legendum ſit *Oblias* ut Euſebius, an *Obila* ut Photius, an in utroque mendum ſit; cùm *Opbilia* potiùs legi debuiſſet, quòd ſignificet *Arcem Populi*; ſed noſtrum non eſt in hoc laborare.

IV. Facit quidem gravem difficultatem, quod Hegeſippus dicit, nempè S. Jacobum habuiſſe facultatem unum ex omnibus in intimum Templi Sanctuarium ingrediendi. Vel enim intimum Sanctuarium ſumitur pro eo quod dicebatur *Sancta Sanctorum*, & ſic nulli licebat ingredi niſi ſummo Pontifici: vel pro eo quod dicebatur *Sancta*, & hoc ſolis Sacerdotibus Legis ingredi permiſſum erat. Cùm ergo Jacobus Sacerdos Legis non eſſet, & multò minùs Summus Sacerdos, arguunt aliqui, Hegeſippum in hoc hallucinatum fuiſſe vel exceſſiſſe. Inter quos

Scaliger narrationem hanc tanquam inanem fabulam rejicit.

V. Nihilominùs Scriptorem adeò antiquum & ferè coævum, qualis est Hegesippus, primâ facie aspernari, cùm in moderato sensu possit explicari, audaciam sapere videtur. Petavius ergo, aliique non pauci contextum ita exponuut, ut Jacobo soli liceret *Sancta* ingredi, seu sacra illa loca, quæ *Sancta* simpliciter vocabantur, ubi Mensa, Panes Propositionis, Candelabrum & Altare Suffitus extabant: in quæ soli Sacerdotes intrabant, & licèt cæteri statis tantùm suis ministerii diebus ingredi possent, Jacobo tamen Minori ob ejus eximiam virtutem & sanctitatem quotidie ingredi licebat. Et de hoc loquitur Hegesippus, non de Sancto Sanctorum, quod solus Summus Sacerdos, & quidem semel in anno intrare poterat. Esto autem illud appellet *intimum Sanctuarii*, solùm intendit per hoc locum illum distinguere ab exteriori parte seu atrio, quod Populo permittebatur.

VI. Sed dices: Jacobus Minor non erat Sacerdos; quomodo ergo poterat ei permitti, ut, & quidem continuò, intraret in Sancta solis Sacerdotibus reservata? Reponere possem: B. Virgo Maria, nec erat Sacerdos, nec Sacerdotii capax quia femina; quomodo ergo poterat intrare in Sancta? Et tamen multi (ut supra expendi) viri docti & pii sentiunt illam intrasse non solùm in Sancta, sed in Sancta Sanctorum: nec solùm intrasse, sed in eo loco educatam per undecim annos speciali privilegio mansisse, & manu Angeli fuisse nutritam. Quî ergo credi non potest, etiam Jacobum Minorem ratione suæ sanctitatis speciali gratiâ in Sancta ingredi, ibique quotiescumque vellet orare fuisse permissum? Accedit, quòd ut præfati Auctores dicunt, solutâ Captivitate Babylonicâ, tanta non fuit illius loci reverentia, quin notatæ sanctitatis viri, etsi nec Pontificali nec Sacerdotali dignitate aucti, ad illum admitterentur; ad quod probandum afferunt exemplum de Jacobo Minore.

VII. Nullus tamen mihi scrupulus est admittere, Jacobum fratrem Domini Sacerdotali dignitate, vel saltem Levitica fuisse auctum, antequam sese Christo daret. Hoc tamen admisso, oportet statuere S. Jacobum fratrem Domini non fuisse de Tribu Juda, nec filium Cleophæ fratris S. Joseph, sed alterius qui dicebatur Alphæus, & erat de Tribu Levi: vel veriùs quòd Maria Cleophæ mater ipsius (quæ dicitur B. Virginis soror) descenderet ex filiabus Aaron. Quemadmodum Christus, cujus frater Jacobus dicebatur, esto ex semine David & Tribu Juda esset se-

secundùm carnem, ex parte tamen Matris Tribum Levi & Sacerdotale genus attingere voluit. Unde S. Augustinus lib. 2. de Conf. Evang. cap. 2. licèt asserat, Mariam de stirpe David fuisse, dicit tamen aliquid de sacerdotali genere participasse his verbis: *Cujus feminæ quoniam nec Sacerdotale genus tacetur, insinuante Lucâ, quòd cognata ejus esset Elisabeth, quam dicit de filiabus Aaron; firmissimè tenendum est, carnem Christi ex utroque genere propagatam, & Regum scilicet & Sacerdotum.* Quid igitur impedit, quin Maria Cleophæ Mariæ Virginis dicta soror stirpem Sacerdotalem aliquo modo contingeret, quo Jacobus ejus filius sacerdotalis gradus capax fieret, eo maximè tempore, quo non accuratè, nec adeò secundùm rigorem legis res agebantur?

VIII. Huic obstare potest primò, quòd, ut idem Hegesippus refert apud Eusebium lib. 3. Hist. cap. 20., Nepotes Judæ fratris Jacobi & Domini delati fuerunt ad Domitianum, quòd essent ex Regia familia David progeniti: quod & ipsi confessi sunt. Secundò non est credibile, aliquem è Sacerdotibus à Christo in Apostolatum fuisse assumtum; & maximè quia solos illiteratos & communes de Populo vocare Christus consueverat.

IX. Respondeo tamen ad primum, Nepotes Judæ fratris Jacobi, qui dicebatur Frater Christi, respondisse, se esse de stirpe Regia David secundùm lineam paternam: quod non tollit, quin secundùm lineam maternam stirpem Sacerdotalem attingerent. Ad secundum dico, non esse incredibile, quòd Christus, qui Matthæum Publicanum è telonio vocavit, in quem etiam ex Principibus crediderunt, Joann. 12. v.42., Jacobum fratrem ad se spontè venientem, etsi Sacerdotem Legis, â sui sequela & Apostolatu non rejecerit. Si Act.6. v.7. dicitur, quòd Apostolis prædicantibus *multa Turba Sacerdotum obediebat Fidei;* non erit incredibile, quòd vel unus è Sacerdotibus Christo prædicanti obediret, maximè secundùm carnem ei conjunctus. Fateor, Christum elegisse in Apostolos homines vulgares & idiotas, sed hoc non tollit, quin unum saltem, qui non esset de infimo ordine elegerit. Addo, quòd cùm tunc Sacerdotium carnali propagatione traduceretur; contingere poterat, quòd illiteratus & idiota esset in ministerio. Tales certè erant filii Heli 1. Reg.2. v.36., solliciti de pane & argento magis quàm de Lege. Talis fuit quidam Phani seu Phanisus, ut refert Josephus L.4. de Bello Judaico cap.5., cui non ex Pontificibus orto, sed apertè quid esset Pontificatus propter rusticitatem penitus nescien-

scienti, rure abstracto, Pontificatus honor delatus fuit.

Hæc de Jacobi Minoris Sacerdotio dixi, non quasi hoc certum statuens, sed ostendens, non esse velut absonum vel incredibile quod dicit Hegesippus de ipso, quòd ei in Sanctuarium ingredi præ sua pietate permitteretur: præsertim cùm inter alios S. Hieronymus L. de Script. Ecclesiast. cap.2. hoc idem iisdem Hegesippi verbis referat, nec improbet.

X. Refert idem Hieronymus citato loco, in Evangelio dicto secundùm Hebræos, à se in Latinum verso, quo sæpè utitur Origenes, post Resurrectionem Domini hæc legi: *Dominus autem quum dedisset sindonem Servo Sacerdotis, ivit ad Jacobum & apparuit ei. Juraverat enim Jacobus, se non comesturum panem ab illa hora, quâ biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à dormientibus*. Rursùsque post paululùm: *Afferte*, ait Dominus, *mensam & panem*: statimque additur: *Tulit panem & benedixit & fregit & dedit Jacobo Justo, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius Hominis à dormientibus*. Sed hæc, quæ ex Evangelio apocrypho hausit Hieronymus, si vera essent, probarent, hanc Jesu apparitionem factam fuisse Jacobo ipsâ die Resurrectionis. Porrò cùm Evangelia ab Ecclesia ut canonica suscepta nihil dicant de juramento à Jacobo facto non comedendi panem ab illa hora usque dum videret Christum resurgentem, nec de Apparitione Christi post Resurrectionem Jacobo porrigentis panem eumque invitantis ad comedendum, valdè suspecta redditur hæc narratio. Dicit quidem Paulus 1. Cor.15. v.6. & 7., Christum visum fuisse Jacobo, sed postquam visus fuit plusquàm quingentis Fratribus. S. Augustinus L. 3. de Conf. Evang. cap. 25. hunc ordinem describens, ait: *Omnium ergo Virorum primò apparuisse intelligitur Petro... Cæterùm si apparuit alicui eorum priùs quàm Petro, quod omnes tacuerunt, quis vel dicere audeat vel negare?* Et infra: *Probabiliter tamen creditur, posteaquàm Petro apparuit, deindè apparuisse istis duobus, quorum unus erat Cleophas, de quibus Lucas* c.24.v.15. &c. *totum narrat*. Conficitur ergo, quòd ista apparitio Jacobo non die ipsâ Resurrectionis facta fuerit, sed, ut prædixerat Angelus Matth.28. v.7., in Galilæa & post dies octo. Quare S. Thomas in cap.15. 1. ad Cor. lect.1. dicit, quòd *si post omnes numeratas apparitiones apparuisset Jacobo, nimis diù fuisset sine cibo; & hoc est difficile. Et ideò dicendum est, quòd ideò singulariter Christus apparuit Jacobo, quia specialem devotionem ad Christum Jacobus habebat. Et de ista etiam apparitione nihil habetur in Evangelio*. Scio, Baronium ad ann 34. num.211. velle, apparitionem factam ipsâ

ipsâ Resurrectionis die esse diversam ab ista, quam refert Paulus. Sed quo fundamento ponitur hæc diversa apparitio?

XI. Quod autem ex Evangelio secundùm Hebræos refert Hieronymus, quòd Christus resurgens sindonem dedit Servo Sacerdotis, falsum est; quia contrarium Evangelio, in quo asseritur omnia linteamina, quibus involutum Corpus & Caput Christi, fuisse inventa post Resurrectionem in Sepulchro. Sic enim ait Joannes cap.20. v.5. &c., quòd ipse currens cum Petro *Venit primus ad monumentum. Et cùm se inclinasset vidit posita linteamina, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introivit in monumentum, & vidit linteamina posita, & Sudarium quod fuerat super Caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum.*

XII. Clemens Alexandrinus apud Eusebium L.2.hist.cap.1. dicit, Christum post Resurrectionem communicasse Scientiæ Donum hisce tribus Jacobo Justo, Joanni, & Petro, & istos aliis Apostolis tradidisse: *Jacobo* inquit *Justo, & Joanni, & Petro Dominus post Resurrectionem Scientiæ donum impertiit: quod illi cæteris Apostolis, hi verò septuaginta Discipulis, quorum unus fuit Barnabas, tradiderunt.* Hoc Dono, scribit Origenes L.1. contra Celsum, clariorem effectum Jacobum fuisse, quàm Christi cognatione & communi educatione. Et S. Hieronymus ita eum celebrat in cap.1. ad Galat.: *Nunc hoc sufficiat, ut propter egregios mores & incomparabilem fidem, sapientiamque non mediam, frater dictus sit Domini: & quòd primus ei Ecclesiæ præfuerit, quæ primà in Christum credens ex Judæis fuerat congregata.* Sed his nos invitat Hieronymus ad ejus Episcopatum Jerosolymitanum. Sit ergo

§. IV.

Jacobus Justus Episcopus Jerosolymitanus.

I. S. JAcobum Fratrem Domini fuisse in Episcopum primum Jerosolymorum immediatè à Christo constitutum, sentit Chrysostomus hom.38. in 1. ad Cor. de eo dicens: *Ipse enim* (Christus) *dicitur ei manum imposuisse ac ipsum ordinasse, & primum Episcopum fecisse Jerosolymis.* Quod & Græci in Menol. Basilii asserunt die 23. Octobris his verbis: *Sanctus Jacobus primus Jerosolymorum Episcopus ab ipso Christo ordinatus.* Idem videtur sensisse S. Hieronymus loco nuper citato, ubi de Jacobo dicit, quòd etsi cæteri Apostoli Fratres Domini in Evangelio di-

dicantur: *Sed præcipuè hic Frater dicitur, cui filios Matris suæ ad Patrem vadens Dominus commendaverat*: Quasi sicut Petro omnes generaliter commendaverat, ita illius primæ ex Judæis Ecclesiæ particularis, speciali Jacobi curæ committeret: undè Bernardus L.2. de Consider. cap.6.: *Jacobus*, inquit, *qui videbatur Columna Ecclesiæ, unâ contentus est Jerosolymâ: Petro Universitatem cedens. Pulchrè verò ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, ubi occisus est ille; nam dictus est Frater Domini*. Alii tamen etiam ex Veteribus volunt, Jacobo non à Christo immediatè, sed ab Apostolis Ecclesiam Jerosolymitanam regendam fuisse traditam, ut Eusebius L.2. hist. cap.23. Hæc tamen componi posse videntur dicendo, Apostolos formali electione secutos fuisse designationem illius à Christo factam, nimirùm post Ascensionem solemniter eam omnibus Discipulis declarando, & Jacobum externâ quâdam cæremoniâ speciem Ordinationis præferente inthronizando.

II. Hanc electionem statim post Ascensionem, aut certè post Martyrium Stephani, à tribus Apostolis Petro Jacobo Zebedæi & Joanne fuisse factam, ex Clemente Alexand. refert Eusebius L.2. cap. 1. his verbis: *Ait enim* (Clemens) *post Servatoris Ascensum Petrum, Jacobum, & Joannem, quamvis Dominus ipsos cæteris prætulisset, non idcircò de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum cognomine Justum Jerosolymorum Episcopum elegisse*. Quibus apparet, quàm alieni à Primatus ambitu post acceptum Spiritum Sanctum essent illi, qui sub ipsius Christi adhuc in Terris degentis præsentiâ de Primatu contendebant. (Lucæ 22.v.24.). Unde Chrysostomus hom.3. in Acta: *Aliorum*, inquit, *Discipulorum summam humilitatem considera, quo pacto illi thronum concedunt, neque mutuò disceptant. Illa enim Ecclesia quasi in Cælis posita erat, seculare nihil habens, non parietibus, non marmoribus, sed eorum qui convenerant fervore resplendens*. Et post multa demonstrans, unde veniant & Episcopatus ambitio & interdum etiam inter ambientes dissidia, concludit: *Sed dicam, qua de causa hac de re dissidia oriantur: quia nempè non quasi ad præfecturam & patrocinium Fratrum accedimus, sed quasi ad honorem & requiem. Si scires enim, Episcopum omnium esse, omnium onera ferre oportere: quòd aliis irascentibus venia detur, illi verò minimè; quòd aliis peccantibus excusatio multa, ipsi verò nulla sit; ad hanc dignitatem non accurrisses. Hic enim omnium linguis expositus est, omnium judicio, sapientium & insipientium; quotidianis curis atteritur, imò & nocturnis; multorum odio, multorum invidiæ patet*. Hæc & alia quæ Chrysostomus & ipse Episco-

scopus de Episcopatu sentit, considerent velim, qui Episcopatum tantâ facilitate affectant.

III. Non sic tamen Jacobus Ecclesiam Jerosolymitanam regendam suscepit, ut etiam Apostolos sibi subditos, sed potiùs ut in ea gubernanda socios haberet. Ita Hegesippus Apostolorum temporibus proximus apud Eusebium L. 2. hist. cap. 23.: *Ecclesiæ*, inquit, *administrationem unà cum Apostolis suscepit Jacobus Frater Domini*. Aliqui non veriti sunt eum appellare Caput & Episcopum Apostolorum in ea manentium. Hoc certum est, quòd Paulus Galat. 2. v. 9. loquens de Apostolis, quos Jerosolymis invenerat, primo loco Jacobum nominat, quasi ibi dignitate præcipuum. Cæterùm in Actibus Ecclesiam universam spectantibus primum semper locum obtinet Petrus, ut Acta Apostolica demonstrant. Undè Chrysostomus hom. 87. modò 88. Joan.: *Cur*, inquit, *Jacobus Jerosolymorum thronum accepit? Respondebo: Petrum non throni hujus, sed totius Orbis Doctorem à Christo statutum fuisse*. S. Jacobi Ordinatio in Episcopum à quibusdam antiquis Martyrologiis affigitur diei 27. Decembris: ex quo aliqui censent, quòd Jacobus vel non statim fuerit ordinatus, vel quòd Episcopale exercitium non susceperit nisi post Apostolorum discessionem. Apostolis enim proximè discessuris cura fuit relinquere in ea Civitate Pastorem, qui in eorum absentia Populum fidelem ex Judaismo gubernaret. Cæterùm etiamsi præsentibus aliis Apostolis Episcopale munus tanquam primus gereret, intelligendum est cum Anastasio Bibliothecario in Annot. ad Conc. Constantinopolit. IV. tanquam primus respectu eorum, qui ab Apostolis ordinati erant, non eorum qui à Domino, quales erant Apostoli, & præcipuè Petrus.

IV. Illius sanctos mores, austeritatem vitæ, Orationis continuum studium, ac justitiæ zelum, adeò ut antonomasticè vocaretur Jacobus Justus, supra §. 3. descripsi ex Hegesippo; quibus adjuncta animi lenitas ac suavitas, eum vel ipsis Judæis acceptum reddebat & gratum: & S. Hieronymus in cap. 1. ad Galatas: *Fuit*, inquit, *Vir tantæ sanctitatis & rumoris in Populo, ut fimbriam vestimenti ejus certatim cuperent attingere*. Hoc aliud refert Baronius ex Talmude Hierosolymitano in Sciabat c. 14.: *Rabbi Eligazer filio Dama colubri morsu ægrotante, venisse ad eum Jacobum è Castello Samma, ut in nomine Jesu fabri eum curaret; sed à Rabbi Ismael prohibitum. Cùmque contrà eum obniteretur ipse Eligazer, affirmans, id fieri potuisse, inter altercandum, serpente veneno, coram ipso Ismaele extinctus est: qui tunc exclamavit hæc dicens: O te felicem filium Dama, qui ex hoc mundo in pace migrasti*,

sti, *nec transgressus est materiam Sapientum*! Hæc ibi, quæ habetur etiam in Talmud Babylonico, ubi Jacobus frequenter per contemtum vocatur *Discipulus Jesu fabri*, ut jure credatur hoc dictum de Jacobo Episcopo Jerosolymitano, qui cæteris Apostolis diversas Provincias obeuntibus apud Judæos remansit.

V. Nec tamen solus Jacobus Episcopus Jerosolymis remansit, sed & aliqui, & fortè non pauci ex Discipulis cum eo remansisse tanquam ejus in ministerio adjutores, etiam Apostolis abeuntibus, credendi sunt. Erat ergo Jerosolymis florens Ecclesia, quæ non sui tantùm sed & aliarum curam haberet. In ea Petrus identidem moratus fuit. Ad eam in arduis difficultatibus consulendam veniebant, & ex ea decreta prodibant. S. Paulus anno 37. primò venit, sed ut habetur Act. 9. v. 26., cùm tentarit *se jungere Discipulis*, *omnes timebant eum*, *non credentes eum esse Discipulum*. *Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos* (nempè Petrum & Jacobum, qui soli tunc ibi erant Galat. 1.) *& narravit illis*, *quomodò in via vidisset Dominum*, *& quia locutus est ei*, *& quomodò in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu*: quibus auditis ab Ecclesia acceptatus fuit. Legitur Act. 11. versu 22. (circa annum 42.) quòd cùm pervenisset ad aures Ecclesiæ, quæ erat Jerosolymis, ingentes Fidei progressus Antiochiæ fieri, eundem Barnabam illuc misit; & cap. 12. v. 17. anno 44. Petrus miraculosè ab Herodiano carcere liberatus, ut de sua liberatione Jacobus & cæteri Fratres certiores fierent, sollicitus fuit, *nuntiate Jacobo & Fratribus hæc*.

VI. Præterea circa ann. 51. cùm quidam è Judæa Christiani (Act. 15. v. 1.) Ecclesiam Antiochiæ turbassent, dicentes etiam conversis ex Gentibus: *Nisi circumcidamini secundùm morem Moysi non potestis salvari*: causa hæc defertur ad Apostolos & Seniores, qui Jerosolymis erant, per Paulum & Barnabam. Ibi habetur Concilium, cui S. Jacobus interest, ac ultimus utpotè Episcopus loquitur, Decretum pro illo tempore mirâ suavitate temperat, ac in suam sententiam trahit Concilium, relinquens Ecclesiæ Præsidibus exemplum, ut asperiora ac duriora aliis relinquant, ipsi verò ea pro viribus salvâ Lege emolliant, ac emollita proponant, & sic infirmos alliciant potiùs, quàm deterreant.

VII. Jerosolymam hàc occasione venit Paulus, ut cum præcipuis illius Ecclesiæ Viris Petro Joanne & Jacobo conferret Evangelium, quod prædicabat in Gentibus, ut testatur ipse Galat. 2. v. 2.; quod hi tres, qui ut Columnæ Ecclesiæ habebantur, probavere v. 7. & 9., & admirantes Gratiam Dei ad conver-

versionem Gentium Paulo datam, dexteras societatis ei dederunt, & etiam Barnabæ; ut hi duo Gentibus, ipsi autem tres Judæis prædicarent. Porro cùm Jacobus, utpotè Jerosolymorum Episcopus, speciali titulo Judæorum Apostolus esset: Judæi autem etiam post Jesu Fidem susceptam pro observantiis suæ Legis zelum adhuc retinerent, credibile est, eum in sua Ecclesia aliquas earum ad tempus tolerasse, ut Judæos ad Christum sensim traheret, ut eruitur ex Act. 21. v. 20.: quo factum est, ut cùm paulò post Concilium venissent Antiochiam quidam missi à Jacobo, Petrus (qui antea cum Gentibus comedebat) ne qui è Jerosolymis venerant offenderentur, à Gentilium mensis se subtraxerit: quod & alii Judæi & Barnabas fecerunt. Ex quo Paulus occasionem sumsit Petrum reprehendendi, ut habetur Galat. 2. à v. 11. Super quæ S. Irenæus L. 3. cap. 12. ait: *Hi autem qui circa Jacobum Apostoli Gentibus quidem liberè agere permittebant, concedentes nos Spiritui Dei. Ipsi verò eumdem scientes Deum perseverabant in pristinis observationibus: ita ut Petrus quoque, timens ne culparetur ab ipsis, ante manducans cum Gentibus, propter visionem, & propter spiritum, qui requieverat super eos; cum tamen advenissent quidam ab Jacobo, separavit se, & non manducavit cum eis* &c.

VIII. Reversus Jerosolymam Paulus anno 58. sequentì die adivit Jacobum & Seniores (Act. 21. v. 17. &c.) cùmque eis narrasset Paulus, quanta Deus operatus esset in Gentibus per ministerium suum, gavisi sunt, & magnificabant Deum. Sed, quia de eo sparsus fuerat apud Judæos rumor, quòd doceret discessionem à Moyse; ut hunc tolleret, hortati sunt eum, ut se purificaret, & sacrificium offerret secundùm Legem Nazaræatus: consilium, quod à Jacobo præsertim prodiisse creditur, Paulus acceptavit. Ingens fuit numerus Judæorum, qui Jerosolymis Christo nomen dederunt. *Quotquot autem ex iis crediderunt* (inquit Hegesippus apud Eusebium L. 2. hist. cap. 23.) *Jacobi operâ & ministerio utique crediderunt*. Zelus iste pro observantia Legalium durasse creditur Jerosolymis usque ad tempora Hadriani, qui Judæos omnes Jerosolymæ aditu prohibuit. Quod quidem, ut ait Sulpitius L. 2. hist. num. 45., Christianæ Fidei multùm profuit. Nam cùm Jerosolymæ Ecclesia nonnisi ex Circumcisione haberet Sacerdotem, *penè omnes Christum Deum sub Legis observatione credebant. Nimirùm id Domino ordinante dispositum, ut Legis servitus à libertate Fidei tolleretur: ita tum primùm Marcus ex Gentibus apud Jerosolymam Episcopus fuit.* Ita Sulpitius Severus. Hoc idem refert Eusebius L. 4. hist. c. 6.

 IX. Cen-

IX. Censent aliqui, S. Jacobum fuisse auctorem, ut Jerosolymis celebraretur Pascha, non ampliùs Luna 14., sed die Dominico eam sequente, moti ex Eusebio L. 5. hist. cap. 23. & 25., ubi scribit, quòd Sanctus Narcissus Jerosolymorum, Theophilus Cæsareæ, Cassius Tyri, Clarus Ptolemaidis, aliique Episcopi in Concilio Palæstino desinente seculo II. congregati: (*Excitatá controversiá, & quòd omnes per Asiam Ecclesiæ vetustá quádam Traditione uixæ, quartadecimá Luná salutaris Paschæ festum diem celebrandum esse censebant, quo die præscriptum erat Judæis, ut agnum immolarent: eáque omninò Luná in quemcumque diem septimanæ incidisset, finem jejuniis imponendum esse statuebant: cùm tamen reliquæ totius Orbis Ecclesiæ alio more uterentur, qui ex Apostolorum Traditione profectus etiamnum servatur, ut scilicet non alio quàm Resurrectionis Dominicæ die jejunia solvi liceat.*) *Omnes uno consensu Ecclesiasticam Regulam universis Fidebus per Epistolam tradiderunt: ne videlicet ullo alio quàm Dominico die mysterium Resurrectionis Domini unquam celebretur, atque eâ dumtaxat die Paschalium jejuniorum terminum observemus.* Hæc Eusebius. Si ergo hæc Concilii decisio supponit, in omnibus totius Orbis Ecclesiis, Asiaticis dumtaxat exceptis, Pascha die Dominico celebrari, & hoc ex Apostolorum Traditione: si Narcissus Jerosolymorum Antistes, qui huic Concilio interérat, decreto subscripsit, nec contrarium suæ Ecclesiæ morem allegavit; signum est quòd etiam Jerosolymis hæc Apostolica Traditio servabatur. Undè autem nisi ex Jacobo Episcopo & Apostolo ortum habere potuit?

X. Verùm incredibile redditur, S. Jacobum hanc Paschatis mutationem in Ecclesiam Jerosolymitanam quoad praxim invexisse. Ecclesia enim illa tunc constituta erat ex ferè solis Christianis, qui venerant ex Judaismo, & qui ex dictis pro observantia Legis zelo ardebant: quare Jacobus in eis aliqua, mortua quidem, sed nondum mortifera, dissimulare cogebatur. Quid ergo dixissent, si statam à Lege Paschatis diem invertere tentasset? Num contra eum non insurrexissent, aut non in crimen ei vertissent, maximè cùm eum ad mortem accusarunt? Cùm ergo hoc ei non objecerint, indicium est (quidquid in se aliter sentiret) hac in re de Ritu Judaico eum nihil immutasse. Rursùs S. Joannes Evangelista, & S. Philippus hac in re infirmitati Judæorum indulsisse dicuntur apud Eusebium L. 5. cap. 24., qui tamen eisdem rationibus, quibus Jacobus non premebantur: & præcipuè S. Joannes, qui triginta annis superstes fuit Jerosolymitano excidio, post quod Legales observantiæ ferè abolitæ fuerunt.

runt. Traditio ergo illa de Paschate die Dominico celebrando quoad praxim ad alios ex Apostolis, non ad S. Jacobum est referenda.

§. V.

S. Jacobi Martyrium.

I. De tempore Martyrii S. Jacobi Jerosolymitani Episcopi apud omnes convenit, hoc accidisse, tunc cùm Festo Judææ Proconsule jam defuncto, Albinus ei ab Imperatore Nerone successor destinatus, adhuc in itinere erat, nec in Provinciam pervenerat, & consequenter cum nullo Præside Judæa regeretur. Ita Josephus L.20. Antiquit. cap.8., & Eusebius L.2. hist. cap.23.. Tota controversia est de anno, quo hoc contigit; in quo tanta est varietas, ut cui tutò adhærere possim ignorem. Quidam, inter quos Tilmontius, anno Christi 62. Martyrium Sancti Jacobi affigunt, Baronius anno 63., Eusebius in Chronico anno 65. Neronis septimo. S. Hieronymus L. de Script. Ecclesiasticis cap.1. dicit, quòd Jacobus *triginta annos Jerosolymorum rexit Ecclesiam, idest usque ad septimum Neronis annum*. Non dicit tamen, in quem Christi annum septimus Neronis inciderit, nec à quo Christi anno deducendi sint triginta anni ejus Pontificatus. Nec omninò certum est, à quo anno initium sumserit: si enim ab anno Christi 33. post Ascensum Domini incipimus numerare annos triginta ejus Pontificatus, debemus eum anno Christi 63. cum Baronio asserere Martyrio coronatum fuisse. Verùm quia nec exploratum est, quo anno cœperit Episcopatus Jacobi, cùm aliqui velint, eum solùm cœpisse factâ Apostolorum in Provincias secessione, nec certum sit eum 30. annis eam Ecclesiam rexisse, cùm S. Epiphanius hæref. 78. velit eum solis 24. annis à Passione Christi supervixisse, ideò nihil in hoc statui certum potest. Si tamen observetur ex Josepho L.7. de Bello Judaico cap.12. quòd anno, quo Jerosolyma capta est, qui fuit Christi 70., Albinus à septem annis & quinque mensibus Judæam regebat, probabile apparebit, mortem S. Jacobi anno 62. tempore Paschæ accidisse.

II. Causam & modum Martyrii S. Jacobi narrat Eusebius L.2. hist. cap.23. ex Hegesippo; cui consentit Josephus L.20. Antiquit. cap.8. Occasio ergo seu causa fuit hæc. Cùm Paulus ad Cæsarem provocasset, Romamque a Festo Proconsule missus esset, Judæi, qui insidias Paulo struxerant, spe suâ frustrati, in Ja-

Jacobum Fratrem Domini Episcopum Jerosolymitanum rabiem verterunt. Contigit interea, ut Festus moreretur, &, ut Josephus narrat, Cæsar auditâ Festi morte Albinum in Judæam mitteret Præsidem. Contigit quoque, ut semoto à Summo Sacerdotio Josepho, & jusso privatam vitam agere, Sacerdotium ejus Cæsar dederit Anano, seu Annæ, magni illius Annæ de quo in Evangelio mentio fit Filio, viro audaci & ingenio feroci, sectâ Sadducæo; quod hominum genus severissimum est. *Is igitur tempus opportuuum se nactum ratus mortuo Festo, Albino adhuc agente in itinere, concilium Judicum advocat, statutumque coram eo Fratrem Jesu Christi Jacobum nomine, & unà quosdam alios reos impietatis peractos lapidandos tradidit: quod factum omnibus in ea Civitate bonis & Legum studiosis vehementer displicuit; missisque ad Regem (Agrippam) clàm nuntiis, rogaverunt, mandaret Anano, ne quid tale post hac ageret, nam ne nunc quidem rectè egisse. Quidam etiam Albino occurrentes venienti ab Alexandria docuerunt eum, non licuisse Anano sine ipsius consensu advocare Concilium.... & Agrippa Rex eam ob causam post tertium mensem ablatum ab eo Pontificatum Jesu Damnæi filio concessit.* Hoc Josephi viri Judæi testimonium mirè probat injustam Jacobi necem. Licèt tamen Josephus videatur conjungere Jacobi accusationem coram Concilio cum ejus morte, quasi à Concilio damnatus fuerit, hoc fecit more historico, quo sæpè distincta quasi conjuncta proponuntur.

III. Res ergo, ut ab Hegesippo eam depromsit Eusebius lib.2. cap.23., ita evenit. *Quidam ex septem sectis, quæ apud Judæos erant .... interrogarunt eum, quodnam esset* Ostium *Jesu* (idest Institutio ac Fides Jesu, ut ibi exponit Valesius) *Quibus ille Jesum esse Servatorem ostendit. His auditis nonnulli eorum Jesum reverà Christum crediderunt. Suprascriptæ verò sectæ nec resurrectionem nec futurum Christi adventum, ut unicuique pro meritis mercedem tribuat, credebant* (tales erant Sadducæi, ex quorum secta erat Ananus illius cœtus caput, ut ex Josepho vidimus) *Quotquot verò ex iis crediderunt, Jacobi operâ ac ministerio utique crediderunt. Cùm ergo multi ex ipsis etiam primoribus crederent, tumultuari cœperunt Judæi, Scribæ & Pharisæi; eò jam ventum esse clamantes, ut propè omnis populus Jesum quasi Christum expectaret. Proinde in unum congregati Jacobum adeunt, hisque eum verbis compellant: Hortamur te, inquiunt, ut Populi errorem comprimas, qui falsam de Jesu opinionem imbibit, perinde quasi Christus esset. Persuade igitur omnibus, qui festo Paschæ die huc conveniunt, ut de Jesu rectè sentiant. Tibi enim omnes fidem ha-*

habemus; & cum universo Populo hoc tibi testimonium perhibemus, justissimum te virum esse, nec ullum apud te personarum discrimen valere.... Ascende igitur in fastigium Templi, ut in sublimi loco positus, ab omnibus conspici & exaudiri facilè possis. Nam Paschalis solemnitatis gratiâ cunctæ Judæorum Tribus, & ex Gentibus non pauci, huc convenerunt.

Post hæc supradicti Scribæ & Pharisæi cum Jacobum in fastigio Templi collocassent, contentâ voce sic eam alloqui cœperunt. O *Juste, cui nos omnes fidem adhibere par est, quandoquidem Populus omnis errat, Jesum sectans Crucifixum, doce nos, quod sit Ostium Jesu suffixi Cruci. Tunc Jacobus editâ voce sic respondit. Quid me, inquit, interrogatis de Jesu filio hominis? Ipse sedet in cælo à dextris summæ virtutis, & venturus est in nubibus cœli. Cùmque multi hoc Jacobi testimonio confirmati glorificarent Jesum dicentes,* Osanna filio David: *Tunc iidem Scribæ & Pharisæi inter se collocuti: malè, inquiunt, fecimus, qui tanto testimonio Jesum ornaverimus. Verùm ascendamus, eumque præcipitem dejiciamus, ut cæteri conterriti fidem illi habere desinant. Conclamare deinde cœperunt ac dicere:* O, o, *ipse etiam Justus erravit. Et impleta sunt ea, quæ apud Esaiam scripta sunt: Tollamus de medio Justum, quia molestus est nobis: propterea fructum operum suorum manducabunt.*

Mox ergo conscendentes, eum præcipitem egerunt. Et quoniam præcipitatus non statim mortem obierat, sed conversus flexis genibus orabat, dicens: Domine & Deus Pater, rogo ut ignoscat illis, quia nesciunt quid faciunt: illi inter se dixerunt: lapidemus Jacobum Justum. Cùmque hominem saxis obruerent, unus è Sacerdotibus ex filiis Rechab filii Rechabim, qui Hieremiæ suffragio commendati sunt, contentâ voce: parcite, inquit, quid facitis? Justus orat pro vobis. Interim unus ex iis fullo arrepto fuste, quo vestes exprimere solebat, caput Justi percussit. Atque ita felici martyrio vitam finiit.

IV. Hæc ex Hegesippo fuit series & exitus gloriosi martyrii Jacobi fratris Domini, qui è fastigio Templi Fidem Jesu prædicans, fortè Anano præcipiente, & lapidibus impetitus orans pro lapidantibus, fuste tandem in capite percussus vitam coronavit; idque circa festa Paschalia. Ita etiam referunt Clemens Alexandr. apud Eusebium lib.2. cap. 1., S. Hieronymus lib. de Script. Eccl. cap. 2.: ubi conjungens ea, quæ Josephus & Clemens narrant ait: *Ananus Pontifex adolescens Anani filius de genere Sacerdotali, acceptâ occasione* (quòd nimirùm Albinus præses necdum ad Provinciam pervenisset) *Concilium con-*

congregavit, & compellens publicè Jacobum, ut Christum Dei Filium denegaret, contradicentem lapidari jussit: qui cùm præcipitatus de pinna Templi confractis cruribus adhuc semianimis tollens ad cœlum manus diceret: Domine, ignosce eis, quod enim faciunt nesciunt, fullonis fuste, quo uda vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus interiit. Hujus Apostoli martyrium celebrant Græci die 23. Octobris, Latini verò die prima Maii.

V. Sepultum fuisse in eodem loco, in quo passus fuit, censet Hegesippus apud Eusebium citatum; asserens, usque ad sua tempora mansisse cippum, seu monumenti signum propè Templum, ideòque etiam post Jerosolymorum eversionem ac Templi à Romanis factam. Attamen eum sepultum fuisse in Monte Olivarum, asserit Gregorius Turonensis lib. de Gloria Mart. cap. 27.; sed à S. Hieronymo, qui ea loca perlustravit, rejicitur: ait enim lib. de Script. Eccl. cap. 2. *Juxta Templum, ubi & præcipitatus fuerat, sepultus est. Titulum usque ad obsidionem Titi, & ultimam Hadriani, notissimum habuit. Quidam è nostris in Monte Oliveti eum putaverunt conditum, sed falsa eorum opinio est.*

VI. Tantum facinus non solùm à Fidelibus, sed & à Sapientibus etiam ex Judæis, teste Josepho supra relato, improbatum fuit, qui contra Ananum Pontificem coram Albino conquesti sunt; non solùm ab Agrippa punitum, qui Ananum auctorem Sacerdotio privavit, sed etiam fuisse proximam Jerosolymorum cladis causam, Deo injustam Apostoli sui necem vendicante, censuerunt multi. Ita Eusebius lib. 2. cap. 23. sæpè citato ex Hegesippo & Clemente his verbis: *Porrò Jacobus ob singularem justitiam adeò celebris apud omnes & admirabilis fuit, ut Judæorum prudentissimi hanc fuisse causam existimaverint secutæ mox obsidionis Jerosolymorum. Quam quidem non ob aliud sibi contigisse, quàm propter scelus in Jacobum admissum, ipse etiam Josephus scripto testari minimè dubitavit, cum ait: Hæc omnia contigerunt Judæis propter Jacobum Justum, fratrem Jesu, qui dicitur Christus, qui cum esset omnium consensu justissimus, nihilominùs à Judæis necatus fuerat.* Cùm tamen hæc Josephi verba in nostris Codicibus non legantur, putari debet, vel ea fuisse abrasa, vel à Josepho scripta in alio Volumine, quod nobis non adest. Nec aliter existimare possumus, cùm Hieronymus L. 1. adversùs Jovinianum, & Origenes L. 1. contra Celsum, eadem ferè verba ex Josepho recitent. Imò Origenes ibi reprehendit Josephum, quòd dixerit, *Hæc Judæis contigisse*, nempè Jerosolymæ eversionem, *ut Jacobus Justus, qui Frater erat Jesu, qui vocatur*

tur Christus, *vindicaretur*: cùm potiùs dicere debuisset, hæc in vindictam ipsius Jesu ab ipsis occisi contigisse. Undè concludit: *Si ergo dicit* (Josephus) *excisas propter Jacobum fuisse Jerosolymas, cur non fuerit rationi magis consentaneum dicere id accidisse propter Jesum, qui Christus est?* Sed quamvis eversio Jerosolymorum Jesu Christi neci, qui eam prædixit, tribuenda sit; eam tamen Judæi Jacobi neci tribuerunt, quia proximè post istam, nempè septem post annos secuta est.

VII. Reliquit nobis S. Jacobus Justus unam Epistolam, de qua licèt olim dubitatum fuerit, & adhuc aliqui Heterodoxi dubitent, eam tamen ut Canonicam Ecclesia Catholica suscipit, ut ostendi Tom.1. Ver. Relig.Christ. Tract. de Libris cap.3. §.2. Undè ibi dicta Lector adire poterit. Alii libri sub ejus nomine olim prodiere. Celebre fuit illud, quod vocant *Proto* seu veriùs Pseudo-Evangelium Jacobi, adhuc apud Orientales notissimum, sed fabulis refertum, ut agens de Vita &c. Christi ostendi, & Gelasius I. illud ad apocrypha amandavit. Innocentius I. Epist.3., quæ est ad Exuperium, omnia præter unicam Epistolam Jacobo supposita scripta rejicit, tamquam Hæreticorum fœtus præcipuè Manichæi Leucii, vel Ebionitarum, ut observat Epiphanius hæres.30. De Liturgia S. Jacobo tributa inter Eruditos disputatur. Baronius ad annum 63. num.17. ei suffragatur, cui adhæret Cardinalis Bona. Alii Jacobi eam esse inficiantur. Utriusque partis momenta expendi Tom.1. de Ver.Relig.Christ. de Libris cap.4. §.9. num.62., ubi rem in medio reliqui. Ibi dicta videri possunt; sicut & Tilmontius Nota 16. in S.Jacobum Min.: ex quibus Lector quodcumque sibi videbitur, ferre poterit judicium.

VIII. Ubi asserventur hujus Apostoli Reliquiæ, incertum est. Compostellam in Gallæcia ejus Caput Jerosolymis translatum anno 1125. aliqui volunt. Alii authentico monumento demonstrare contendunt 4. Martii anno 1380. idem Caput Civitati Anconæ à Patriarcha Constantinopolitano donatum fuisse, atque illud idem in Urbe dicta *Tres Mariæ* in Provincia sita illius Incolæ putant asservari. Cùm unum tantùm Caput non tria S. Jacobus habuerit, in quo ex præfatis tribus locis illud reverà sit, nonnisi divinando asseri potest. Ejusdem Corporis partes, manus, brachia, ossa, in variis locis præsertim Romæ referente Piazzâ in suo Hemerologio ad diem 1.Maji, religiosè custodiri dicuntur. Sed de his satis.

CAPUT VIII.

De Sancto Philippo Apostolo.

§. I.

Quæ de eo narrat Evangelium.

I. PHilippus Apostolus (à Philippo Diacono, de quo sæpè in Act. Apost. planè diversus) Bethsaidæ super Lacum Genesareth in Galilæa positæ natus fuit. Sic Joann. 1. v.44.: *Erat autem Philippus à Bethsaida Civitate Andreæ & Petri*. Hunc Jesus volens exire in Galilæam cùm invenisset, ad sui sequelam vocavit v.43.: *In crastinum voluit exire in Galilæam, & invenit Philippum, & dicit ei Jesus: sequere me*. Quibus patet, vocationem Andreæ & Petri vocationem Philippi unâ die præcessisse. Paruit vocanti Philippus, & sive jam Andreæ & Petri dictis instructus, sive testimonio Joannis Baptistæ præventus, quòd Jesus esset Messias, statim secutus est eum. Quamvis, ut infra dicam, eum uxorem ac filias habuisse ab aliquibus credatur, Legis tamen & Prophetarum non erat prorsùs ignarus. Quarè inveniens Nathanaelem v. 45. *dicit ei: Quem scripsit Moyses in Lege & Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph à Nazareth*. Cùmque respondisset Nathanael: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Nihil territus *dicit ei Philippus: Veni & vide*. Cùmque vidisset Jesus Nathanael venientem ad se dixit de eo: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*. Respondenti autem Nathanaeli: *Unde me nosti?* Jesus dixit ei: *Priusquàm te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te. Respondet ei Nathanael, & ait: Tu es Filius Dei, tu es Rex Israel*. (v.49.) S. Augustinus Tract. 7. in Joann. admirans hoc Christi de Nathanaele encomium, & hanc subitam de Jesu Divinitate Nathanaelis confessionem, quam Andreas & Petrus necdum ediderant: *Quid ergo*, inquit, *facimus, Fratres? Deberet iste primus esse in Apostolis? Non solùm primus non invenitur in Apostolis; sed nec medius, nec ultimus inter duodecim Nathanael est, cui tantum testimonium perhibuit Filius Dei dicens:* „Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. *Quæritur causa? Quantum Dominus intimat, probabiliter invenimus. Intelligere enim debemus ipsum Nathanaelem eruditum & peritum Legis fuisse: propterea noluit illum Dominus inter Discipulos ponere; quia idiotas elegit, ut confunderet Mundum* &c. Ita Augustinus.

II. Sed

II. Sed ad Philippum revertamur. Hunc Jesu sequelæ totum se deinceps dedisse, etsi nullo adhuc signo se manifestasset, sentiunt Augustinus L.2. de Conf.Evang.cap.17. & Chrysostomus homil. 19. (modò 20.) in Joann. dicens: *Verisimile igitur est, Philippum, quòd Petrum vidisset & Joannem audisset, sequutum esse: credibile quoque est, Christi vocem aliquid in illo operatam esse; noverat enim Christus, quinam idonei futuri essent.* Hinc probabile est, eum triduo post interfuisse Nuptiis Canæ, ad quas Christus cum Discipulis suis fuerat invitatus, & testem fuisse primi illius signi, quod in confirmationem suæ missionis ibi operatus est Jesus, nempè conversionis aquæ in vinum.

III. Eum fuisse declaratum Apostolum solùm anno sequenti, nempè 31., apparet Matth.10. v.2. & Lucæ 6. v.13., quando Jesus quinque millia hominum, quæ eum secutæ fuerant in desertum, pascere constituit. Joann.6. v.5. *dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Ubi S.Augustinus Tract.24. Joann. ait: *Nam interrogamus aliquando quod nescimus, audire volentes ut discamus; aliquando interrogamus quod scimus, scire volentes, utrùm & ille sciat, quem interrogamus: utrumque hoc noverat Dominus, & quod interrogabat sciebat, quid enim esset facturus ipse noverat, & hoc nescire Philippum, sciebat similiter. Quarè itaque interrogabat, nisi quia illius ignorantiam demonstrabat?* De facto se nescire demonstravit Philippus, cùm respondit: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis: ut unusquisque modicum quid accipiat.* Ideò autem Philippum potiùs interrogavit, quia sciebat, eum instructione indigere. Ita Chrysostomus homil.42. modò 43. in Joann.: *Cur ergo*, inquit, *Philippum interrogat? Sciebat, qui Discipuli plus doctrinâ egerent: Hic enim est, qui postea dicit* (Joann.14. v.8.) „ Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis „, *ideò priùs illum instituit.* In ultima enim Cœna, cùm audisset Jesum loquentem de Patre suo, confidenter dixit, ut sibi & aliis Apostolis ostenderet Patrem, & hoc eis sufficeret. Cui Jesus: *Tanto*, inquit, *tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem*, ac si diceret, ait S. Augustinus: *Si me vidisti, qui omnimodò similis sum, vidisti illum, cui similis sum. Quòd si videre non potes, non saltem credis,*„quia ego in Patre, & Pater in me est? „.... *Sed ideò Magister Discipulum arguebat, quoniam cor postulantis videbat. Tamquam enim melior esset Pater quàm Filius, ita Philippus Patrem nosse cupiebat: & ideò nec Filium sciebat, quo melius esse aliquid credebat.* Ita Christus duas hæreses prævenit: & Sabellii; dicens

enim *Qui videt me, videt & Patrem* ostendit Patrem & Filium distinctas esse Personas: Arianam etiam; nam dicens: *Ego in Patre & Pater in me est*: demonstrat, unam Patris & Filii esse Naturam, nec Filium esse minorem Patre.

IV. Dubitatur, an ille Discipulus, qui Matth.8. v.22. vocatus à Christo, respondit: *Permitte, me primùm ire & sepelire Patrem meum*, & cui Christus dixit: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, fuerit S. Philippus. Affirmat Clemens Alexandr. L.3.Stromat.pag.436., apertè differens, quòd Dominus *dicit Philippo: sine mortuos sepelire mortuos suos*. Qui hoc non obstante secutus est Christum, quia *spiritu surrexit, vitia morte affecit, vixit autem Christo*. Tertullianus L. de Baptismo c.12. dicit, fuisse quidem unum ex Apostolis, *qui Patris exequias despexit*; sed quis fuerit, non exprimit. S. Augustinus Serm. 62. aliàs 4. de Verb. Dom. cap.1. solùm dicit, fuisse Discipulum ad altiora destinatum; volebat enim eum esse vivi Verbi Prædicatorem ad faciendos victuros; erant autem alii, per quos illa necessitas impleretur. Probabilius ergo est, illum Discipulum fuisse alium à Philippo: tum quia Evangelista hoc factum refert longè post S. Philippi vocationem: tum quia S. Joannes, qui eam accuratè describit, de hoc nihil dicit, alioquin non prætermissurus. Quis autem fuerit, cùm Evangelista non dicat, remanet incertum. De S. Philippo dicitur etiam Joan.12. v.20. 22., quòd cùm paulò ante Passionem quidam Gentiles, qui ascenderant ut adorarent in die Festo, cuperent videre Jesum, Philippum adivere: ille autem unà cum Andrea, cui eorum desiderium communicaverat, rem ad Jesum detulit. Hæc sunt, quæ ex Evangelio de S. Philippo Apostolo colligi possunt.

§. II.

An Filias habuerit.

I. QUæstio satis implicata, & etiam modò controversa est, an S. Philippus Apostolus uxorem habuerit & filias. Cùm enim duo sint Philippi nomine: unus Apostolus, de quo hic: alter Diaconus, & de hoc constet Act.21. v.9. habuisse quatuor filias; dubitatur, an hoc etiam de Philippo Apostolo verum sit; an qui hoc asserunt, Apostolum cum Diacono confundant. Utrumque confundere videtur Eusebius L.3. historiæ cap.31. ex Epistola Polycratis Ephesinæ Ecclesiæ Episcopi ad Victorem Papam, in qua *Joannis simul & Philippi Apostoli ejus-*

ejusdemque filiarum mentionem facit, his verbis. „ Nam & in „ Asia, inquit, magna quædam lumina extincta sunt, quæ suscitabuntur in novissimo die Adventus Domini, tunc cùm „ de Cœlo veniet cum gloria, & universos Sanctos requiret: „ Philippum intelligo, qui fuit unus ex duodecim Apostolis, „ mortuusque est Hierapoli cum binis filiabus, quæ in virginitate consenuerunt. Altera quoque ejus filia, quæ spiritualem „ quamdam vitam duxit, Ephesi sepulta est.... „ *Præterea in Dialogo Caii, cujus supra fecimus mentionem, Proculus, adversùs quem instituta est disputatio, de Philippi ejusque filiarum exitu planè consentiens cum iis, quæ modò retulimus, sic ait:* „ Quatuor „ post hæc Philippi filiæ Prophetides fuerunt Hierapoli Asiæ „ Civitate, ubi etiam earum & patris Philippi sepulchrum „ visitur. „ *Hæc ille. Lucas verò in Actibus Apostolorum Philippi filiarum meminit, quæ dono prophetiæ ornatæ apud Cæsaream Judææ tunc temporis cum Patre degebant.* „ Venimus (inquit) „ Cæsaream, & ingressi in domum Philippi Evangelistæ, qui „ erat unus è septem, mansimus apud eum. Huic autem quatuor filiæ virgines prophetantes „. Hactenùs Eusebius.

II. In his quis æquivocationem, imò & contradictionem non detegit? Philippum filiarum parentem *unum ex duodecim Apostolis* fuisse ex Polycrate dicit. Postea ex Luca dicit Philippum earum parentem fuisse *Evangelistam unum ex septem*. Certè Philippus unus ex duodecim, & Philippus unus ex septem non sunt idem, sed duo. Rursùs Philippo uni ex duodecim tres tantùm filias ex Polycrate tribuit, Philippo autem uni ex septem quatuor assignat. Tertiò ex Polycrate, dicit binas Philippi filias Hierapoli sepultas cum Patre fuisse, tertiam Ephesi; ex Cajo autem omnes quatuor Hierapoli sepultas asserit. Tandem ex Polycrate de duabus dicit, quòd in virginitate obierunt, de tertia hoc tacetur; ex Luca verò omnes quatuor virgines fuisse dicuntur. Imò idem Eusebius cap.30. ex Clemente Alexandr. dicit, Philippum omnes suas filias nuptui tradidisse; ait enim *Petrus & Philippus liberos ex legitimis nuptiis procrearunt. Philippus etiam filias viris collocavit*. Si ergo filias viris collocavit, quomodò manserunt virgines? Conciliet ista qui potest.

III. Meritò igitur ait Valesius in Notis ad cap. 31. Eusebii: *Vetus hic error fuit, ut Philippum Diaconum & Evangelistam cum Philippo Apostolo confunderent. Et quia in Actibus Apostolorum cap.21. Philippi Evangelistæ quatuor filias virgines prophetasse legerant, Philippum Apostolum conjugem habuisse, & filias suscepisse dixerunt. Ita præter Polycratem Clemens Alexandrinus supra*

ſupra in capite 30., & Papias infra. Verùm ex Actibus Apoſtolorum manifeſtò colligitur, Philippum Diaconum, eum, à quo Eunuchus baptizatus eſt, & qui quatuor habuit filias prophetantes, alium fuiſſe à Philippo Apoſtolo. Vide Iſidorum Peluſiotam in Libro 1. Epiſt. 447., & ſequentibus, ubi id apertiſſimè demonſtrat.

IV. Nihilominùs non deſunt ex Recentioribus etiam, qui probabile opinentur, S. Philippum etiam Apoſtolum filias habuiſſe; moti auctoritate Veterum: Clementis Alexand. L. 3. Strom. p.448., ubi contra aliquos, qui Matrimonium damnabant, ait: *An etiam reprobant Apoſtolos? Petrus enim & Philippus filios procrearunt*: ubi apertè de Philippo Apoſtolo loquitur: Polycratis etiam; cujus auctoritati pondus addit S. Hieronymus L. de Script. Eccleſ. cap.45., qui ejus verba referens: *Philippum*, inquit, *loquor de duodecim Apoſtolis, qui dormivit Hierapoli, & duas filias ejus, quæ virgines ſenuerunt, & aliam ejus filiam, quæ Spiritu Sancto plena in Epheſo occubuit*: Papiæ quoque, qui apud Euſebium L.3. cap.39., à Philippi (Apoſtoli) filiabus ſcribit ſe accepiſſe, mortuum fuiſſe ab ipſo ad vitam revocatum. Numquid ergo dicemus, omnes iſtos Apoſtolis ferè coævos fuiſſe hallucinatos, tribuentes Philippo uni ex duodecim Apoſtolis filias, quæ ſoli Philippo Diacono ſunt tribuendæ? Accedunt Græci in Menologio Baſilii die 14. Novembris, ubi Philippo Apoſtolo non tres aut quatuor, ſed ſeptem filias tribuunt: ajunt enim: *Philippus ex duodecim Apoſtolis unus Bethſaidæ in Galilæa natus, poſt Domini Aſcenſionem multis miraculis editis, Trajano Imperatore, Hierapolim profectus eſt cum ſeptem filiabus ſuis, & Mariamna ſorore ſua.*

V. Sanè ſi omnes præfati in hoc uniformes eſſent, quòd Philippo Apoſtolo tres tantùm filias tribuerent, quarum duæ manſerunt virgines, & iſtæ cum Patre Hierapoli mortuæ ac ſepultæ ſint; tertia verò fortè nupta Epheſi obierit, ubi Philippus Diaconus quatuor genuerit filias, haſque omnes virgines ac prophetantes; aliquam probabilitatem hæc opinio nanciſci videretur. Et dici poſset, quòd tertia Philippi Apoſtoli filia, quam dicunt mortuam Epheſi, fuiſſe Hermionem illam, de qua Græci in Menol. Baſilii die 4. Septembris dicunt: *Sancta Martyr Hermione filia Philippi Apoſtoli floruit Trajano Imperatore. Habuit autem ſororem nomine Eutychen, cum qua Epheſum perrexit ut Joannem Theologum adorarent* &c. quam Epheſi manſiſſe, ibique Martyrium conſummaſſe volunt. Sed cùm nec in hoc concordes ſint; nam Philippo Apoſtolo alii ſolùm tres, alii quatuor, alii ſeptem filias tribuant; ideò nutat etiam in hac parte iſta opinio. Nec

Nec satis fulciri videtur auctoritatibus Clementis Alexandrini. Nam eodem in loco dicit, quòd Philippus *Filias suas Viris tradidit*: alii autem volunt, eas vel omnes vel saltem duas mansisse virgines. Insuper de Paulo videtur supponere habuisse uxorem, quod est contra communem sententiam, quæ asserit, Paulum mansisse perpetuò Cælibem, ut in colloquiis de Cælibatù demonstravi. Nec Hieronymi; nam in loco allegato loquitur ex sententia Polycratis, cujus verba refert. At L.1. adversùs Jovinianum suam mentem exponens, ait: *Quamquam excepto Apostolo Petro, non sit manifestè relatum de aliis Apostolis, quòd uxores habuerint: & quum de uno scriptum sit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significet*. Cùm ergo de Philippo Apostolo Scriptura non dicat, quòd habuerit uxorem & filias, sed de solo Philippo Diacono Act.21., ex mente Hieronymi Philippus nec filias habuit nec uxorem. Nec tandem Papiæ, qui sicut in aliis tantæ auctoritatis non est, ut cogat nos ipsum sequi; ita nec in hoc negotio. Fateor arduum videri, quòd viri Apostolorum ævo proximi deceptionem pati potuerint; sed arduum quoque, quòd iidem ita contrariè inter se loquantur. Undè sicut hoc negari non potest, ut jam ostendi; ita non temerè saltèm suspicari licebit, eos in hac re aliquid humanum passos esse. Quapropter iis in suo sensu relictis, verisimilius censeo, Sanctum Philippum Apostolum nec uxorem nec filias habuisse, sed perpetuò cælibem perseverasse.

§. III.

Reliqua Philippi Apostoli Gesta, Mors &c.

I. DE Gestis S. Philippi Apostoli altum in Actibus Apostolorum est silentium, & Patres ac probati Historici vix quidquam scriptum reliquerunt. In partitione facta inter Apostolos Philippo obtigisse Asiam Superiorem Evangelio imbuendam, scribit Baronius ad annum 44. num. 33. ex Nicephoro L.2. cap.39. Scythiam ad Christum traxisse dicit Martyrol. Rom. ad diem 1. Maji, ac demùm reversum in Phrygiam Hierapoli Asiæ urbe vitam clausisse. Apud Isidorum de vita & obitu Sanctorum Gallis etiam prædicasse legitur, quod & in Breviario Toletano institutionis S. Isidori recitatur. Sed hoc inverisimile communiter reputatur; cùm nemo ex Veteribus, quibus notum esse debuisset, hoc dixerit; & Liber ille, quamvis esset Isidori legitimus

timus, quod à multis dubitatur, esset tamen fœtus solùm septimo seculo editus. Pro *Gallis* putat Baronius ponendum esse *Galatis*; *Galatæ enim*, inquit, *Gallorum Coloni Phrygiæ partem incoluere, teste Plinio L. 5. cap. ultimo*. Ita in Notis ad diem 1. Maji. S. Philippum celebrasse Pascha Lunâ 14., testatur Polycrates apud Eusebium L. 5. hist. cap. 24., ubi pro hac observantia duos solos ex Apostolis refert Joannem & Philippum.

II. Baronius ad annum 54. num. 3. dicit, hoc eodem anno S. Philippum Hierapoli obiisse, ætatis verò suæ 87.: quo fieret, ut solis 24. annis à Passione Domini supervixerit, & sexagenarius Christi Discipulus factus fuerit. Sed quòd hoc anno & hâc ætate obierit, incertum est; cùm ex Apocryphis sumtum sit, ut Baronius ipse fatetur. Quòd si admittamus, S. Philippum anno 54. obiisse, clarius apparebit id, quod supra dixi, nempè Philippum Apostolum esse diversum à Philippo, de quo Act. 21. v. 8. & 9. dicitur, quòd apud eum, cui erant quatuor filiæ virgines, hospitatus est Cæsareæ Paulus: nam hic anno 58., quo Paulus Cæsareæ apud illum divertit, adhuc in vivis erat: Philippus autem Apostolus quatuor annis ante decesserat.

III. S. Philippum Apostolum Hierapoli vitâ functum, omnes admittunt; de genere tamen mortis, non ita. Quidam enim putant, eum in pace absque Martyrio obiisse. Quia Polycrates apud Eusebium L. 5. cap. 24. præcisè dicit, quòd *Hierapoli mortuus est*, sicut de Joanne, quòd *apud Ephesum diem obiit*: quòd si Philippus confessione Fidei Martyr occubuisset, non tacuisset; multùm enim contulisset ad ejus intentum probandi exemplo ejus & Joannis, Pascha Lunâ 14. esse celebrandum. Addunt Clementem Alexand. L. 4. Strom. pag. 502.; ubi ex Heracleone Valentini Sectatore dicens, Confessionem Christi aliam esse Fide & vitæ institutione, alteram voce quæ fit etiam apud Potestates, inter eos, qui sine confessione factâ voce apud Mundi Potestates excessere, ponit S. Philippum. Sed cùm idem dicat etiam de S. Matthæo, & S. Thoma Apostolis, de quibus, maximè de S. Thoma, certum est in confessione Fidei coram Tyranno obiisse; quamvis hoc neget de S. Philippo, movere non debet: nisi fortè loqueretur de Philippo Diacono, de quo Martyrium subiisse non legitur.

IV. Communiùs ergo alii volunt, S. Philippum Apostolum Martyrem fuisse, quamvis in specie & qualitate Martyrii non concordent. Baronius enim ad annum 54. num. 3. ex Eusebio in Chron.: *Philippus*, inquit, *Apostolus Christi apud Hierapolim Asiæ civitatem, dum Evangelium in Populo nuntiaret, Cruci affixus* lapi-

lapidibus opprimitur. Idem ſentiunt Latini in Martyrol. Rom. die 1. Maii. Græci verò in Menol. Baſilii die 14. Novembris ajunt, quòd Hierapolim unà cum ſeptem filiabus ſuis, & Mariamna ſua, atque Bartholomæo Apoſtolo profectus eſt, *Docens Verbum Chriſti, & Infideles ab Idolorum ſervitute abducens: viperam enim tanquam Deum colebant, è quibus & Nicanora erat Proconſulis uxor. Quarè cùm Proconſulis juſſu Bartholomæus & Philippus excruciati fuiſſent, & ſublimibus è muro pedibus penderent, orante Philippo, repentino terræ hiatu omnes Athei, unâ cum Proconſule, Viperâ, ejuſque Sacerdotibus hauſti ſunt. Deinde Chriſti beneficio omnes, præter Proconſulem & Viperam, in apertum evaſere: ſolutoque Bartholomæo & Mariamna, Philippus vitâ functus eſt*. Idem dicunt die 30. Junii in Commemoratione omnium Apoſtolorum his verbis: *Philippus à Græcis muro ſuſpenſus*. Hoc ipſum ad diem 1. Maji referunt Bollandiſtæ ex Synaxario Græco, quod extat apud Collegium Claromontanum Soc. Jeſu; ubi additur, quòd Philippum *captum calcaneis pedum perforatis mandavit* Proconſul *inverſo capite in ligno ſuſpendi*.

V. Aliud ipſimet Bollandiſtæ referunt ex pluribus MSS. & Breviariis antiquis Latinis, nimirùm „ Quòd cùm S. Philip-
„ pus in Scythia prædicaret, & tentus & ductus ad Statuam
„ compelleretur ſacrificare, de ſub baſe, in qua ſtatua Martis
„ ſtabat, exiit draco ingens & percuſſit filium Pontificis, qui
„ miniſtrabat ignem Sacrificii, & duos Tribunos, qui præerant
„ Provinciæ, quorum Officiales tenebant in vinculis S. Philip-
„ pum. De flatu autem draconis omnes morbidi redditi ægro-
„ tare cœperunt. Tunc hortante Philippo, dejectâ ſtatuâ Mar-
„ tis & confractâ, atque in loco ejus erectâ Chriſti Cruce, fa-
„ cto ſilentio Apoſtolus dixit: Præcipio tibi, Draco, in nomi-
„ ne Domini noſtri Jeſu Chriſti, exi de loco iſto, & vadens
„ morare in loco deſerto, ubi non eſt acceſſus hominum, ut
„ nemini noceas. Tunc draco iſte ſæviſſimus exiens, cœpit ire
„ feſtinus, & ultra nuſquam comparuit. Philippus autem filium
„ Pontificis, & duos Tribunos, qui mortui fuerant, ſuſcitavit:
„ omnemque Turbam, quæ morbata fuerat à draconis flatu,
„ ſanitati reſtituit. Quo factum eſt, ut per annum unum Philip-
„ pus Populum illum docens multa millia traxerit ad Chri-
„ ſtum, & baptizarit.

„ Ordinatis autem Clericis Epiſcopis Presbyteris & Diaco-
„ nibus atque Eccleſiis multis inſtructis, S. Philippus per re-
„ velationem in Aſiam reverſus in Civitatem Hierapolim, il-
„ lic hæreſim malignam Ebionitarum, qui docebant, quòd

„ non verè natus ex Maria Virgine Dei Filius carnem sumsisset.
„ Erant autem ibi duæ filiæ ejus sanctissimæ virgines, per quas
„ Deus multitudinem virginum lucratus est. Beatissimus autem Philippus ante septem dies migrationis suæ, vocavit ad
„ se omnes Presbyteros & Diaconos, & vicinarum Urbium
„ Episcopos, & dixit eis: Hos septem dies mihi Dominus in
„ ista vita concessit. Memores estote Domini nostri Jesu Christi: & state viriliter. Dominus autem complebit promissum
„ suum, & corroborabit Ecclesiam suam. Hæc & his similia
„ prædicans Apostolus Domini, annorum octoginta septem,
„ & tentus ab Infidelibus, crucifixus lapidatusque perrexit ad
„ Dominum, & in eadem Civitate positum est sanctum ejus
„ Corpus. Et post aliquantos annos duæ sacratæ virgines filiæ
„ ejus dextrâ levâque sepultæ sunt.„ Hæc ex prædictis Monumentis, quæ utinam probatæ fidei essent, & non suspecta. Factum Draconis censeo distinctum ab alio supra relato de Vipera, quia illud in Scythia accidisse narrant, istud verò Hierapoli contigit, ut etiam Metaphrastes testatur. In hoc tamen conveniunt, quòd asserunt, eum Martyrio vitam dedisse Cruci sive ligno appensum: quod confirmat Hippolytus (seu alius) in libello de duodecim Apostolis his verbis: *Philippus prædicans in Phrygia Hierapoli crucifixus est capite deorsùm verso sub Domitiano Principe* (alii volunt sub Trajano) *eodemque loco sepelitur*. Licèt autem alii dicant, eum fuisse *palo* suspensum, in idem redit. Nam palus ejusmodi potest dici Crux, ut notant Gretserus, Lipsius, & alii. Sic autem suspensum credibile est fuisse etiam à multitudine lapidibus impetitum, & sic citiùs vitam finiisse.

VI. Duo etiam miracula à S. Philippo patrata magna Græcorum Menæa referunt. Primum „ quòd cùm Hierapolim ve-
„ nisset, & Incolæ eum tamquam præstigiatorem lapidare vel-
„ lent, quidam nomine *Heros* vir summæ auctoritatis eos de-
„ terruit, & Philippum in domum suam invitavit. Marcella
„ uxor Herois irata volebat, ut hospitem dimitteret. Quarè
„ Heros cùm anceps esset, Philippus hortatus est eum, ut in
„ Fide permaneret: deinde orare cœpit Deum, ut mulierem
„ quæ ferociebat emolliret. Statim autem illa mutata, & ad
„ pedes Apostoli provoluta, unà cum Viro & tota domo ba-
„ ptizata est. Propter hoc, Diabolo instigante, excitati multi
„ Herois ædes incendere cogitabant; quod cùm Apostolus in
„ spiritu cognovisset, intrepidè ab illo exivit; sed comprehen-
„ sus ad Tribunal perducitur. Ibi Aristarchus Concilii Præses
„ comminatus Philippo lapides, nisi magicas artes deponeret,
„ ap-

„ apprehensâ Apostoli comâ ipsum per lutum impulit. Tunc „ Philippus zelo honoris Dei accensus, & propter eos, qui aderant, conversus ad Deum: Domine, inquit, verba cordis „ mei omninò iræ expertia facto ipso comple, ut omnes inde „ emendentur; & protensa super comam capitis manus debilitetur. Dixerat: cùm secuta est Aristarcho membrorum distortio, manus autem subito exaruit, oculus præterea obcæcatus est, ambæque aures obsurduerunt. Ad hoc Senatus „ conterritus rogavit Philippum, ut peccanti ignosceret. Cui „ ille, hoc esse opus Dei solius, respondit; nec humanâ arte „ tolli posse; nec Aristarchum sanitatem recuperaturum, nisi „ per Fidem ad Deum accesserit.

„ VII. Alterum miraculum sic narratur. Inter hæc funus „ efferebatur ad sepulchrum; & Senatores, qui cum Aristarcho „ erant, retento feretro, per ludibrium dixerunt Apostolo: „ si hunc in vitam revocas, omnes cum Aristarcho Deum tuum „ adorabimus. Tunc Sanctus sublatis in Cœlum oculis ali„ aliquandiù comprecatur, deinde jacentem in feretro placidâ „ voce allocutus: Theophile, inquit. Et statim Mortuus resedit, oculosque aperuit. Cui Apostolus iterùm: Christus, inquit, jubet: Surge & liber abi. Ille cùm è funebri lectica descendisset, ad pedes Apostoli illicò procubuit: Et gratias, „ inquit, tibi Sancto Dei, quòd me ex tristibus Inferorum faucibus hâc horâ eripueris, à duobus enim atris & monstrosis „ & crudelibus Cyclopibus rapiebar violenter: quòd si paulùm „ moratus mihi non adfuisses in tempore, in tetrum & exitiale tartarum fuissem abreptus.

„ Tunc inexpectatum hoc prodigium omnes in stuporem „ dedit: & quomodò, inquiebant, hunc, quem numquam noverat nominatim compellando excitavit? Reverà quem hic „ fortem dicit & prædicat, & Deum annuntiat, potens & verax „ est: & nos sine ullâ dubitatione ad hunc currimus & credimus. Tunc Apostolus manu silentium, compresso tumultu, „ indicens, imperat Heroi: Super Aristarcho, inquit, manu „ tuâ signum Crucis exprime, & in nomine Sanctissimæ Trinitatis membra illius ex ipsius simplicate læsa corrige. Quod „ cùm fecisset Heros, Aristarchum articulis restauratis integrum effecit. Super quo miraculo omnes ad pedes Apostoli „ acciderunt, in quibus & Præfectus fuit à mortuis suscitati „ Pater, qui Princeps Senatus erat unà cum uxore sua: qui accessit ad Apostolum, & avidè catecheseos institutionem accepit, & in argumentum constantis Fidei, duodecim Deos

„ aureos, quos colebat, præcepit Apoſtolo tradi, ut illos in
„ uſum pauperum erogaret. Quin & reliqua bona ſua ita benè
„ diſpenſavit, ut à recta Fide ſuſcepta numquam avelli poſſe
„ videretur.

„ Apoſtolus autem cùm omnes illic ad Orthodoxam Fidem
„ adjunctos in commodum ordinem redegiſſet, Heroem illis
„ Epiſcopum præfecit, ex ipſis verò Presbyteros & Diaconos
„ adjunxit: curavit etiam Templa excitari, eademque fundari.
„ Deinde omnibus in Fide ritè inſtitutis, pacem illis imper-
„ tiens, Deumque pro illis deprecans, in Phrygiam, Lycao-
„ niam, & Aſiam profectus, illic prædicavit & Chriſtum an-
„ nuntiavit.

Sunt, qui hæc duo miracula Philippo Diacono potiùs, quàm Apoſtolo tribuant: cùm tamen hæc Hierapoli contigiſſe dicantur, videntur Philippo Apoſtolo potiùs tribuenda, quem Hierapoli prædicaſſe & mortuum fuiſſe omnes conſentiunt. Et maximè iſtud de mortuo ſuſcitato, de quo Papias Epiſcopus apud Euſebium L.3. cap.39. ſcribit, à filiabus Philippi Apoſtoli ſe accepiſſe, ſuâ ætate fuiſſe Hierapoli mortuum ſuſcitatum. Unde Chryſoſtomus (ſeu alius) homil. de 12. Apoſtolis ait: *Philippus miraculis conſervat Hierapolim*. Solùm optandum eſſet, ut hæc & alia, quæ de S. Philippo Apoſtolo afferuntur, à purioribus & ſincerioribus Monumentis eſſent hauſta, nec rigidioris Critices Profeſſoribus forent ſuſpecta, nec cum Geſtis Philippi Diaconi confunderentur.

VIII. S. Philippi Apoſtoli Corpus Hierapoli diù requieviſſe apparet ex ſupra allatis verbis Chryſoſtomi, ſive alterius: quæ indicant iis temporibus adhuc ibi manſiſſe. Poſtea inde ablatum, & detentis aliquibus Reliquiis Conſtantinopoli, tranſmiſſum Romam, forſan cum Corpore S. Jacobi Minoris, in Eccleſia Apoſtolorum nunc PP. Conventualium, ubi nunc aſſervatur, repoſitum fuit; quamvis Sauſſajus in Martyrol. Gallicano velit, utrumque Toloſæ cuſtodiri in Baſilica S. Saturnini. Caput autem inde Lutetiam Pariſiorum delatum in Summa Beatæ Virginis Eccleſia aſſervari. Ejuſdem Brachium Conſtantinopolim priùs, deindè in Palæſtinam, tandem Florentiam anno 1204. tranſlatum fuiſſe, narrat hiſtoria ſcripta ab Auctore qui illo tempore vivebat: quam Bollandiſtæ die 1. Maji ex Manuſcripto Eccleſiæ Cathedralis Florentiæ per extenſum referunt, unà cnm miraculis ad Apoſtoli interceſſionem patratis: puellæ nempè in Arno fluvio demerſæ & incolumis reſtitutæ; & hominis obcæcati, cui viſus confeſtim redonatus fuit.

IX. Mi-

IX. Mirabilem SS. Joannis & Philippi Apostolorum apparitionem factam anno 394., Theodosio Imperatori promittentium ei victoriam contra Eugenium tyrannum, narrat Theodoritus L. 5. hist. cap. 24.. Suadentibus ducibus Imperatori, ut prælium contra hostem differret, cum Copiæ, quæ supererant, exiguæ essent & fractæ, pius Imperator consilium aspernatus, indecorum arbitrans, ut minùs virtutis & potentiæ tribuatur Cruci Christi, quàm imagini Herculis, quam pro insigni hostis gestabat; *Oratorium nactus in montis vertice, ubi castra habebat, totam ibi noctem preces ad Deum fundendo transegit. Sub galli autem cantum somnus invitò irrepens, eum oppressit. Humi ergo jacens, duos quosdam viros videre sibi videbatur albâ veste indutos, & albis equis insidentes: qui bono animo ipsum esse juberent, metumque deponere, & primâ luce arma capere, aciemque ad pugnandum instruere. Auxiliatores enim ac propugnatores se missos esse dicebant, & alter quidem se Joannem Evangelistam esse ajebat, alter Philippum Apostolum. Hanc visionem cùm vidisset Imperator, preces fundere non destitit, sed majori alacritate eas offerebat Deo. Idem visum miles quidam cùm vidisset, Centurioni suo indicavit. Ille militem deduxit ad Tribunum, Tribunus verò ad Magistrum militum. Qui cùm novi aliquid nuntiaturum se crederet, Imperatori id retulit. Imperator id quoque à se visum asserens, abjecto metu fide plenus aciem quamvis exiguam hosti eam contemnenti opponit. Sed promissi veritatem comprobavit eventus. Vehemens enim ventus in hostes ruens cunctas eorum sagittas & jacula & hastas avertit, omniaque eorum tela incassum ferebantur, adeò ut nullus ex Theodosii exercitu damno afficeretur. Ad hæc pulveris immensa vis in hostium faciem magno impetu delata ipsos palpebras claudere, & periclitantibus opem ferre cogebat. Milites verò Imperatoris Theodosii ex eo turbine nullum incommodum passi alacri animo hostes cedebant. Qui cùm Dei prodigium cognovissent, demissis armis indulgentiam deprecati, eam à pio Imperatore obtinuerunt, ipsumque Eugenium tyrannum captivum ad eum adduxerunt.* Hæc fusè Theodoritus.

X. Philippo Apostolo quædam scripta supposita fuerunt, nimirùm Acta, quæ Gelasius in Synodo Romana declaravit apocrypha: item Pseudo-Evangelium, quo teste S. Epiphanio hæresi 26. utebantur Gnostici Hæretici. Plura de filiabus hujus Apostoli narrant; sed ut supra dixi suspecta sunt, quia Philippi Diaconi potiùs filiæ sunt quàm Apostoli, ideo ea omitto. Hujus Apostoli festum, ut dixi, Latini celebrant 1. Maji; Græci verò 14. Novembris.

CA-

CAPUT IX.

De Sancto Bartholomæo Apostolo.

§. I.

Genus & Prædicatio.

I. DE isto Apostolo ferè nihil habemus in Evangelio, & pauca ex historiis colligere possumus. In Evangelio ejus solùm fit mentio, cùm fit omnium Apostolorum enumeratio, ut Matth.10. v.2., Marci 4. v.18., Lucæ 6. v.14. & Act. 1. v. 13.

Bartholomæum Patriâ fuisse Galilæum, ut cæteros Apostolos, qui *Viri Galilæi* ab Angelis vocantur Act.1.v.11.: Et cap.2. v.7. Judæi audientes Apostolos loquentes variis linguis, admirati dicebant: *Nonne isti ecce qui loquuntur, Galilæi sunt?* ac Piscatoriam & ipsum artem exercuisse, censet Theodoritus L. de Legibus, idque etiam Metaphrastes, aut aliam ignobilem artem secundùm illud Pauli 1. Cor.1. v.28. *Ignobilia Mundi & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret*. Quarè benè Baronius in Notis ad Martyrol. 1. Maji improbat eos, qui opinantur, Bartholomæum fuisse Syrum genere, & à Rege Ptolemæo duxisse originem; quasi dictus fuerit Bar-Tolomæus, idest filius Ptolemæi. Perperam tamen: nam Ptolemæi in Ægypto, non in Syria regnarunt. Nec Bartholomæus à Ptolemæo dictus fuit; sed cùm esset Hebræus genere, ab hebraicis vocibus *Bar-Tholmai* idest *filius Tholmai*; hoc enim nomen hebraicum est sæpè in Sacris Scripturis repetitum, ut Num.13. v.23. Josue 15. v.14. Judic. 1. v.10. 2. Reg.5. v.3. &c. Quòd autem pro *Bar-Tholmai* dicamus *Bartholomæum*, mirum videri non debet, cùm & in cæteris hebraicis vocibus idipsum contingat, ut eadem Latinè vel Græcè reddita non eodem modo pronuntietur. S. Hieronymus tamen in Apologia adversùs Ruffinum *Bartholæmeus*, inquit, *filius Tholæmei*.

II. Voluerunt aliqui, Bartholomæum eundem esse ac Nathanaelem, de quo Joann.1.; Ita Rupertus, Jansenius Gandavensis, & alii. Refragatur tamen Augustinus Tract.7. in Joannem qui, ut Cap. præcedente ostendi, negat Nathanaelem electum fuisse Apostolum, quia eruditus & peritus Legis erat. Volebat autem Christus idiotas eligere, & infirma mundi, ut confunderet

ret fortia: quod in Psal. 65. pulchè expendens: *Descendit*, inquit, *Dominus Deus noster Jesus Christus reparare Genus humanum, & dare gratiam suam omnibus intelligentibus, quia gratia illius est, non merita eorum; & ne quælibet persona gloriaretur in carne, infirmos elegit. Nam inde non est electus etiam ille Nathanael. Quid enim tibi videtur, ut Publicanum in telonio sedentem eligeret Matthæum, & non eligeret Nathanael, cui perhibuit testimonium ipse Dòminus dicens*,, Ecce verus Israelita, in quo dolus non est,,? *Intelligitur ergo Nathanael iste doctus fuisse in Lege. Non quia doctos non esset electurus, sed si istos primò elegisset, doctrinæ suæ merito se electos putarent: ita illorum scientia laudaretur, & laus Christi gratiæ minueretur*. Et post multa. *Elegit ergo Dominus postea & Oratores: sed illi superbirent, si non priùs eligeret Piscatores: Elegit divites, sed dicerent merito divitiarum suarum se electos esse, nisi primò elegisset pauperes. Elegit Imperatores posteà: sed melius est, ut Romam cùm venerit Imperator, ploret ad memoriam Piscatoris, quàm ut Piscator ploret ad memoriam Imperatoris* &c. Ita perpulchrè ut de more S. Augustinus.

III. Qui tamen Bartholomæum eundem putant esse ac Nathanaelem, inter quos citatur Cornelius à Lapide, moventur primò, quia Bartholomæi Vocatio, si Nathanaelis non sit, nullibi describitur. Secundò, Evangelistæ, qui Bartholomæi meminere, Nathanaelem silent: & S. Joannes, qui Nathanaelem nominat, Bartholomæum tacet. Tertiò, quia Bartholomæus non est nomen proprium, cùm significet filium Tholmai, vel Tolomæi. Quartò, S. Joannes cap. 21. v. 2. recensere videtur Nathanaelem inter Apostolos, cùm inter Apostolos, qui piscatum iverant, Nathanaelem recenset, quibus Christus apparuit.

Sed hæ meræ conjecturæ sunt, quæ à Veterum communi sententia retrahere non debent. Non prima, quia in electione facta à Christo duodecim Apostolorum à tribus Evangelistis Matthæo, Marco, & Luca Bartholomæus semper recensetur. Nec refert, quòd ejus antecedens Vocatio nullibi describatur, nam nec describitur ullibi Vocatio Thomæ, Simonis Cananæi, & Thaddæi; qui tamen Apostoli ibidem nominantur à Christo. Non secunda; nam ex eo, quòd tres Evangelistæ Bartholomæum nominent, & sileant Nathanaelem; & Joannes, qui nominat Nathanaelem, sileat Bartholomæum; nescio quomodò inferri possit, Bartholomæum eundem esse ac Nathanaelem. Non tertia; nam si Bartholomæus non esset nomen proprium, sed cognomen, Evangelium alicubi indicaret: sicut quia Bar-Jona non est nomen proprium Simonis Petri, indicatur Matth. 16. v. 17. *Bea-*

Beatus et Simon Bar-Jona: & quia Didymus non eſt nomen proprium Thomæ, id exprimitur Joann. 11. v. 16. 20. v. 24. & 21. v. 2. *Thomas qui dicitur Didymus*. Cùm ergo nullibi dicatur Nathanel Bartholomæus, vel Nathanael qui dicitur Bartholomæus; undè quæſo colligunt, non eſſe nomen proprium? Non quarta; nam ex quo Joannes Nathanaelem recenſeat inter Apoſtolos, non infertur eum eſſe Apoſtolum, ibi enim recenſentur etiam duo Diſcipuli. Unde ſequitur fuiſſe quidem unum ex Diſcipulis, non vero unum ex 12. Apoſtolis.

IV. S. Bartholomæum Licaonas Majoris Armeniæ Populos Evangelicâ Veritate imbuiſſe, ac temperantes effeciſſe, ſcripſit Auctor homiliæ de 12. Apoſtolis, Chryſoſtomo olim tributæ: *Bartholomæus Lycaonas ad temperantiam inſtituit*. Albanos etiam Chriſti Fidem docuiſſe, tradit Sophronius. In Indias penetravit ſecum deferens Evangelium S. Matthæi hebraicè ſcriptum, quod ibidem centum poſt annos reperit Pantænus Philophus Chriſtianus, ut referunt Euſebius L. 5. Hiſt. cap. 10., & S. Hieronymus L. de Script. Eccleſ. in Pantæno cap. 36., ubi ait: *Pantænus Stoicæ Sectæ Philoſophus juxta quamdam veterem in in Alexandria conſuetudinem, ubi à Marco Evangeliſta ſemper Eccleſiaſtici fuere Doctores, tantæ prudentiæ & eruditionis, tam in Scripturis Divinis quàm in ſeculari Litteratura fuit, ut in Indiam quoque rogatus ab illius Gentis legatis, à Demetrio Alexandriæ Epiſcopo mitteretur; ubi reperit Bartholomæum de duodecim Apoſtolis Adventum Domini Jeſu juxta Matthæi Evangelium prædicaſſe, quod Hebraicis litteris ſcriptum, revertens Alexandriam, ſecum detulit*. In India etiam citeriore Æthiopiæ finitima prædicaſſe, confirmant Ruffinus L. 10. Hiſt. cap. 9., & Socrates L. 1. cap. 19. dicens: *Bartholomæo India, quæ Æthiopiæ confinis eſt, obtigit*. In India, in Arabia Felice, & Æthiopia Orientali prædicaſſe, Nicetas aſſerit. In Armenia tandem prædicationis curſum detractâ cute, capite truncatum, Martyrio coronaſſe, ſcribunt Theodorus Studites, & quidam nomine Joſephus. Sed de hujus Apoſtoli Martyrio ſtatim dicam.

§. II.

S. Bartholomæi Paſſio & Translatio.

I. UT referunt Martyrol. Baſilii & Synaxarium Eccleſiæ Conſtantinopol., cùm S. Bartholomæus unà cum Sancto Philippo & Mariamne hujus ſorore Hierapolim veniſſent, ibi-

Ibique Christum annuntiarent, Philippus & Bartholomæus à Proconsule excruciati è muro seu ligno suspensi fuere. Mortuo verò Philippo, Bartholomæus & Mariamne defuncti corpus sepulturæ tradiderunt. Quæ an vera sint, statuere non ausim.

II. De anno passionis S. Bartholomæi nihil scimus. De loco & qualitate passionis disceptatur. In India passum fuisse vult Fortunatus hoc carmine,

Inde triumphantem fert India Bartholomæum.

Gregorius Turonensis L. de Glor. Mart. cap. 34.: *Apud Asiam* inquit *passum, agonis ipsius narrat historia*: nec ab his dissentiunt, qui scribunt, in Armenia fuisse coronatum Martyrio. Locum censent fuisse urbem Albanopolis seu Urbanopolis in Armenia sitam. De genere seu qualitate mortis diversæ sunt sententiæ. Fuisse Cruci affixum in extrema senectute post flagella, asserunt Nicetas & Nicephorus lib. 2. cap. 39.; & quidem capite in terram verso, ut ait Pseudo-Hippolytus L. de 12. Apost. his verbis: *Bartholomæus cùm Indis prædicasset, eisque conscriptum à Matthæo Evangelium exposuisset, crucifixus est & ipse capite deorsùm verso Albani magnæ Armeniæ Urbe.* In Martyrol. Basilii die 11. Junii idem de Cruce sentiunt Græci dicentes: *Bartholomæus unus fuit ex duodecim Discipulis, qui cùm in India quam Felicem vocant Christi Fidem prædicasset, iisque Populis conscriptum à Matthæo Evangelium tradidisset, in Crucem actus Abarnopoli vitam gloriosè finivit.* In Auctario Flori ad Martyrol. Bedæ legimus, *S. Bartholomæum Apostolum decollatum in India interiore pro Christo jussu Regis Astiagis.* Pseudo-Abdias verò addit flagellis fuisse cæsum & capite truncatum.

III. Alii eum volunt fuisse vivum excoriatum, & detractâ pelle occisum. Ita Pseudo-Isidorus L. de Vita & morte Sanctorum; idque habent antiqua Lectionaria, ut velut Traditio apud Latinos inoleverit. Utrumque potuit contingere, nempè & quòd S. Bartholomæus fuerit decoriatus, & demum capite truncatus: & ita Martyrol. Rom. 25. Augusti habet: *Sancti Bartholomæi Apostoli, qui in India Christi Evangelium prædicavit; inde in Majorem Armeniam profectus, cùm ibi plurimos ad Fidem convertisset, vivus à Barbaris decoriatus est, atque Astiagis Regis jussu capitis decollatione Martyrium complevit.* Putant tamen, Astiagem istum non fuisse Regem, sed Regis Polymii seu Polæmonis fratrem, qui propterea Bartholomæum sustulerit, quòd Regem fratrem ad Christum traxerit. Sed, ut verum fatear, omnia hæc sunt incerta.

IV. Corpus S. Bartholomæi fuisse primò ad Liparim insu-

lam translatum, concordant locis citatis Martyrologium Romanum & Menologium Basilii, in quo hæc lego: *Ejus Corpus in plumbeo loculo positum & in mare projectum Divinâ Providentiâ usque ad Siciliam in Liparim insulam delatum, ibique emergens conditum fuit: ex quo multorum miraculorum fontes emanant, & accedentes ad ipsum Fideles repentinam morborum suorum curationem recipiunt, & læti hilaresque ad propria redeunt*. Quibus hoc insigne additur à P. Combefis, montem quemdam illius Insulæ flammas eructantem ad septem stadia recessisse. Hoc quidem promisit Christus Matth. 17. v. 19.: *Si habueritis fidem, sicut granum Sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis*: & ad preces S. Gregorii Thaumaturgi factum legimus. Sed quia rarissimum, ut etiam in insula Lipari S. Bartholomæi obtentu contigisse certi essemus, major probatio requireretur. De Translatione Liparim facta agit Gregorius Turon. L. de Glor. Mart. cap. 34., Theodorus Studita, Molanus in Notis ad Usuardum.

Priusquam tamen S. Bartholomæi Reliquiæ ad insulam Liparim transferrentur, eis fuisse illustratam Urbem Daras in finibus Persidis, scribit Theodorus Lector L. 2. Collect. his verbis: *Anastasius Imperator Urbem Daras ædificavit. Eâ verò jam ædificatâ, Bartholomæum Apostolum in somnis vidit, dicentem se accepisse Urbis custodiam. Quare Anastasius Bartholomæi Reliquias illuc misit, & in ea Urbe deponi præcepit*. Augustissimum Templum ibi Justinianus Imperator postea ædificavit, de quo Procopius L. 2. Ædific. Justinian.

V. Facta est autem Corporis S. Bartholomæi alia Translatio ex Insula Liparitana Beneventum anno 832., ut auctor est Sigebertus in Chronico. Leo tamen Ostiensis L. 1. cap. 26. factam scribit anno 840. Alii tamen aliter discurrunt. Volunt ergo anno 808., quo Saraceni Insulam Liparim invaserunt, Sancti Bartholomæi sepulcrum ab iis incensum, & ossa dispersa fuisse: quæ à quodam Monacho Græco collecta, paulò post navi imposita, Beneventum delata subtus Altare ibi recondita fuere die 25. Octobris anni 809., & proinde annis ferè triginta priùs. Quâ occasione varia feruntur miracula contigisse. Et hoc ex Epistola quadam seu scripto, hujus Translationis historiam continente, ad Ajonem Episcopum Beneventanum decreto colligi dicunt: addentes ex alterius Græci Auctoris monumento, navem illam à Duce Beneventano ad finem eas Sacras Reliquias asportandi fuisse missam.

Benevento tamen Ossa S. Bartholomæi ab Ottone Imperatore

tore in pœnam fuisse erepta, & Romam delata scribit Otho Frisingensis L.6. cap.28. his verbis: *Capto Benevento Beati Apostoli Bartholomæi Ossa inde asportavit, ac Romæ in Lycaonia insula in tumba porphyretica ea collocavit, in terramque suam per Tiberim & mare in præfato Sarcophago deportare cogitavit: sed eo tamen brevi vitâ exemto, pretiosum thesaurum ibi remansisse*. Hæc Otho. Quo autem anno facta fuerit hæc Translatio, dissident Historici. Quidam eam factam volunt ab Ottone II. Imperatore, qui anno 983. 17. Decembris Romæ mortuus est. Baronius tamen ad annum 1000. auctoritate Paschalis II., qui Ecclesiam regebat anno 1113., contendit, eam fuisse factam sub Ottone III.; qui cùm Beneventum advenisset anno Christi millesimo, petiit sibi concedi Corpus S. Bartholomæi deportandum in Ecclesiam, quam in honorem S. Adalberti erigendam in insula Tiberis Romæ mandaverat.

VI. Hinc oritur quæstio ex Leone Ostiensi L. 2. cap.24. ubi hoc narrans, ait: *Hujus Abbatis* (Monasterii Casinensis, ex cujus monumentis hoc se hausisse dicit) *anno tertio, qui est millenarius ab Incarnatione Domini, memoratus Imperator Beneventum venit, & pœnitentiæ gratiâ, quam illi vir Dei Romualdus indixerat, montem Garganum adiit, reversusque Beneventum S. Bartholomæi Corpus ab eis postulavit. Qui cùm illi negare nihil auderent, callidè pro Corpore Apostoli, beati Episcopi Paulini Nolani Corpus, quod erat in majori Ecclesia Civitatis honorificè conditum, ostendere. Ille nihil fraudis suspicans, eo sublato, recessit. Sed hoc ubi ille rescivit, nimis indignans, Corpus quidem Confessoris Christi Romam ad Insulam honore congruo condidit, sequenti verò tempore Beneventum rursùm advenit, eamque diebus multis undique obsidens, cùm nihil ex obsidione proficeret, Romam iterùm redit* &c. & paulò post moritur. Baronius dicit, à pluribus in hoc falsitatis accusari Leonem Ostiensem, allegatque diversa Acta Pontificum & Imperatorum post annum 1113., ac testimonium Sigeberti Continuatoris Chronici super anno 1157., ut probet, Romæ in præfata Ecclesia olim S. Adalberti, modò S. Bartholomæi in Insula dictâ, unà cum Corpore S.Paulini, Corpus etiam S. Bartholomæi verè custodiri. Quæstio hæc nostris excitata temporibus fuit, & fan. mem. Benedictus XIII. dum esset Archiepiscopus Beneventanus Dissertationem edidit, contendens, S. Bartholomæi Ossa adhuc Beneventi asservari, ac mihi dum ad obsequia illum Beneventi adiissem, sacram Urnam, in qua recondita asservantur, dignatus fuit ostendere. De hac tamen causa meum non est nec judicium ferre nec examen instituere.

VII. S. Bartholomæi festum Romæ celebratur 25. Augusti, fortè quia hâc die putatur ejus Corpus Romam Benevento fuisse delatum. Hâc eâdem die celebratur à Græcis in Menologio relatio *SS. Reliquiarum S. Apostoli Bartholomæi*, sive ex Indiâ aut Armeniâ Liparim, sive hinc Beneventum. In reliquis verò Latinorum Ecclesiis die 24. ejusdem mensis colitur, tamquam natalis dies, ut in Martyrol. Bedæ, Usuardi, Adonis, & in Sacramentario S.Gregorii. Græci verò ex supradictis ejus diem natalem celebrant die 11. Junii unà cum S. Barnaba.

Huic Apostolo suppositum fuit ab Hæreticis quoddam Evangelium, quod Bartholomæi titulo falsò inscribebant. Detulit quidem Bartholomæus Evangelium Matthæi hebraicè scriptum, illudque eis exposuit, ut Eusebius L. 5. cap. 10., & S. Hieronymus supra citati referunt, sed eum distinctum ac proprium scripsisse, commentum est: ideoque Gelasius illud inter apocrypha rejecit. S. Bartholomæum fuisse sponsum in Nuptiis Canæ aliqui dicunt, allegantes Rupertum & S. Bernardum Abbates: sed quo fundamento hoc dici possit, ignoratur.

CAPUT X.

De S. Matthæo Apostolo & Evangelista.

§. I.

Ejus Genus, Conditio, Apostolatus &c.

I. S. MAtthæus in Evangelio appellatur etiam nomine *Levi* Lucæ 5. v. 27.: *Vidit Publicanum nomine Levi sedentem ad Telonium*. Vocatur etiam *Levi Alphæi*, Marci 2. v. 14.: *Vidit Levi Alphæi sedentem ad Telonium.* Dictus propterea *Levi*, quòd hoc esset nomen ejus hebraicum, & *Alphæi*, quia Alphæi filius esset: ex quo aliqui Veteres, Chrysost. hom. 33. in Matth., Theodoritus in Psal. 67., & Græci in Menol. 16. Novembris eum S. Jacobi Alphæi fratrem fuisse putant. Ipse tamen se Matthæum perpetuò nomiuat; tum Matth. 9. v. 9., ubi suam vocationem ad Apostolatum describit: quo nomine appellatur etiam à Marco & Luca, dum nomina Apostolorum recensent. Quod fortasse erat nomen, quod in exercitio muneris sui, exigendi scilicet vectigalia, obtinebat.

II. Hinc aliqui Veteres, ut Clemens Alexandrinus L. 4. Strom., Origenes L. 2. contra Celsum, & ex Recentioribus Gro-

Grotius ad cap.9. Matth. & Clericus ad Hammond. in Lucam 5. v.26., Matthæum à Levi filio Alphæi, de quo supra Marcus & Lucas, his ducti conjecturis distinguunt. Primò, quia Matthæus numquam Levi, aut Levi Matthæi nomine in Evangelio appellatur. Secundò, Heracleon apud S.Clementem Alexandr. de S. Matthæo & de Levi velut de duobus viris agit: quod cùm S. Clemens non rejiciat, probare videtur. Tertiò, Origenes testatur, Levi Publicanum à Jesu vocatum in numero Apostolorum non recenseri, nisi in quibusdam exemplaribus Evangelii S. Marci. Grotius autumat, Levi fuisse præfectum Telonii, Matthæum verò ministrum ejus: & convivium factum fuisse, non in Matthæi domo, sed Levi.

III. Verùm hæ conjecturæ sunt, quæ receptam in Ecclesia opinionem lædere non possint. Non prima; nam estò Matthæus Levi nomine, aut Levi Matthæi in Evangelio non exprimatur, cùm tamen quæ dicuntur de Levi, de Matthæo dicantur, indicant, unam eamdem personam esse Matthæum & Levi. Non secunda; quòd enim Clemens non rejiciat Heracleonem distinguentem Levi à Matthæo, nihil probat; nam nec rejicit Heracleonem ibi dicentem, Philippum & Thomam Apostolos extra Martyrium mortuos; cùm ut jam ostendi recepta sententia sit, utrumque Martyrio obiisse. Non tertia, nam ea, quæ Matthæus cap.9. v.9. de se ipso sub Matthæi nomine enarrat, eadem prorsùs sunt, quæ Marcus cap. 2. v. 14. & Lucas cap.5. sub nomine Levi referunt: dum ergo in numero Apostolorum recensetur Matthæus, recensetur etiam Levi, qui sub alio nomine eadem persona erat. Hinc S. Thomas in Cat. aurea super cap. 2. Marci: *Idem*, inquit, *Publicanus est à tribus Evangelistis nominatus, scilicet*: Matthæus *à Matthæo cap. 9.*; Levi *autem simpliciter a Luca 5.*; Levi *autem* Alphæi *à Marco*, *filius enim erat Alphæi. Binomios autem secundùm Scripturam alios est videre, sicut Socer Moysi quandoque* Jetro *Exod. 3. quandoque* Raguel *Exod.2. vocatur. Sic idem est* Levi *qui &* Matthæus. *Sed Lucas Marcusque propter verecundiam & honorem Evangelistæ nomen ponere nolunt vulgatum : ipse autem Matthæus juxta illud quod scriptum est (Prov.13.)* „Justus est accusator sui,„ *Matthæum se & Publicanum nominat; ut ostendat legentibus, nullum debere conversum de salute diffidere, cùm ipse de Publicano in Apostolum sit repentè mutatus.* Ita S. Thomas. Imò Origines ipse prævalebit contra se ipsum, qui in præfat. Com. in Epist. ad Rom., & in frag. in Catena in Matth. inserto, communem sententiam tuetur. Quod verò addit Grotius, domum, in qua post Matthæi vocationem fa-

factum est convivium, non fuisse domum Matthæi, sed Levi, quia dicitur præcisè factum *in domo*, non *in domo ejus*, scilicet Matthæi, ubi Marcus & Lucas dicunt factum fuisse in domo Levi: jam solutum fuit à S. Augustino L.2. de Conf. Evang. cap.27. dicente: *Hic Matthæus non expressit, in cujus domo discumbebat Jesus cum Publicanis & peccatoribus: unde posset videri, non hoc ex ordine subjunxisse, sed quod alio tempore factum est, recordatus interposuisse; nisi Marcus & Lucas, qui hoc omninò similiter narrant, manifestarent, in domo Levi, hoc est Matthæi, discubuisse Jesum*: dixerat enim supra S. Augustinus cap. 26.: *Nihil hic repugnat; ipse est enim Matthæus, qui & Levi*.

IV. Matthæus exercitio Publicanus erat, Græcè *Telones*, ideft publicæ pecuniæ seu vectigalium seu alterius, quo Populus gravaretur, tributi Exactor. Apud Romanos duo erant Publicanorum genera. Unum eorum, qui per certos à se commissos viros vectigalia ex omnibus Imperii Provinciis exigebant, ipsi verò rationem accepti apud Imperatorem inibant. Et hoc munus honestum erat & ingenuum; undè Cicero Orat. pro Planco: *Flos*, inquit, *Equitum Romanorum, ornamentum Civitatis, firmamentum Reipublicæ, Publicanorum ordine continentur*. Alterum eorum, qui ab illis ad hoc exequendum constituti erant: & hi omnibus odibiles, veluti publici prædones habebantur. Quarè requisitus olim Theocritus, quam omnium ferocissimam belluam haberet, respondit, Ursos quidem & Leones monstra esse montana, quorum locum in Urbibus Publicani, & Parasiti (ideft scurræ & adulatores) occupant.

Apud Judæos verò, gentem superbam, utpotè qui genus Abraham ex libera natum se esse gloriabantur, undè Joann.8. v. 33. tumentes dicebant: *Semen Abrahæ sumus, & nemini servivimus unquam*, Tributa, quæ argumentum servitutis sunt pendere, externis maximè Principibus, quales tunc erant Romani, detestabantur. Inde fuit, ut Galilæi quidam Herodiani seu Discipuli Judæ Gaulonitæ hoc ægrè ferentes Marci 12. v. 14., & Lucæ 20. v. 22. accesserint ad Jesum & dixerint: *Licet ne tributum dare Cæsari, an non?* Judæi autem cæteri Ethnicorum loco Publicanos habebant: Matth.19. v.17.: *Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Publicanos propterea à Templo, à Synagogis, ab ipsa precum communione, à judiciis etiam & testimonio ferendo prohibuisse, referunt Grotius ad Matth. 18., & Ligfoot. Hor. Hebr. in Matth.. Addunt etiam, munera eorum, non secùs ac pretium ex prostitutione receptum, & alia hujus generis, à Templo fuisse rejecta. Hoc tamen non obstante, ætate Chri-

sti

ſti multi erant in Judæa Publicani, etiam de genere Iſraelis, ex quibus Zacchæus eorum Princeps, & Matthæus, qui tamquam miniſter ſedebat in Telonio. Hos Phariſæorum ſuperbia velut infames ac perditos abhorrebat, ideòque Jeſu vitio vertebant, quòd eorum amicitiâ & convictu uteretur. Hæc de Publicanis.

V. Matthæus ergo unus ex iſtis erat, patriâ Galilæus, qui Capharnaum morabatur, & telonium ſuum ad mare Tiberiadis Urbi proximum ſtatuerat. Porrò cùm Jeſus illac pertranſiens (anno 31.) vidiſſet illum ſedentem in Telonio, vocavit eum ad ſui ſequelam, cui ille ſtatim paruit: ita de ſe ſcribit Matthæus ipſe cap. 9. v. 9: *Et cùm tranſiret inde Jeſus, vidit hominem ſedentem in Telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Et ſurgens ſecutus eſt eum.* Ubi Chryſoſt. hom. 31., modò 30. in Matth., obſervat & vocantis potentiam, qui improbo Telonio adhuc hærentem ex mediis malis abſtraxit; ſicut & Paulum furentem & rabie percitum convertit: & vocati obedientiam; neque enim repugnavit neque dixit: Quid eſt hoc? ſed ſtatim obedivit; neque petiit, ut domum ire liceret, & rem cum ſuis communicaret: & ſicut Petrus & Andreas retia, ſic iſte Teloniariam menſam ſtatim reliquit.

VI. Imò hic conſideranda venit Matthæi humilitas, inquit S. Hieronymus in cap. 9. Matth.: nam *cæteri Evangeliſtæ propter verecundiam & honorem Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato, ſed dixerunt Levi. Duplici quippè vocabulo fuit. Ipſe autem Matthæus.... Matthæum ſe & Publicanum nominat, ut oſtendat legentibus, nullum debere ſalutem deſperare, ſi ad meliora converſus ſit: quum ipſe de Publicano in Apoſtolum ſit repentè mutatus.* Quibus etiam confirmat id, quod ſupra dixi, nempè Matthæum & Levi eſſe non duas ſed unam perſonam binominem. Deinde converſus ad diſſipandam Porphyrii & Juliani calumniam ſic proſequitur: *Arguit in hoc loco Porphyrius & Julianus Auguſtus, vel imperitiam Hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum, qui ſtatim ſequuti ſunt Salvatorem, quaſi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem ſint ſequuti; quum tantæ virtutes tantaque ſigna præceſſerint, quæ Apoſtolos, antequam crederent, vidiſſe dubium non eſt. Certè fulgor ipſe & majeſtas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu. Si enim in magnete lapide, & ſuccinis hæc eſſe vis dicitur, ut annulos & ſtipulam & feſtucas ſibi copulent; quantò magis Dominus omnium Creaturarum ad ſe trahere poterat, quos volebat?* Hæc Hieronymus.

VII. Cùm

VII. Cùm igitur S. Matthæus telonio abdicato Christum secutus fuisset, eum ac discipulos in domum suam duxit, ubi convivio eos excepit (Matth. 9. v.10., Marci 2. v.15. & Lucæ 5. v.29.) cui intererant ex Publicanis, & familiaribus suis alii. Ea res Pharisæos, qui, ut dixi, Publicanos tamquam infame hominum genus execrabantur, vehementer offendit: quapropter cum Discipulis Jesu conquesti dicebant: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Quæ Jesus audiens, respondit: non esse opus sanis medico, sed malè habentibus; ac malle se misericordiam, quàm sacrificium. Hæc sunt, quæ de Matthæo habet Evangelium.

VIII. Ubi duo adverto. Unum, quòd in enumeratione Apostolorum cæteri Evangelistæ Matthæum nominant, solus ipse vocat se *Matthæum Publicanum* cap. 10. v. 3., nimirùm, ut ait Eusebius lib. 3. Demonstr. Evang. cap. 5., *Abundantiâ quâdam modestiæ, studium præseferens veritatis in suis moribus indicandis, Publicanum se appellavit, neque priorem suam vitam occultare voluit*. Alterum quòd ubi cæteri Apostoli post conversionem ad suam priorem artem identidem redibant, & Petrus cum aliis etiam post resurrectionem ad piscandum reversus fuit: Matthæus tamen ad Telonium postea numquam reversus est. Quia licèt Teloniarii munus per se malum non sit, cùm Principes à suis subditis vectigalia exigendi bonum jus habeant; hominum tamen malitiâ vix sine peccato exerceri potest. Unde S. Gregorius Homil. 24. in Evang. ait: *Piscatorem Petrum, Matthæum verò teloniarium scimus: & post conversionem suam ad piscationem Petrus rediit; Matthæus verò ad telonei negotium non resedit: quia aliud est victum per piscationem quærere, aliud autem telonei lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus possunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc necesse est, ut post conversionem animus non recurrat.*

§. II.

S. Matthæi gesta, & Evangelium.

I. Tantæ austeritatis in victu fuit, ut dicat Clemens Alex. lib. 2. Pædagogi pag. 148.: *Matthæus Apostolus seminibus baccis & oleribus absque carnibus utebatur*. Apostolatus Matthæi regionem fuisse Æthiopiam, volunt Ruffinus lib. 10. cap. 9., Socrates l.b. 1. c. 19. & alii: imo Cornelius a Lapide in Matth. pu-

putat, adhuc superesse Ecclesias S. Matthæi in quadam Provincia Æthiopiæ dicta *Sonnar*, unâ ex magis Septemtrionalibus & Ægypto proximioribus; nec non mortuum fuisse in quadam ejusdem Provinciæ urbe dicta *Luab*, seu *Lucb*. Verùm Tilmontius Notâ 2. in S. Matth. dissentit; tum quia præfata nomina apud Samsonem & Baudrand in suis Lexicis non leguntur; tum quia primus qui apud Æthiopas sementem jecit Evangelii creditur fuisse seculo 4. S. Frumentius. Alii propterea voluut, S. Matthæum Evangelium annuntiasse Parthis, & in Parthia obiisse. Ita S. Paulinus Carm. 26. modò 27. *Parthia*, inquit, *Matthæum complectitur*. Cui consentit S. Ambrosius in Psal. 45. Persis prædicasse alii volunt, ibique eum mortuum asserunt, sive Tarsianæ in Caramania tunc Parthis subdita. Res incerta est. Eum in Æthiopia prædicasse asserit Martyrolog. Roman. die 21. Septembris his verbis: *Natalis S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ, qui in Æthiopia prædicans, martyrium passus est*. Menologium Basilii die 16. Novembris dicit: *Multis gentium provinciis peragratis verbum Christi disseminans ad Anthropophagos* (idest hominum voratores) *usque penetravit, apud quos multa tormenta perpessus, tandem creato illic relictoque Episcopo Platone, Hierapolim Syriæ concessit, ubi plurimis Christiana Fide imbutis atque baptizatis vivendi finem fecit*. Idem S. Hippolytus dicit lib. de 12. Apostolis his verbis: *Obdormivit Hiereæ Parthorum civitate*.

II. Ex his videntur Græci asserere, S. Matthæum martyrio non obiisse; quod etiam Heracleon dixit apud Clementem Alexandrinum lib. 4. Strom. Aliqui tamen ex Græcis, eum igne absumtum perhibent: & quamvis ut scribit Nicephorus lib. 2. cap. 41. ignem precibus primùm extinxerit, eo tamen iterum excitato martyrem obiisse. Quomodocumque fuerit, martyrem S. Matthæum obiisse, Latini omnes sentiunt. Ejus martyrii historiam Pseudo-Abdias ita describit: Cum Hirtacus Rex Æthiopiæ, frater, & successor Philippi, unicè deperiret Iphigeniam fratris sui filiam, illam virginitatem suam Deo per votum consecrasse intellexit, & hoc votum violare nefas esse, Apostolus ostendit. Quare incensus in illum Rex, missis satellitibus obtruncari jussit; nec in feminam mitior ignem in domum illius injiciendum præcepit. Verùm flante subitò divinitùs vento, flammæ e domo feminæ in ædes Hirtaci delatæ eas statim absumserunt. Ante excidium Jerosolymitanum mortuum fuisse S. Matthæum, & proinde ante annum 70. quo id accidit, colligit Chrysostomus hom. 77. in Matth.

III. S. Matthæi festus dies, ex dictis, à Græcis colitur die 16. Novembris; à Latinis verò die 21. Septembris, qua die notatur etiam in Martyrologio Bedæ, & in Sacramentario S.Gregorii. Die etiam 6.Maii recolitur memoria Translationis ejus Salernum his verbis: *Salerni translatio S. Matthæi Apostoli, cujus sacrum corpus olim ex Æthiopia ad diversas regiones, & demum ad eam Urbem delatum, ibidem in Ecclesia ejus nomine dedicata summo honore conditum fuit tempore Gregorii Papæ VII.* Ex Æthiopia creditur primò delatum in Britanniam seu Bythiniam, deinde Salernum in Regno Neapolitano anno 954.; inventum autem anno 1080. sedente Gregorio VII.; cujus de hoc extat Epistola (Lib. 8. Registri) 8. ad Alphanum Episcopum Salernitanum, in qua gratulatur de Beati Matthæi Apostoli Corporis inventione; eum hortatur, ut Reliquias debita veneratione prosequatur, & agat cum Roberto Duce ac ejus Conjuge, ut piâ Religione colant sacra pignora. Data est hæc Epistola anno octavo sui Pontificatus 14. Kal. Octobris anni 1080. Constat autem, eumdem Robertum peramplam Basilicam eidem Apostolo erexisse, ut scribit Leo Ostiensis in Chron. Cassin. lib. 3. cap.44. De hoc Baronius ad ann. 954. n.2. & 1080. n.43., & in Notis ad Mart. 6. Maii.

IV. Sub falso nomine S. Matthæi quædam scripta olim prodiere, ut liber Infantiæ Jesu Christi, decreto Gelasii Papæ reprobatus. Hunc librum sub titulo Evangelii laudabant Ebionitæ, eoque abutebantur ad verum Matthæi Evangelium interpolandum. Idem faciebant Cerinthiani, aliique Hæretici primi seculi, sub titulo Evangelii secundùm Hebræos. Matthæo tribuitur etiam Liturgia dicta Æthiopum; sed hanc rejicit Cardinalis Bona Rer. Lit. lib. 1. cap. 8. n.2., utpote nullum in antiquitate fundamentum habentem.

V. Unicum S. Matthæi genuinum opus est Evangelium; quod inter libros Proto-canonicos suscipit Ecclesia. De hoc egi tom.1. Ver. Relig. Chr. Tract. de Libris &c. cap.1. §. 2., ubi ostendi, idiomate Hebraico, non Græco illud primò exarasse, ut communis fert Traditio, quidquid in contrarium sentiant aliqui, inter quos ex Protestantibus Jo. Clericus: cùm enim illud scripserit præcipuè in gratiam Judæorum, qui Fidem susceperant, credendum est illud linguâ eis Vulgari, nempè Syro-hebraicâ, ipsum exarasse. De facto, ut supra dixi ex Eusebio lib.5. cap.10, & S. Hieron. lib. de Script. Eccl. cap.36., Pantænus Philosophus Christianus cùm apud Indos versaretur, Evangelium S. Matthæi illuc, ut ferebatur, à S. Bartholomæo delatum

tum litteris hebraicis scriptum invenit, secumque Alexandriam detulit, ut S. Hieronymus addit: qui etiam dicit, in Bibliotheca Cæsariensi se reperisse illud hebraicè conscriptum, lib. de Script. Eccl. cap. 3. *Porrò ipsum hebraicum habetur usque hodie in Cæsariensi Bibliotheca, quam Pamphylus Martyr confecit.*

VI. Quis primus illud in Græcum verterit, non satis certum est, ait idem S. Hieron. ibi. Circa ann. 488. refosso S. Barnabæ sepulchro in Cypro, scribit Theodorus Lector lib. 2., *Barnabæ Apostoli Reliquiæ in Cypro sub arbore siliqua repertæ sunt, super cujus pectore erat Evangelium Matthæi ipsius Barnabæ manu descriptum .... Id Evangelium Zena deposuit in Palatio, in æde S. Stephani*: additque Alexander Monachus apud Surium die 11. Junii, quòd *in magna quinta Paschæ feria quotannis in Palatii Oratorio Evangelium ex eo libro recitatur.* Ex quo colligi potest, Evangelium illud supra pectus S. Barnabæ manuque ejus exaratum repertum, non Hebraicè sed Græcè fuisse scriptum; aliàs publicè legi non potuisset in Oratorio Imperatoris Græci. Quid ergo absonum esset suspicari, Barnabam ipsum, qui Apostolus erat Gentium, suâ manu Evangelium illud in commodum eorum, quibus prædicabat, ex Hebraico in Græcum vertisse? Quòd si non: concedatur saltem, Apostolorum temporibus, Evangelium Matthæi fuisse ab aliquo græcè redditum. Volunt aliqui primum, qui ex Hebraico reddidit Græcum Evangelium Matthæi, fuisse S. Jacobum Episcopum Jerosolymitanum, ex eo moti, quòd Auctor Athanasianæ Synopsis circa finem dicit, quòd Evangelium à Matthæo, hebraicâ dialecto Jerosolymis editum, *interpretatum est a Jacobo fratre Domini secundùm carnem, qui & primus Jerosolymorum Episcopus constitutus est à SS. Apostolis.* Sed quis non videt, interpretari non esse idem ac in aliam linguam vertere, sed potiùs in eodem idiomate exponere ac explicare? Imò cùm S. Jacobus instruendis Hebræis esset datus; quid opus erat, ut librum patrio idiomate editum in aliud extraneum & minus notum transferret?

VII. Circa tempus, quo S. Matthæus suum scripsit Evangelium, certum apud omnes videtur esse, quòd primus omnium Evangelium scripserit. Quo posito salvari non potest sententia S. Irenæi lib. 3. cap. 1., qui ex una parte videtur admittere Matthæum primum omnium scripsisse Evangelium, quia eum ante alios Evangelistas nominat: ex alia autem dicit: *Matthæus in Hebræis ipsorum linguâ Scripturam edidit Evangelii, cum Petrus & Paulus Romæ evangelizarent & fundarent Ecclesiam.* Si enim, ut notat Baronius ann. 41. n. 15., S. Matthæus scripsit Evange-

 lium;

lium, postquam Petrus & demum Paulus Romam advenerant, cùm Paulus non ante annum 59., & Neronis tertium Romam advenerit, quo tempore Marcus & Lucas sua jam scripserant (uterque enim ante adventum Pauli Romam Evangelium scripserat, ut communis fert sententia) fieret, ut Matthæus non primus omnium sed ordine tertius scripsisset; nec scripsisset ante discessionem Apostolorum in diversas provincias, quod esset contra omnium sententiam: siquidem cùm Paulus Romam advenit, divisi jam erant per orbem Apostoli. Vel ergo hac in re Irenæus relinquendus est, vel cum Baronio exponendus, quòd cùm Petrus primò Romam venit, & fundamenta illius Ecclesiæ jecit, quam postea adveniente Paulo perfecit, tunc Matthæus Evangelium scripsit.

VIII. De anno, quo Matthæus Evangelium scripsit, determinatè statui non potest. Scripsisse eum in Judæa in commodum Judæorum, qui veniebant ad Fidem, ut quisquis etiam privatè Jesum esse Christum à Prophetis prædictum dignoscere posset, & hoc fecisse antequam Apostoli discederent ad Gentes, videntur omnes convenire: sed cùm non æquè conveniant in anno, quo hæc discessio facta est; ideò dubius remanet annus, quo Matthæus Evangelium scripsit. Baronius, qui ad annum 44. n.20. putat discessionem factam hoc anno, existimat, Matthæum Evangelium scripsisse anno Christi 41., septimo post Ascensionem Christi; ita ibidem n.15. Alii observantes, quòd anno 37., quo S. Paulus Galat. 1. venit Jerosolymam, neminem ibi viderit Apostolorum nisi Petrum & Jacobum fratrem Domini, existimant discessionem jam secutam; & ideo putant, Matthæum Evangelium scripsisse anno 36. Alii tamen, & fortè veriùs, anno 42. generalem Apostolorum discessionem factam fuisse, autumant hoc discursu. S.Petrus fundatâ jam Antiochiæ Ecclesiâ Jerosolymam reversus fuit anno 37., ubi eum S. Paulus invisit. Deinde in Pontum, Asiam, Galatiam &c. se conferens, in illis regionibus Evangelium sparsit, & Romam pro prima vice se contulit anno 42. Hoc certè, inquiunt, effectus fuit distributionis inter Apostolos eodem anno factæ, cujus signum est, quòd, ut S. Lucas Act. 11. v. 22. refert, Barnabas, qui eodem tempore Antiochiam destinatus fuit, ab Ecclesia quæ erat Jerosolymis missus fuit, non ab Apostolis: igitur tunc in Provincias sibi deputatas abierant.

IX. Favere videtur S. Leo serm.80. his verbis: *Cùm duodecim Apostoli acceptâ per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio Mundum, distributis sibi terrarum par-*

partibus suscepissent, beatissimus Petrus Princeps Apostolici Ordinis ad arcem Romani destinatur Imperii. Vi ergo distributionis jam factæ inter Apostolos Petrus Romam destinatur. Hoc autem contigisse postquam Petrus Antiochenam Ecclesiam fundaverat, ac Pontum &c. prædicatione lustraverat, inferiùs subjicit dicens: *Jam Populos, qui ex Circumcisione crediderant, erudieras, Antiochenam Ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras: jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam atque Bithyniam Legibus Evangelicæ prædicationis impleveras; nec aut dubius de provectu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inferebas* &c. Hæc S. Leo: quibus conficitur, separationem Apostolorum non contigisse nisi post necem Jacobi, quæ anno 42. ante Pascha contigit, ut notat etiam Vitrl ad cap. 12. Act.

X. Obstare posset, quod refert Eusebius lib. 5. hist. cap. 8. de Apollonio (qui 3. sæculo contra Montanistas scripsit) Is enim tanquam ex Veterum Traditione referebat, *Dominum Apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Jerosolymis excederent;* quod de anno 44. posset intelligi: tunc enim post Pascha annus duodecimus inciperet. Si enim hæc asserta Traditio admittatur (quod non invitus facerem) jam deberet dici, Apostolos, & præcipuè Petrum, hoc præceptum violasse; nam ante annum 44. Petrum Jerosolymâ relictâ plures Provincias peragrasse constat, ut supra dixi. Nisi fortè dicatur, præceptum illud intelligendum esse de discessione ab urbe Hierosolymæ totali, eundo scilicet ad Provincias valdè remotas.

CAPUT XI.

De Sancto Simone Apostolo.

§. Unicus.

Nomen, Gesta, Obitus.

I. DE hoc Apostolo pauca nobis exhibent Scriptura Historia & Patres. Scriptura solùm in enumeratione duodecim Apostolum illius meminit Matth. 10. v. 4., Marci 3. v. 18., Lucæ 6. v. 15., & Act. 1. v. 13.. Matthæus & Marcus vocant eum *Simonem Chananæum;* Lucas verò tam in Evangelio quàm in Actibus appellat eum *Simonem Zelotem:* ex quo occasionem sumunt Auctores examinandi, cur hæc illi co-

cognomina aptentur. Volunt, Chananæum dici à verbo *Kana*, quod coincidit cum verbo *Zelotes*. Alii dictum volunt Cananæum à Cana urbe Galilææ ejus patria. Ita S. Hieronymus in cap. 10. Matthæi, ubi ordinem Apostolorum describens: *Primus*, inquit, *scribitur Simon cognomento Petrus ad distinctionem alterius Simonis, qui appellatur Cananæus, de vico Cana Galilææ, ubi aquam Dominus vertit in vinum*. Theodoritus in Psal. 67. vult, eum fuisse de Tribu Zabulon seu Nephtali, ut eum distinguat à Simeone seu Simone, quem S. Marcus cap. 6. v. 3. vocat fratrem Domini filium Mariæ Cleophæ, qui proinde erat de Tribu Juda, frater Jacobi Minoris; eique in Episcopatu Jerosolymitano successit, & fuit unus ex Discipulis, non autem unus ex Apostolis. Sed de hoc infra.

II. Dicitur etiam *Zelotes* ex ardenti zelo, quo movebatur erga Christum ejusque doctrinam: unde Hieronymus Ep. 37. aliàs 53. ad Riparium inter Apostolorum proprietates nominat *Zelum Simonis Chananæi*, & *Petri severitatem*. Quamvis alii velint, eum dici *Zelotem*, quia erat ex secta Zelotarum, de qua Josephus lib. 5. cap. 1. & alibi, qui tales dicebantur, quia Zelo seu furore patriæ libertatis omnia audebant. Hos cum Herodianis confundunt. Verùm cùm Secta hoc nomine solùm eruperit quatuor vel quinque annis ante excidium Jerosolymitanum, cujus magna ex parte in causa fuit, teste Josepho lib. 18. Antiqu. cap. 1., ideo ab hac Secta non potuit S. Simon Apostolus dicit *Zelotes*. Si Græcos in Menologio Basilii consulimus, dicent die 10. Maii: *Simon magnus Christi Apostolus Zelotes nuncupatus, cùm in Cœnaculo unà cum Sanctis Apostolis esset, visibilemque Spiritus operationem in specie Columbæ, & in linguis igneis suscepisset, totus igneus effectus, Divinoque zelo repletus omnem quidem Deorum plurium errorem velut fœnum liberè incendit; terram verò propè universam percurrens, illam doctrinæ sermonibus, pietatisque lumine illustravit, illuminavitque. Unde & rectè ac verè Zelotæ cognomentum accepit, & duplicem confessionis coronam adeptus est*. Ita Græci, in hoc singulares, dum ajunt, Spiritum Sanctum etiam in specie Columbæ descendisse super Apostolos.

III. Quòd si quæratur, quasnam Provincias Simon prædicatione percurrerit, prosequuntur sic: *Nam Mauritaniam, totamque Afrorum regionem, & Lybiam universam peragravit, & plures Infidelium ad Dominum convertit: ac demum in Britanniam profectus, Cruci affixus fuit: atque ita spiritum Deo tradidit*. In Menologio autem Card. Sirleti hæc habent die 22. Aprilis: *San-*

Sancti Apostoli Nathanaelis, qui fuit Simon Zelotes. Hic fuit ex Cana Galilaeae, ubi Christus Dominus invitatus ad nuptias, aquam in vinum convertit. Et die 10. Maii: *Sancti Apostoli Simonis Zelotae. Hic Simon est Nathanael appellatus, qui Evangelii praedicationem in omnem Mauritaniam, & Afrorum regionem sparsit. Postremò Britanniam profectus, cùm multos Evangelii verbo illustrasset, ab Infidelibus crucifixus, illic sepultus est: qui mores habuit Zelo, quem nomine proferebat*: ubi vides; Simonem Apostolum cum Nathanaele confundunt; quo autem fundamento, nescimus. Imo ut supra dixi Nathanael ex duodecim Apostolis non fuit. Consentit Nicephorus quoad Provincias praedicationis, & mortem in Britannia; solùm addens, eum praedicasse etiam in Ægypto & Cyrene.

IV. Latini verò circa loca praedicationis cum Graecis videntur convenire, exceptâ tamen Britanniâ, ad quam eum adventasse, ibique martyrium fuisse passum, negant; volentes eum unà cum S. Juda Taddaeo illud in Perside & urbe Sunnir subiisse. Ita Fortunatus Pictaviensis Carm. lib. 8. cap. 4., Beda Retract. in Acta cap. 1., Pseudo-Abdias lib. 6. At Martyrol. Rom. 28. Octobris dicit, quòd *Simon in Ægypto, Thaddaeus in Mesopotamia Evangelium praedicavit: deinde in Persidem simul ingressi, cùm innumeram Gentis illius multitudinem Christo subdidissent, martyrium consummarunt*. Et propterea Ecclesia Latina eandem martyrio utriusque consecrat diem. Hoc tamen certum est, ait Baronius in Notis ad Martyr., in qua Provincia Simon praedicaverit, antiquis subobscurum visum fuisse; nam Origenes, Gregorius Nazianzenus, Eusebius, Chrysostomus, Theodoritus, Socrates, cùm de caeteris agunt Apostolis, & loca peregrinationis, & Apostolatus eorum describunt, de Simone dicere omittunt. Quoad Britanniam tamen difficile creditu mihi videtur, S. Simonis praedicatione & martyrio fuisse decoratam, nam licèt admiserim, quòd ab ipsis ferè Religionis Christianae incunabulis Fides Christi in eam pervaserit; quòd tamen ab aliquo Apostolorum fuerit illuc deportata, nemo ut puto dixit.

V. Superest, ut audiamus eos, qui Simonem Apostolum, de quo modò, confundunt cum Simone seu Simeone, qui Jacobo fratri Domini in Episcopatu Jerosolymitano successit, ut supra indicatum est. Afferunt primò Pseudo Hippolytum lib. de 12. Apostol. sic dicentem: *Simon Cananaeus filius Cleophae, qui & Judas, post Jacobum Justum creatus Jerosolymorum Episcopus, obiit, sepeliturque eodem loco, cùm annos centum viginti vi-*

vixisset. Quæ contraria hucusque dictis sunt; nam primò illi cognomen *Judæ* tribuit; deinde facit illum in pace mortuum Jerosolymis ac sepultum, quod est contra id quod dixi tam ex Græcis, quà ex Latinis; qui volunt, eum varias regiones prædicatione lustrasse, & martyrem obiisse sive in Britannia, sive in Perside.

Putant, se niti auctoritate Eusebii lib.3. cap.11., ubi hæc habet: *Post martyrium Jacobi, & continuò subsecutam Jerosolymorum expugnationem, fama est, Apostolos cæterosque Domini Discipulos, qui adhuc superstites agebant, ex variis locis in unum convenisse, & unà cum iis, qui Dominum secundùm carnem propinquitate generis contingebant (plerique enim eorum adhuc in vivis supererant) in commune consuluisse, quis in Jacobi locum succedere mereretur. Omnes itaque uno consensu Simeonem filium Cleopæ, illius cujus in Evangeliis fit mentio, Episcopali Sede dignum judicaverunt*. Et eodem lib.3. cap.32. ex Hegesippo: *Adsunt, inquit, illi & universæ Ecclesiæ præsident, utpote martyres & agnati Christi. Tandemque profundâ pace Ecclesiâ restitutâ, ad Trajani usque tempora superstites fuerunt; donec Simeon supradictus Cleopæ filius ejus, qui patruus erat Domini, accusatus similiter ab Hæreticis, & ob eandem causam in jus vocatus est coram Attico Consulari, & per multos dies acerbissimis tormentis excruciatus Fidem Christi constantissimè professus est; adeo ut & Consularis ipse & omnes qui aderant magnoperè mirarentur, quâ ratione vir centum ac viginti annos natus tot tormenta perferre potuisset. Tandem verò sententiâ Judicis cruci suffixus est*.

VI. Sed hæc ostendunt quidem, Simeonem electum Episcopum Jerosolymorum post Jacobum fuisse filium Cleophæ, & ex agnatis Domini, non tamen ostendunt, eundem fuisse ac Simonem unum de duodecim. Nam illum semper vocant Simeonem, iste semper Simon vocatur. Ille filius Cleophæ agnatus Domini, & consequenter de Tribu Juda: iste Cananites, & secundùm Theodoritum in Psalm. 67. de Tribu Zabulon vel Nephtali. Illum nunquam dicunt Apostolum: iste in Evangelio semper inter Apostolos recensetur. Addo, Bedam Retract. in Acta cap.1., qui antea Simonem Apostolum eundem esse cum Simeone Fratre Domini senserat cum falso Isidoro L. de Vit. & Mort. Sanct. cap.82., sententiam revocat his verbis: *Porrò Isidorus arbitratur, hunc Simonem esse, qui post Jacobum Fratrem Domini Jerosolymorum rexit Ecclesiam; quem & nos olim in primo Actorum libro secuti sumus, non ea quæ scripsit scrupulosiùs discutientes; rati quòd hæc ipse ex certis Veterum hi-*

sto-

storiis didicerat: quod ne adhuc quidem negare audemus: ut autem retractet faciunt historiæ quædam, quas postea apocryphas deprehendit. Tandem Eusebius L.3. cap. 31. omnia, quæ de Apostolis dicturus erat, obitu S. Joannis & Philippi concludit, dicens: *Expositis igitur hactenùs quæcumque ad notitiam nostram pervenerunt tum de Apostolis ipsis, & de tempore obitus singulorum, tum de sacris voluminibus, quæ nobis reliquerunt* &c.; subinde cap. 32. agit de Martyrio Simeonis filii Cleophæ Episcopi Jerosolymitani. Cùm ergo ultimus Apostolorum S. Joannes obierit, si post ejus obitum Martyrium Simeon passus est, infertur, eum non fuisse Simonem unum ex Apostolis. Sed hæc satis.

CAPUT XII.

De Sancto Juda Thaddæo Apostolo.

§. I.

Nomen Genus Conditio.

I. Apostolus iste S. Judas à S. Matthæo cap.10. v. 3., & Marco cap.3. v.18. dicitur Thaddæus, & à Luca c.6. v. 16. & Act. 1. v.13. Judas Jacobi; alibi etiam Lebbæus appellatur, maximè à Græcis, & Versionibus Orientalibus. Hinc S. Hieronymus in cap.10. Matth. de Thaddæo Apostolo ait: *Qui ab Evangelista Luca Judas Jacobi dicitur, & alibi appellatur* Lebbæus, *quod interpretatur* Corculus (idest Cordatus, sapiens, prudens, solers, acutus. Plin. L.7. cap.31.) *Credendumque est, eum fuisse trinomium: sicut Simon* Petrus: *& filii Zebedæi* Boanerges, *ex firmitate & magnitudine Fidei nominati sunt*. Quidam volunt, Judam & Thaddæum in lingua originali idem esse. Huic Apostolo nomen Zelotis proprium Simonis communicat S. Hieronymus in cap. 4. ad Galat., ubi viros bono zelo claros enumerans: zelum inquit *Apostoli Judæ (sed non proditoris) qui ob insignem zeli in se virtutem etiam* Zelotis *nomen accepit*.

II. Frater erat S. Jacobi Minoris, & consequenter & ipse appellabatur Frater Jesu Christi seu Consobrinus, quia filius Mariæ, quæ vocatur soror SS. Virginis & Cleophæ; quem aliqui putant fratrem S. Joseph, de quo egi supra cap.7. de S. Jacobo Minore §.2., ubi varias de hoc retuli opiniones. Sunt qui velint, hunc, quem Lucas vocat Judam Jacobi, & Judam Fra-

trem Domini esse duos diversos, quia nemo consuevit appellari à nomine fratris sed nomine patris, vel uxor nomine viri. Sed hæc regula sine ullo statuitur fundamento, maximè cùm nemo ex Antiquis hunc scrupulum elevaverit. Et meritò. Nam si ponimus Judam Jacobi distinctum à Juda Thaddæo Fratre Domini, jam non duodecim sed tresdecim Apostolos à Christo electos ponere tenebimur, vel quòd Matthæus & Marcus unùm inter Apostolos recensuerint, & Lucas eo omisso alium inseruerit, & sic inter se discordent.

III. Thaddæum uxorem habuisse & filios, sentiunt multi. Nicephorus L.1. cap.33. ejus uxori Mariæ nomen indidit: & ex Eusebio L.3. cap.19. & 20. colligi videtur, duos ejus filios Martyres obiisse. Nam cap.19. ex Hegesippo dicit Eusebius: *Vetus fama est, posteros Judæ ejus, qui secundùm carnem Fratres Christi fuerant, à quibusdam Hæreticis esse delatos* (coram Domitiano) *utpotè qui è Davidis stirpe essent oriundi*. Et cap.20. ex eodem addit: *His temporibus adhuc supererant quidam ex cognatione Christi nepotes Judæ illius, qui secundùm carnem Frater Christi vocabatur*. Hi ad Domitianum ducti & ab eo interrogati, quot possessiones & quantam pecuniam haberent, cùm respondissent, se aliqua habere prædia, ex quibus propriarum manuum labore cultis tantùm vix percipiebant, quantum sat erat ad victum & ad tributa solvenda, eique manus callis obduratas ostendissent: quæsiti etiam de Regno Christi, cùm reposuissent, hoc temporale non esse sed spirituale & æternum, à Domitiano dimissi liberi fuerunt. Qui postea cùm Ecclesiis præfuissent, Christi Martyres, & propinqui Trajani temporibus obierunt. Verùm ex quo Eusebius istos vocet Judæ *Posteros* ac *Nepotes*, non propterea certò infertur, eos fuisse Judæ filios, vel ab eo originem habentes, cùm possint dici Judæ posteri & nepotes, quia ex eadem Familia descendentes, etsi ab illo rectâ lineâ per generationem non processerint, sed ab alio ejus Consanguineo geniti fuerint. Ut enim ait S. Hieronymus L.1 adv. Jovin.: Cùm *excepto Apostolo Petro non sit manifestè relatum de aliis Apostolis, quòd uxores habuerint, & cùm de uno scriptum sit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, sine uxoribus eos fuisse, de quibus nihil tale Scriptura significat*. Quibus omnibus accedit, quòd Græcorum Menologia 19. Junii, ubi referunt ejus prædicationem & martyrium, illum uxorem habuisse non dicunt.

IV. S. Judas ad Apostolatum vocatus fuit post Pascha anno 31. Is fuit, qui in ultima Cœna petiit à Jesu, quarè ipsis manifestaturus esset se ipsum, & non Mundo, Joann. 14. v. 22. *Dicit*

cit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis Teipsum, & non Mundo? Dixerat enim Jesus v.19.: *Adhuc modicum, & Mundum me jam non videt: vos autem videbitis me*: Quibus excitatus Apostolus causam quæsivit. Cui Jesus respondit, causam esse, quia ipsi eum diligebant, sermonem ejus servantes, Mundus autem non sic. Ubi S. Augustinus Tract. 76. in Joann.: *Ecce*, inquit, *exposita est causa, quare se suis manifestaturus est, non alienis, quos Mundi nomine appellat: & ipsa est causa, quòd hi diligant, illi non diligant.*

§. II.

Prædicatio Obitus.

I. DE Provinciis, quibus S.Judas Christum annuntiavit, non una est sententia. Martyrol. Rom. die 28. Octobris vult, eum prædicasse Evangelium in Mesopotamia, deinde in Persidem cum Simone Cananæo ingressum, postquam innumeram illius Gentis multitudinem Christo subdidissent, ibi Martyrium consummasse. Nicephorus L.2. cap.4. omissâ Perside ponit, eum prædicasse in Judæa, in Galilæa, Samaria, Idumæa, Arabia, Syria, & Mesopotamia. De Mesopotamia conveniunt etiam Græci in suis Menologiis. S. Paulinus carm.26., modò 27.,ait, Lybiam Lebbæum accepisse prædicantem & mortuum. Moscovitæ credunt, se ab ipso Christi Fidem primò accepisse.

II. S.Judam Thaddæum Apostolum fuisse illum, qui à Sancto Thoma Apostolo missus fuit Edessam ad Abgarum post Christi Ascensionem, sentit S.Hieronymus in cap.10. Matth.: sed Historia Ecclesiastica tradit, S. Thaddæum, qui Edessam missus fuit, non fuisse Judam Thaddæum ex Apostolis, sed Thaddæum unum ex 70. Discipulis, ut dixi supra cap.6. de S. Thoma §.3. Hoc tamen non impedit, quin etiam S. Judas Thaddæus Apostolus Mesopotamiam prædicatione lustrans Edessam pervenerit, & opus Dei à Thaddæo inchoatum confirmarit. Et proindè admitti poterit, quòd Menologia Græcorum de S.Juda Apostolo die 19. Junii asserunt, quòd *apud Mesopotamiam Evangelium Gentibus disseminans, verbo Christi pietatem Regionibus illis prædicavit, & Edessenorum Civitatem peragrans ad Abgarum profectus illum à morbo curavit.*

III. Quot annos vixerit, ignoratur. Probabile est, eum in vivis adhuc fuisse, & Jerosolymam se contulisse ante Marty-

rium S. Jacobi Minoris ejus fratris, & illius Urbis Episcopi; quod vel anno 63. vel 65. contigisse, supra ostendi cap. 7. §. 5.; & interfuisse electioni S. Simeonis in Episcopatu defuncti Successoris. Ut enim ait Eusebius L. 3. cap. 11.: *Post Martyrium Jacobi, & continuò subsecutam Jerosolymorum expugnationem, fama est, Apostolos cæterosque Domini Discipulos, qui adhuc superstites agebant, ex variis locis in unum convenisse, & unà cum illis qui Dominum secundùm carnem propinquitate generis contingebant (plerique enim eorum adhuc in vivis supererant) in commune consuluisse, quis in Jacobi locum succedere mereretur: omnes itaque uno consensu Simeonem .... dignum judicaverunt.* Credibile ergo est, inter propinquos Christi secundùm carnem, quorum plerique superstites electioni Simeonis interfuere, fuisse etiam S. Judam Christi propinquum, & anno 70., quo excidium Jerosolymorum contigit, in vivis fuisse.

IV. Quoad tempus verò mortis ejus, observat Baronius ad annum 68. v. 5., quòd cùm planè appareat, S. Judam scripsisse suam Epistolam, de qua infra, post omnes alias ab Apostolis scriptas, unde v. 17. dicit: *Memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis*: & etiam post secundam Petri scriptam paulò ante Martyrium; cùm iisdem sententiis, ac iisdem ferè verbis concepta videatur: cùmque etiam, ut nuper dixi, interfuisse credatur electioni Simeonis factæ post excidium Jerosolymorum, & ideò post annum 70.: probabile est, eum etiam post tempora Neronis supervixisse; nec aliam de hoc Epocham statuere possumus.

V. De qualitate verò & loco mortis: Græcorum quidam ut Nicephorus L. 2. cap. 40. Œcumenius censent, eum placidâ morte Beryti obiisse: sed fortè isti confundunt S. Judam hunc cum Thaddæo Apostolo Edessenorum. Cæteri tam Græci quàm Latini Martyrio vitam consummasse conveniunt, de loco autem diffident. Latini eum unà cum S. Simone in Perside Martyrio coronatum dicunt: quo autem Martyrii genere tacent. Ita in Martyr. 28. Octobris. S. Paulinus carm. modò 27. in Lybia eum passum fuisse autumat; de qua autem Lybia, an Cyrenaica, an Tripolitana, an alia parte magis Meridionali Africæ loquatur, non exprimit. Græci in Menologiis 19. Junii, in eo qui dicitur Basilii sic lego: *Postremò Arat Urbem petiit, ibique in Crucem actus telisque confossus vivendi finem fecit.* In alio Cardin. Sirleti legitur: *In Artipoli ab Infidelibus suspensus & sagittis vulneratus, spiritum Deo ipsi commendavit*: Cæterùm hæ Urbes *Arat* & *Artipolis* sub his nominibus sunt nobis ignotæ:

tæ: nisi fortè essent *Arará* vel *Artaxate* Urbes in Armenia celebres; prima in Majori, altera in Minori Armenia. De facto autem Armeni apud se esse Corpus S. Judæ contendunt: quamvis utriusque SS. Simonis & Judæ Corpora in Basilica Vaticana hodie asservari dicantur.

VI. S. Judam Apostolum scripsisse Epistolam, quæ inter Canonicas postremum locum obtinet, ejusque nomen præfert, universa Ecclesia etiam Græca (ut in suis Menologiis) fatetur. Licèt autem olim ab aliquibus dubitatum fuerit; dubium hoc ab omnibus sublatum fuit, ut ostendi Tom.1. Ver. Relig. Christ. Tract. de Libris &c. cap.3. §.5. ; unde ibi dicta repetere foret superfluum. Ferebatur etiam quoddam Pseudo-Evangelium nomine Judæ Thaddæi personatum; quod tamen Gelasius Papa in Conc. Rom. ad apocrypha amandavit his verbis: *Evangelium nomine Thaddæi apocryphum*.

CAPUT XIII.

De Sancto Matthia Apostolo.

§. Unicus.

Electio Prædicatio Mors &c.

I. S. Matthias post Ascensionem Domini in Apostoli locum, è quo prævaricatus fuit Judas Iscariotes, subintravit. Antea fuisse unum ex 70. Discipulis, scribit Eusebius L. 1. cap.12.. Fuisse semper cum Jesu & Apostolis à Baptismo Joannis usque ad ejus Ascensionem, colligitur ex verbis Petri Act.1. v. 21. & 22., ubi agens de subrogando alio in locum Judæ ait: *Oportet ergo ex his Viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens à Baptismate Joannis usque in diem, quâ assumtus est à nobis, testem Resurrectionis ejus nobiscum fieri unum ex istis*. Cùm ergo ex duobus, quos statuerunt, unus fuerit Matthias, signum est eum à Baptismate Joannis usque ad Ascensionem ejus fuisse Jesu Discipulum & Apostolorum comitem indivisum. Quarè in hac parte audiendus non est Clemens Alexandr., qui L. 4. Strom. pag.488. videtur admittere, Matthiam eumdem esse ac Zacchæum Principem Publicanorum; nam Matthias, ut dixi, à Baptismate Joannis factus fuit, ac permansit semper cum Christo; at Zacchæus paulò ante Passionem Christo d edit.

II. Ele-

II. Electio Matthiæ in Apostolum Act. 1. v. 15. &c. ita narratur: Post Ascensionem Domini cùm Apostoli Jerosolymis convenissent promissum Spiritus Sancti Adventum precibus continuis sollicitantes, Petrus coactos simul fratres numero centum viginti allocutus est, oportere ex iis Viris, qui erant ibi congregati, & omni tempore fuerant Jesum secuti, eligere unum, qui in locum Judæ sufficeretur: Judæ, inquit, qui juxta Davidis vaticinium è loco suo excidit, quia Domini sui vitam pretio vendidit, factus dux eorum qui comprehenderunt eum, quo sanè pretio criminis conscientiâ adigente Sacerdotibus restituto, ager comparatus est. Judas tamen patrati criminis pœnas luit: nam desperatione adactus laqueo sibi parato suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus. Et hoc notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem: ita ut ager ille appellatus sit Haceldama, hoc est ager Sanguinis; oportere igitur (addidit) ut Episcopatum illius, juxta Psalmi 108. v. 8. prædictionem, accipiat alter. His ergo à Petro dictis, communi sententiâ congregati statuerunt duos nempè Joseph Barsabam, qui dicebatur Justus, & Matthiam; deinde fusis ad Deum precibus, ut dignaretur ostendere, quem ex illis duobus ipse elegisset, jactis sortibus, cecidit sors super Matthiam, & statim annumeratus est cum undecim Apostolis. Hoc modo facta fuit electio Matthiæ in Apostolum, in qua quia adhibitæ fuerunt sortes; ideò viam aperuit quæstioni, an in electionibus usus sortium sit licitus. Sed quia de hac egi de Vita & Mysteriis Christi cap. 39. §. 1. à num. 4. ideo studiosum illuc remitto.

III. De hoc Apostolo nil aliud dicit Scriptura, & vix aliquid probata historia. Ejus tamen Vitam duodecimo seculo vulgavit Monachus quidam S. Matthiæ Trevirensis, ex originali Hebræo sibi à Judæo communicato, & ab eodem vernaculo sermone explicato; quam legere est apud Bollandum 24. Februarii. In ea ergo legitur, S. Matthiam in Bethlehem Tribus Judæ ex illustri genere ortum, & sanctissimis moribus adhuc adolescentulum à summo viro Simeone imbutum fuisse. Post Pentecostem Palæstinam ei obtigisse, quam universam prædicationibus & miraculis obivit. Trigesimo tertio à Passione Domini anno, cum Anani Junioris operâ S. Jacobus Minor Jerosolymæ sublatus fuisset, S. Matthias tunc temporis Galilæam lustrans, adductus est: cùmque in confessione firmus persisteret, capitali sententiâ damnatus, lapidibus primùm oppressus, deinde capite truncatus est. Hoc habet præfata Historia, quæ tamen optandum esset ut à puriori fonte manasset, non à Viro Judæo, & quidem post de-

decem fecula, abfque ullo antiquitatis teftimonio. Quapropter communiter tamquam apocrypha & nullius auctoritatis reputatur.

IV. Clemens Alexandrinus L.3. Strom. pag.436., ut eximat Nicolaum Diaconum à nota hærefis, quam Nicolaitæ ei affingebant (de quo fupra egi cap.1. de S.Petro §.4.num.10. &c.) ait: *Dicunt itaque, Matthiam quoque fic docuiffe: cum carne quidem pugnare, & ea uti; nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem & cognitionem*: Quod refert etiam Eufebius L.3. hift. cap.29.

V. Provinciam, in qua prædicavit & diem claufit extremum, fuiffe Colchidem, Græcorum aliqui putant apud Bollandum 24. Februarii. In Menologiis tamen volunt fuiffe Æthiopiam; ita in Menol. Bafilii die 9. Augufti his verbis: *Poft hæc in ulteriori Æthiopia prædicans Evangelium, atque multos illuminans, detentus ab Infidelibus, & plurimùm cæfus, Deo tradidit fpiritum*. Ita etiam in Menol. Sirleti. Romanum autem Martyrol. die 24. Februarii, eum in Judæa prædicaffe dicit. Quæ duo benè componi poffunt dicendo, eum poftquam in Judæa prædicaffet, tranfiffe in Æthiopiam, ibique Martyrem pro Fide obiiffe, quo tamen genere paffionis non exprimit. Aliqui tamen volunt, eum in Judæa mortuum fuiffe ex Dionyf. Areopagita de Eccleſ. Hierarch. cap.5.; cum enim ibi prædicaret Evangelium, accufatus & ad mortem damnatus coram Scribis & Pharifæis; Jefum effe verum Deum & verum hominem intrepidè demonftravit, ac vitâ & fanguine Veritatem hanc comprobavit. Ejus corpus Romæ in Bafilica S. Mariæ Majoris affervatur: quamvis Bollandus dubitet, an Corpus quod Romæ affervatur, potiùs quàm Apoftoli, fit Matthiæ Jerofolymorum Epifcopi circa annum 120.

VI. Sub S. Matthiæ nomine ferebatur olim Evangelium, quod tamen antiqui Patres, Origenes hom.1. in Lucam, Eufebius L.3. hift. cap.25. tanquam ab Hæreticis fuppofitum rejecerunt. Unde Gelafius Papa inter apocrypha illud recenfet. Ferebantur etiam S. Matthiæ Traditiones (de quibus loquitur Clemens Alexandrinus L.2. Strom.pag.380., & L.7.pag.765.) quas Bafilidiani, Marcionitæ, & Valentiniani, qui fe Difcipulos hujus Apoftoli mentiebantur, fpargebant: *Ex hærefibus*, inquit Clemens, *aliæ quidem appellantur ex nomine, ut quæ appellatæ funt à Valentino & Marcione & Bafilide, etiamfi glorientur, fe Matthiæ opinionem adducere*. Cùm ergo ex illis fuppofitis Traditionibus multa depromerent contraria doctrinæ Apoftolorum; dicen-

cendum, eas non Apostoli Matthiæ, sed corruptæ dictorum Hæreticorum phantasiæ fœtus esse: *Fuit enim una omnium Apostolorum sicut doctrina, ita etiam Traditio*. Sic Clemens Alexandrinus citato loco.

CAPUT XIV.

De S. Barnaba Gentium Apostolo.

§. I.

Barnabæ Conditio Prædicatio &c.

I. Barnabas, sicut & Paulus, quamvis non sint ex duodecim à Christo, dum conversaretur in terris, electis; quia tamen ab Eo post Ascensionem ad Apostolatum Gentium specialiter vocati & electi, propterea inter Apostolos numerantur. De Pauli vocatione jam egi, & omnibus nota est. De vocatione autem Barnabæ constat ex Act. cap. 14. v. 1. &c.; ubi legitur, quòd cùm in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, essent Prophetæ & Doctores, in quibus Barnabas & Saulus: *dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam ad opus, ad quod assumsi eos. Tunc jejunantes & orantes imponentesque eis manus, dimiserunt illos.*

II. Barnabas ergo Act. 4. v. 36. sic describitur: *Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum Filius consolationis) Levites & Cyprius genere, cùm haberet agrum vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum*. Quibus ejus proprium nomen indicatur, in cognomine indoles, rursùs genus; patria, ac bonorum propter Christum abdicatio. Vocabatur ergo proprio nomine *Joseph*. Putarunt aliqui esse illum Joseph, qui ut habetur Act. 1. v. 23. cùm Matthia propositus fuit, ut eligeretur in locum Judæ: sed contrarium sentit Chrysostomus hom. 11. in Acta dicens: *Non videtur mihi hic ille esse, qui cum Matthia. Ille namque Joseph vocabatur Barsabas, postea verò cognominatus est Justus; hic verò Barnabas idest Filius consolationis, ab Apostolis cognominatus est: videturque mihi à virtute nomen accepisse, ac si ad eam esset aptus ac idoneus*. Hinc apparet, cognomine Barnabæ donatum fuisse ad exprimendam ejus indolem, idoneam ad consolandum afflictos & roborandos debiles, & consequenter lenem, teneram, dulcem, facilem ad veniam, ac faciem amoris simul ac venerationis à vi-

à videntibus sibi conciliatricem. Undè idem Chrysostomus hom.21.: *Barnabas hic*, inquit, *mitis & mansuetus homo erat: nomen autem ejus Filium Consolationis significat: undè & amicus Paulo fuit. Quòd autem valdè mitis esset & accessu facilis, & ex hoc, & ex iis, quæ circa Joannem* (Marcum) *acta sunt, liquet*. Et hom.30.: *Opinor*, inquit, *aspectu venerabilem fuisse Barnabam*.

III. Apparet etiam, eum fuisse de Tribu Levi, quamvis ejus Familia in Insula Cypri fixum incolatum haberet. Prædium tamen non procul Jerosolymis possidebat: sed eo vendito pretium ad Apostolos in commune Fidelium commodum, quia tunc nemo illorum habebat proprium, statim detulit. Ex hoc excitatur quæstio, an Barnabas fuerit unus ex Christi Discipulis, qui ei jam adhæserant etiam ante Passionem; an solùm post Ascensionem operâ Apostolorum Fidem Christi amplexus sit. Beda Retract.in Acta cap.4. secundam partem tuetur & miratur, quòd aliqui Veteres oppositum senserint, cùm S. Lucas apertè indicet cap.4., eum non fuisse conversum nisi post Ascensionem ab Apostolis; cùm manifestum sit, Evangelicam doctrinam passuram non fuisse, ut Discipulus Jesu Christi adhuc retineret prædii possessionem, quam non nisi post Ascensionem abdicavit.

IV. Nihilominùs Clemens Alexandrinus Lib. 2. Strom. pag.410. de Barnaba dicit: *Erat autem is ex Septuaginta, & Pauli adjutor*. Et Eusebius L.1. hist. cap.12., ubi de numero 70. Discipulorum, ait: *Quod verò ad septuaginta Discipulos attinet, eorum series nullibi præscripta reperitur. Fertur tamen ex illorum numero unus fuisse Barnabas, cujus cùm in Actibus Apostolorum crebra fit mentio, tum in Pauli ad Galatas Epistola*: & L.2. cap.1. postquam dixit, quòd Jacobo Justo ac Joanni & Petro Dominus post Ascensionem Scientiæ Donum impertivit, subdit, *quòd illi cæteris Apostolis; hi verò septuaginta Discipulis, quorum unus fuit Barnabas, tradiderunt*. In libello etiam sub Hippolyti nomine de 70. Discipulis Barnabas recensetur. In hoc consentiunt Græci in suis Menologiis die 11. Junii.

V. Neque oppositum indicat Lucas ex eo, quòd solùm post Ascensionem dicat Barnabam agrum à se possessum vendidisse. Nam primò de Apostolis quidem hoc habemus, quòd reliquerint omnia quoad actum, non tamen habemus hoc de Discipulis. Nec doctrinæ Evangelicæ contraria est bonorum possessio, sed affectus. Undè Paulus 1. Cor. 7. v. 30.: *Qui emunt*, inquit, *tamquam non possidentes* (sint) *& qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur*. Nec Zacchæus quando Discipulus Jesu factus fuit

Lucæ 19. v.8. omnia dimisit, sed solùm promisit, dimidium bonorum pauperibus se daturum, & si quid aliquem defraudasset, quadruplum redditurum. Nec ab eo plus petiisse Christum constat ex eo, quod statim dixit ei: *Hodie salus Domui huic facta est*. Dici etiam potest, quòd Barnabas ante Ascensionem vel non habuit dicti prædii possessionem, vel de eo disponere antea non potuerit.

VI. Quæ de S. Barnaba, præter dicta, in Scriptura sunt primò, quòd cùm S. Paulus post tres à sua Conversione annos (anno nempè 37.) Jerosolymam venisset, & tentaret se jungere Discipulis; sed omnes timerent eum, scientes eum fuisse Ecclesiæ persecutorem, nec credentes, eum esse Discipulum; Barnabas duxit eum ad Apostolos, eisque narravit prodigiosam illius conversionem, & quantum pro Christo in Damasco fecerit. Ita Act.9. v.26.: *Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, & narravit illis, quomodò in via vidisset Dominum, & quia locutus est ei, & quomodò in Damasco fiducialiter egerit in nomine Jesu*. Quo audito, ab omnibus libenter exceptus fuit Paulus. Ex hoc aliqui putant, Paulum fuisse notum & amicum Barnabæ, quia sub Gamaliele studuerint.

VII. Secundò, quinque post annos, anno nimirùm 42., cùm (ut habetur Act.11. v.20.) quidam Fideles Cyprii & Cyrenæi venientes Antiochiam, ac cœpissent annuntiare Græcis idest Gentilibus Dominum Jesum; tunc enim, secutâ jam conversione Cornelii, aperta erat etiam Gentibus janua ad pœnitentiam & Fidem; essetque manus Domini cum eis in signis & prodigiis, multusque numerus credentium conversus esset ad Dominum: famâ de hoc Jerosolymam perlatâ, missus fuit ab Ecclesia Antiochiam Barnabas, qui (v.23.) *cùm pervenisset & vidisset gratiam Dei, gavisus est, & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino. Quia erat vir bonus & plenus Spiritu Sancto. Et apposita est multa Turba Domino*: ut enim dixi Barnabas vir bonus erat, suavis, plenus caritate, corda audientiùm dulcedine emolliens & attrahens. Ideòque ipsum & Paulum Concilium Apostolorum hoc elogio exornat, vocans eos homines, *qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi*. Act.15. v.26.

VIII. Tertiò, confirmatis in Fide Fidelibus Antiochiæ (Act. 11. v. 25.) *Profectus est Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum: quem cùm invenisset, perduxit Antiochiam: & annum unum conversati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt Turbam multam: ita ut cognominarentur primùm Antiochiæ Discipuli Christiani*.

Post

Post tantos progressus Barnabas Antiochiam voluit perducere Paulum, nec curavit, quòd adventu Pauli sua minueretur auctoritas; causam enim agebat Christi, non suam. Undè Chrysostomus hom.25. in Acta ait: *Sed vide hunc quoque Sanctum, Barnabam dico, quomodò non sua respiciat, sed currat Tarsum. Optimus vir erat & simplex, atque Paulo familiaris. Ideò venit ad ducem* &c.

IX. Quartò, Barnabas & Paulus per annum Antiochiæ commorati, eâ relictâ anno 24. Jerosolymam simul profecti sunt, ut eleemosynas, quas Fideles Antiochiæ ad Fideles Judææ mittebant, deferrent, ut maximè fami ab Agabo prænuntiatæ subvenirent. Sic Act.11. v.29. & 30.. Redeuntes autem Antiochiam secum duxerunt Joannem cognomento Marcum Act. 12. v. 25.: *Barnabas autem & Saulus reversi sunt ab Jerosolymis expleto ministerio, assumto Joanne, qui cognominatus est Marcus*. Hic Marcus juxta S. Hieron. L. de Script. Eccles. cap.6. Discipulus erat Barnabæ: & juxta alios etiam Consobrinus, ideòque non levibus conjecturis existimant, hunc esse eumdem, de quo Paulus ad Coloss.4. v.10.: *Salutat vos.... & Marcus Consobrinus Barnabæ*.

X. Quintò, Barnabâ & Paulo Antiochiæ existentibus, Spiritus Sanctus sive internâ sive externâ locutione præcepit Prophetis & Doctoribus, qui ibi erant, inter quos Simon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen (Act.13.v.1.) ut sibi segregarent Saulum & Barnabam ad opus, ad quod eos assumserat, nimirùm ad Apostolatum Gentium, eosque ad tale opus ordinarent. Mandatis ergo S. Spiritus tres præfati obsequentes, præmisso jejunio & oratione, Saulo & Barnabæ manus imposuerunt; quo facto assumto Joanne Marco Saulus & Barnabas abierunt Seleuciam, inde navigaverunt Cyprum, deindè Salaminam; ubique accepti Apostolatus semina spargentes. Porrò quòd ad Apostolatum Gentium ordinati essent, fatetur Paulus ipse Galat.2. v.9., ubi dicit, quòd cùm cognovissent Jacobus & Cephas & Joannes gratiam hanc, dextras dederunt sibi & Barnabæ societatis, ut ipse & Barnabas essent *in Gentibus*, sicut illi erant *in Circumcisionem*. Et propterea Lucas Act. 14. v. 4. & v.14. eos simpliciter vocat Apostolos: *Quod ubi audierunt Apostoli Barnabas & Paulus* &c., & Paulus ipse 1. Cor.9. v.5. & 6. se ipsum & Barnabam inter Apostolos nominat. Ita ut identidem prior nominetur Barnabas, identidem Paulus. Unde Clemens Alexandrinus L.2. Strom. pag.373. Barnabam vocat Apostolum: Augustinus in Psalm.96.: *Fecerunt hoc*, inquit, *Apo-*

Apostoli Sancti Paulus & Barnabas. Et Ambrosius L.2. de Spiritu Sancto cap.12. dicit, quòd Paulus & Barnabas *permissi à Spiritu Sancto ... nullam discretionem inter cæteros habuerunt Apostolos, quasi aliter à Patre Deo aliter à Spiritu mitterentur*.

XI. Quia probabile est, Prophetas & Doctores, qui erant Antiochiæ, Cyprios & Cyrenenses origine, fuisse illos eosdem qui jubente Spiritu Sancto ordinaverunt Paulum & Barnabam in Apostolos Gentium, nempè Simonem qui vocabatur Niger, Lucium Cyrenensem, & Manahen, non abs re erit de his aliqua dicere. Simon Cyrenensis dictus Niger ab aliquibus confunditur cum Simone Cyrenæo, qui adactus Christi Crucem bajulavit; sed cui fundamento hæc conjectura nitatur, latet. S. Epiphanius hæref. 20.cap.4. Nigrum quemdam inter 70. Discipulos recenset. De hoc Simone Nigro nihil in Martyrologiis & Ecclesiasticis Officiis. Lucius Cyrenensis, qui ab aliquibus inter 72. Discipulos recensetur, ab Usuardo & Adone primus Cyrenarum Episcopus creditur ab Apostolis institutus. De eo agunt Latini in Martyr. die 6. Maji his verbis: *Cyrene S. Lucii Episcopi, quem in Actibus Apostolorum S. Lucas commemorat*. Hic ab aliquibus idem putatur esse ac Lucius cognatus Pauli, cujus nomine Rom. 16. v.21. Romanos salutat: sed à plerisque existimatur diversus. De Manahen Gesta latent: solùm scimus ex Luca cap.13. Act. v.1., eum fuisse Herodis Tetrarchæ collactaneum: ex quo arguere licet, eum fuisse genere conspicuum, & multa ab Herode sperare potuisse super terram, nisi magnum esse in Cœlis cum Christo præelegisset. Ex 72. Discipulis fuisse creditur. De eo agunt Latini in Martyr. die 24. Maji, quem putant Antiochiæ obiisse.

XII. Paulus ergo & Barnabas eodem anno 44. Seleuciam, Salaminam, Paphum, & Pergen simul profecti sunt. Ibi (Act.13. v.13.) *Joannes* (Marcus) *discedens ab eis, reversus est Jerosolymam*. Illi autem ulteriùs progredientes v.14. Antiochiam Pisidiæ venerunt, ubi semel atque iterùm concionem habuit Paulus in Synagoga: sed contra utrumque excitatâ à Judæis persecutione, inde discedentes transierunt Iconium, ubi plurimos Christi Fide initiarunt. Concitato verò in eos à Judæis tumultu, Lystram & Derben Lycaoniæ Urbes confugerunt. Cùm S. Paulus quemdam Æneam à pueritia claudum sanasset, Populus Lystræ Apostolos esse Deos autumans, ipsis adolere parabat, Barnabam Jovem, & Paulum Mercurium nominans. Quo commoti Apostoli scissis vestibus domo exilientes, ac se esse homines, ut ipsos clamantes, vix Populum sedarunt, ne sibi im-

immolaret. Paulò post supervenientes ab Antiochia Pisidiæ & Iconio Judæi Paulum & Barnabam publicæ pacis eversores prædicare cœperunt. Quarè Paulus ab eis ex Urbe eductus ac lapidibus obrutus veluti exanimis relictus est. Ope tamen Discipulorum surgens, ac Civitatem ingressus posterâ die unà cum Barnaba profectus est Derben. Deinde invisentes Urbes, quibus Fidem Christi jam intulerant, Antiochiam Syriæ, unde discesserant, regressi sunt. Hæc narrantur cap.14. Act.

XIII. Anno Christi 51. S. Barnabas unà cum S. Paulo Antiochiâ missus fuit Jerosolymam Act.15. v.2. ad sedandam contentionem ibi ortam super observantiam Legalium. Ipse unà cum Paulo interfuit Concilio super hoc celebrato, agnitus comes ejus in Apostolatu Gentium (Galat.2. v.9.) & ambo remissi fuere Antiochiam (Act.15. v.25.) ut decretum Concilii manifestarent. Paulò post (Galat. 2. v.10.) cùm Petrus venisset Antiochiam, & ne offensioni esset Judæis, quemdam legalem ritum circa cibos exemplo suo visus fuisset comprobare, in eamque simulationem etiam Barnabas adductus fuisset (ibidem v.13.) Paulus liberè hoc improbavit tamquam veritati ac libertati Evangelii contrarium.

XIV. Post hæc cùm Paulus (Act.15. v.36.) vellet reverti ad visitandos Fratres, quibus jam prædicaverant: dixit ad Barnabam: *Revertentes visitemus Fratres per universas Civitates, in quibus prædicavimus Verbum Domini, quomodò se habeant. Barnabas autem volebat secum assumere & Joannem, qui cognominabatur Marcus; Paulus autem rogabat eum, ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus, non debere recipi. Facta est autem dissensio, ita ut discederent ad invicem; & Barnabas quidem assumto Marco, navigaret Cyprum; Paulus verò electo Silà profectus est* &c.. Dissensio tamen ista opinionum fuit non animorum, ut ostendi supra cap.2. de S. Paulo §.9. num.8.. Hæc sunt, quæ de S. Barnaba nobis Scriptura enarrat, & proindè ut certa asserere possumus.

§. II.

Alia quæ de S. Barnaba referuntur.

I. Quæ sequuntur dubiæ fidei sunt. Monachus quidam Cyprius de S.Barnaba encomiasticè potiùs quàm historicè scripsit. Quo seculo vixerit ignoratur. Oudinus Tom.2. de Script. Ecclesf. ad seculum 12. & annum 1120. illum rejicit, quam-

quamvis proteſtetur, ſe neſcire quâ ætate vixerit. Ejus Opus ex Leone Allatio in Diatriba de Simeonum ſcriptis titulum hunc præfert: *Encomium Alexandri Monachi in S. Barnabam Apoſtolum, & revelationem ſanctarum ejus Reliquiarum*. Baronius ad annum 485. num.4. &c. vult hunc Alexandrum circa finem ſeculi 5. vixiſse, nempè tempore ſchiſmatis Petri Fullonis ſub Zenone Imperatore. Quocumque tamen ſeculo vixerit, ſuſpectæ fidei eſt, cùm multa dicat, quæ cum Scriptura non cohærent. Dicit enim, Barnabam primum omnium prædicaſse Evangelium Romæ, etiam antequam Paulus & Petrus illuc irent: quod tamen Baronius ipſe ad annum 51. num.53., & omnes ut falſiſſimum reſpuunt: & S. Lucas, qui recenſet omnes Provincias, quas unà cum Paulo à tempore ſuæ Ordinationis Antiochiæ Barnabas peragravit, de hoc Barnabæ ſine Paulo itinere Romam nihil dicit, ſed ſemper eos indiviſos nobis repreſentat. Quomodò ergo dicere poteſt, quòd *Poſtquam ille* (Barnabas) *Antiochiam à Fratribus, qui erant Jeroſolymis, miſſus eſt, Antiochiâ recedens exteras Civitates peragravit, quouſque Romam venit, ubi primus Chriſtum annuntiavit*? Quod ſi velit, tunc Romam perrexiſse, quando à Paulo diſceſſit; non ergo primus Chriſtum ibi annuntiavit; cùm multò ante Petrus Eccleſiam Romæ conſtituerit. Deinde vult, Joannem Marcum eundem eſse, ac Marcum Evangeliſtam, nec niſi poſt mortem Barnabæ ſcripſiſse Evangelium. Satis hæc ſint, ut Lector dignoſcat, quantam in aliis, quæ ſolus ipſe narrat, mereatur fidem.

II. Aliqua tamen recenſebo. Dicit ergo S. Barnabæ parentes ſatis divites, eum adoleſcentulum è Cypro patria Jeroſolymam miſiſse, ut litteris vacaret ſub Gamalielis diſciplina, ubi condiſcipulum habuit S. Paulum, & hâc occaſione amicitiam contraxiſse. Dum ergo ſtudii causâ Jeroſolymis moraretur (dicit Auctor iſte) Barnabas cognovit Jeſum, maximè cùm ſanavit à 38. annis languentem, & ob alia miracula, quæ anno 31. patravit, ideòque ſe ei Diſcipulum dedit, ipſumque cognoſcendum exhibuit Mariæ matris Joannis Marci, quæ Jeſu obtulit ſuam domum, ut eâ in hoſpitium uteretur, dum Jeroſolymis moraretur. Dum Salvator in Galilæam tranſivit, eum Barnabas ſecutus eſt, cùmque 70. Diſcipulos elegit, Barnabas inter illos primus computatus fuit. Mortuis interea ejus parentibus omnia bona vendidit, ac pretium pauperibus diſtribuit, unico prædio prope Jeroſolymam ſibi reſervato, ut quotidianis indigentiis ſubveniret; quod tamen poſt Aſcenſionem ſtatim vendidit.

Proſequitur deinde præfatus Monachus compendio referens

rens omnia, quæ de Barnaba in Actis Apostolorum narrantur. Sed postquam dixit, Apostolos eum misisse Antiochiam, ut habetur Act. 11. v. 21., de suo addit eum ivisse Romam, ibique prædicasse, ut dixi; at inde præ humilitate ad fugiendam gloriam, quam acquisierat, abeuntem, Alexandriam Christi Fidem tulisse, ac inde Jerosolymam reversum, & demum Antiochiam, inde profectum fuisse Tarsum, ut quæreret Paulum. Addit, quòd postquam Barnabas à Paulo discessit, multos Salaminæ Populos convertit, sicut & in tota Cypri Insula, demum de morte multa dicit, quæ infra subjiciam.

III. Quæ Monachus iste præcipuè de adventu S. Barnabæ Romam scribit, ea excerpsisse puto ex lib. Recognitionum S. Clementi falsò tributis. Ibi enim dicitur, Barnabam Romam venisse, ibi prædicasse Evangelium, ac demum inde recessisse, & abducto secum Clemente antea Gentili, redeuntem in Palæstinam Cæsaream, ibi Petrum invenisse. Quòd hoc patenter repugnet Actibus Apost. demonstro ex Baronio ad ann. 51. n. 52. Certum enim est (Act. 9. & 10.) Petrum non ante Cæsaream concessisse, quàm cùm Ecclesias visitans, & Joppem perveniens, Cæsaream à Cornelio Centurione Divinâ visione admonito accersitur. Sed ubi eo tempore & postea Barnabas ageret, eadem Acta demonstrant. Eodem enim capite nono, quo Petri circuitus in visitandis Ecclesiis à Luca describitur, de Barnaba paulò superiùs dicitur, quòd advenientem Jerosolymam Paulum ad Apostolos introduxit, & postea ab Apostolis Antiochiam missus, indeque profectus Tarsum, ibi invento Paulo ei semper adhæsit usque ad annum 51. Quomodo ergo potuit hoc tempore Romam ire? Sed fortiùs. Quomodo potuit Barnabas ante adventum Petri Cæsaream Romam ivisse, illis Gentibus Evangelium prædicasse, & Clementem Romanum Gentilem hominem ad Fidem Christi traxisse: si ejusdem Lucæ testimonio nondum apertum fuerat Gentibus ostium ad Fidem, quod tunc solùm reseratum fuit, quando præviis visionibus in Baptismo Cornelii hoc à Petro auditum fuit cap. 11. v. 18. unde omnes dixerunt: *Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam?* Addo: quomodo Barnabas nondum initiatus & segregatus in Evangelium, ac proinde à Spiritu Sancto nondum missus, ausus fuisset Romam ire, ibique prædicare Christum? Tunc autem nondum fuisse à Spiritu Sancto missum, constat ex Act. 14. Vide Baronium etiam in Notis ad Martyrol. die 11. Junii.

IV. Ejusdem furfuris sunt, quæ supposita quædam Barnabæ Acta sub nomine Joannis Marci referunt. Multa enim continent

nent iis, quæ Lucas ſcribit in Act. Apoſt., apertè contraria. Deinde ille Pſeudo-Joannes ſe Gentilem aſſerit, & ſervum ejuſdem idolorum Pontificis, non Judæum. Quomodo autem Gentilis, non Judæus Joannes Marcus conſobrinus Barnabæ, filius Mariæ, cujus domus aperta ſemper fuit Apoſtolorum ac Fidelium conventibus? De ſe ipſo rursùm affirmat, ab Apoſtolo Paulo baptizatum eſſe Iconii. At quomodo nondum baptizatus, qui erat jam diſcipulus, cùm omnes credentes ſtatim baptizarentur? aut quomodo Joannes Marcus baptizatus Iconii à Paulo, qui ut habetur Act. 13. v. 13. antea ab eis diſcedens Jeroſolymam reverſus fuerat? Apage ergo fabulas & mendacia. Sed quod mirum eſt, fabulam de prædicatione Barnabæ Romæ adoptarunt Græci, dum in Menologio Baſilii die 11. Junii de ipſo dicunt: *Hic primus Hieroſolymis Romæ & Alexandriæ prædicavit Chriſti Evangelium.*

V. Barnabam poſt ſeparationem iterum Paulo ſe conjunxiſſe, indicat Theodoritus in 2. ad Cor. cap. 8. ad illa verba v. 18. *Miſimus etiam cum illo* (Tito) *fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*, ubi putat, hunc fratrem celebrem per omnes Eccleſias, quem Paulus anno 57. miſit cum Tito, fuiſſe Barnabam. Quod alios plures ſenſiſſe, dicit Chryſoſt. hom. 18. in 2. ad Cor. dicens: *Et quiſnam eſt hic frater? Nonnulli his verbis Lucam ſignificari putant, atque hoc dicunt propter eam hiſtoriam, quam litteris mandavit: Alii Barnabam: prædicationem quoque non ſcriptam Evangelium nuncupat.* Utramque opinionem refert etiam S. Thomas in dictum Caput lect. 3. Quamquam difficile videtur, S. Paulum tantam ſibi auctoritatem uſurpaſſe ſupra Barnabam ſibi in miniſterio æqualem, ut eum mitteret ſocium, & quidem ſecundum, Titi ſui diſcipuli, ut notat Æſtius in 2. ad Cor.

VI. Credibile eſt, Barnabam diſcedentem à Paulo navigaſſe quidem Cyprum, non tamen ibi ſemper manſiſſe. Volunt propterea aliqui, eum ad alias regiones Evangelium deportaſſe, præſertim in Liguriam; & Eccleſiam Mediolanenſem fundaſſe. Ita Baronius ad ann. 51. n. 54. dicens, hoc traditione, ac firmis illius Eccleſiæ monumentis comprobari, & Martyrol. Rom. die 25. Septembris id confirmat dicens *S. Anathalonis Epiſcopi, qui Beati Barnabæ Apoſtoli diſcipulus, in ejus locum Eccleſiæ Mediolanenſis Epiſcopus ſucceſſit.* Cui Baronius in Notis ad dictam diem addit, conſtare ex quadam antiqua inſcriptione apud Alciatum ſub Nomine S. Mirocletis Mediolanenſis Epiſcopi, qui floruit Conſtantini & Melchiadis Papæ temporibus,

in-

interfuitque Concilio Romano in causa Cæciliani anno 312., ut scribit Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmen. Præfata autem inscriptio lapide incisa juxta ejus imaginem de S. Anathalone hæc habet in titulo:

D. Anathaloni Attico secundo Episcopo.

Deinde his versibus concipitur

Petri hospes, sancteque Anathalon, Domne probate
Atque idem socius Barnabæ Apostolici.
Qui Mediolani verbi mysteria tradens,
Te jubet agnatos visere Cenomanos.
Dum tua membra metu rigidis subducta tyrannis
Brixia vicino detinet in loculo.
Hic titulum & pictos venerando pariete vultus
Miroclis reddit, præstitit alma fides.
Mirocles Episcopus.

VII. Difficultatem tamen aliquibus facit, quòd S. Ambrosius Orat. in Auxentium de Basilicis tradendis, ubi protestatur, se non traditurum hæreditatem Patrum, meminit quidem Dionysii, Eustorgii, Miroclis, non tamen Barnabæ, quem primo loco nominandi tunc occasionem habebat: *Absit*, inquit, *ut tradam hæreditatem Patrum, hoc est hæreditatem Dionysii, qui in exilio in causa Fidei defunctus est, hæreditatem Eustorgii confessoris, hæreditatem Miroclis, atque omnium retrò fidelium Episcoporum.* Dici tamen potest, ut ex ultimis verbis colligitur, noluisse Ambrosium singulos in Episcopatu antecessores memorare, sed tres illos, qui proxime antecesserant, & qui in eadem causa, qua tunc ipse, fuerunt. Aliæ difficultates super Episcopatu Mediolanensi S. Barnabæ ex antiquioribus Episcoporum Mediolanensium Catalogis, & aliis rationibus desumuntur: has tamen hìc examinare meum non est: solùm dico, quòd in libello de 12. Discipulis S. Hippolyto tributo sic legitur: *Barnabas Episcopus Mediolani*: sed hic Auctor tantæ auctoritatis non est, ut omne dubium tollat.

VIII. Circa tempus & genus mortis S. Barnabæ, videtur certum, eum fuisse adhuc inter vivos anno 56., quando Paulus primam Epistolam ad Cor. scripsit, ubi cap. 9. v. 6. ejus meminit. Imo S. Chrysost. hom. 11. in Epist. ad Coloss. supponit, eum adhuc vixisse anno 63., quo Paulus eam Epistolam scripsit: nam cap. 4. v. 10. dicit: *Salutat vos Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata*; ex quibus arguit, Barnabam post discessionem à Paulo non modico tempore Colossensibus prædicasse. Quòd si verè auctor fuerit Barnabas illius Epistolæ, quæ sub

ejus nomine circumfertur, dici poterit, cum ruinæ Urbis & Templi Jerosolymitani superstitem fuisse, & ultra annum 70. vixisse. Monachus tamen Alexander præcitatus mortuum eum facit, dum Paulus adhuc esset Ephesi, & antequam primò iret Romam, hoc est ante annum 58.; & antequam S. Marcus scriberet Evangelium: sed quo fundamento, nescitur.

IX. Quo genere mortis obierit S. Barnabas, controvertitur. Martyrio obiisse Martyrolog. Rom. die 11. Junii dicit, & quidem Cypri his verbis: *Postremò Cyprum profectus ibi Apostolatum suum glorioso martyrio decoravit*. Græci autem in Menolog. Basilii eâdem die Martyrii speciem exponentes ajunt: *Profectus verò in Cyprum, à Judæis & Græcis lapidatus igniqne traditus est: cujus corpus Marcus Apostolus & Evangelista sublatum in quadam spelunca deposuit. Deinde cùm Ephesum navigasset, & ad Paulum venisset, hunc de Barnabæ obitu certiorem fecit. Planxit autem Barnabam Marcus diutissimè*. His videntur confundere Joannem Marcum consobrinum & socium Barnabæ cum Marco Evangelista, & insuper mortem Barnabæ statuere ante mortem Pauli: quorum primum ut falsum ab omnibus reprobatur; secundum verò dubium est, ut dixi. Alii apud nullum probatum veterem Auctorem quidquam certi de Barnabæ Martyrio invenientes, hærent ambigui. Addit præfatus Monachus Alexander, ejus corpus in loco, quartâ parte leucæ seu quinque stadiis Salaminâ distante, diù incognitum ob persecutiones, quæ postea insurrexerunt, jacuisse; verùm tot miraculis, præcipuè sanitatum, locus ille coruscare cœpit, ut homines nescientes causam, *Locum Sanitatis* appellarint.

X. Tandem ut supra indicavi cap. 10. de S. Matthæo §. 22., S. Barnabas apparens Anthemo Salaminæ Episcopo locum, ubi requiesceret indicavit. Aperto sepulchro, ejus corpus inventum fuit, & supra pectus Matthæi Evangelium propriâ manu scriptum. Inde clausum & obsignatum fuit sepulchrum. Contigisse hoc fertur anno 488. Zenone Imperatore. Arthemus hoc privilegio proficuè utens jura Ecclesiæ Cypri tuitus est contra Petrum Fullonem, qui non obstante decreto Concilii Ephesini, suo Patriarchatui Antiocheno eam subjectam esse contendebat. Inventionem corporis S. Barnabæ confirmant Martyrol. Rom., & Menologium Basilii die 11. Junii, addens: *Unde & privilegium acceperunt Fideles, quòd hæc ipsorum Insula nemini aliorum Episcoporum subjicietur, sed à proprio Episcopo ordinetur*.

XI. Sub nomine Barnabæ ferebatur quædam Epistola, quam Ve-

Veterum quidam inter Sacras & Canonicas agnovisse visi sunt, ut Clemens Alexand., Origenes & alii, qui ex ea auctoritatem depromsere. Verùm cùm Ecclesia eam nunquam ut Canonicam receperit, & credibile non sit, quòd si eam ut legitimum Barnabæ fœtum agnovisset, non fuisset receptura, argumento est, existimasse Barnabæ suppositam, sed non legitimam. De hac egi tom. 1. Ver. Rel. Christ. Tract. de Libris &c. cap. 4. §. 3.; ibi dicta adeat Lector. Suppositum ei fuit etiam quoddam Evangelium spurium & obscenum, à spuriis & obscenis Hæreticis confictum, quod tamen Gelasius Papa reprobavit.

TRACTATUS.

De Christi & Apostolorum Discipulis.

QUIA non solos Apostolos Christus specialiter elegit, sed & alios septuaginta duos, de quibus Lucas cap. 10. v. 1. *Post hæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus*, quos etiam virtute ejiciendi Dæmones munivit: unde ibi v. 17. dicitur: *Reversi sunt autem Septuagintaduo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in Nomine tuo.* Alii etiam sunt, qui ab Apostolis Christi Fide imbuti, eis se comites & adjutores in Evangelio per varias orbis partes propagando dederunt: qui omnes & doctrinâ & sanctitate vitæ, ac plerique etiam sanguine, de Veritate Religionis Christianæ testimonium perhibuerunt. Propterea huic argumento de mirabili Christianæ Religionis propagatione non parum accrescet, si istorum etiam gesta, quantum ex Scriptura & Historia colligere licebit, addiderimus.

Quamvis, ut supra dixi ex Luca, Discipuli Domini Septuaginta duo fuerint, aliqui tamen solùm Septuaginta fuisse putarunt, dicentes quòd etsi Versio Latina Lucæ Septuaginta duos dicat; Textus tamen Græcus solùm LXX. refert: sicut & Eusebius lib. 1. hist. cap. 12., & S. Hieronymus ad Fabiolam de 42. Mansionibus Epist. 128. (modò tom. 2. inter Criticas 5.) ubi Septuaginta Discipulos septuaginta palmis Elim comparans, ait *Juxta has aquas* (nempe fontes doctrinæ 12. Apostolorum) *Septuaginta creverunt palmæ, quos & ipsos secundi Ordinis intelli-*

gimus Praeceptores, Lucâ Evangelistâ testante, duodecim fuisse Apostolos, & Septuaginta Discipulos minoris gradus, quos & binos ante se Dominus praemittebat. Caeterum Veteres tum Graeci tum Latini, Ammonius in Concordia, Epiphanius in Panario cap. ult., August. lib. 2. quaest. Evang. cap. 14., & alii ponunt Septuaginta duos. Nec ab his dissentire potest Hieronymus, nam ipse in Praefat. ad 4. Evangelia Damaso protestatur, se ea ex Codicibus Graecis emendasse; & tamen in cap. 10. Lucae septuaginta duos Discipulos ponit.

Dicendum ergo cum Baronio ad ann. 33. n. 39., non mirandum, si apud aliquos Septuaginta dicantur, qui septuaginta duo fuere: sicut enim communi modo loquendi Septuaginta Interpretes vocamus, qui tamen, ut omnibus compertum est, fuere septuaginta duo, & sicut apud Romanos Collegium Centumvirûm dicebatur; quod tamen centumquinque Judicibus constabat: ita communi & breviori modo loquendi dicuntur septuaginta Discipuli, qui verè septuaginta duo erant. Credibile est enim, Dominum in illorum designatione alludere voluisse ad illos Seniores, quibus jubente Deo à Moyse cura Populi commissa fuit, quos constat Septuaginta duos fuisse, quod apud Judaeos Concilium Seniorum dictum perseveravit: & hi fuere LXXII. Seniores ab Eleazaro Pontifice pro edenda Sacrae Scripturae Versione ad Ptolemaeum Regem missi.

De Nominibus verò illorum in summa obscuritate versamur. Ut enim ait Eusebius lib. 1. hist. cap. 12. *Apostolorum quidem Servatoris nostri nomina ex Evangeliorum libris notissima sunt omnibus. Quod verò ad Septuaginta Discipulos attinet, eorum series nullibi praescripta reperitur.* Propterea quinam & quo nomine vocarentur, majori ex parte ignoramus. Eusebius inter istos ibidem recenset Barnabam & Matthiam; sed istos postea factos fuisse Apostolos supra dixi. In horum Classe ponit etiam Jacobum fratrem Domini, seu Minorem; sed hunc ex duodecim Apostolis fuisse sub nomine Jacobi Alphaei, probabilius supra existimavi. Nominat inter Discipulos Sosthenem, Cepham illum, cui Paulus se Antiochiae restitisse dicit; sed hunc Cepham eundem fuisse ac Petrum Apostolum, superiùs dixi. Thaddaeum tandem. Nec plures Eusebius recenset; solum addens: *Quòd si quis observare velit attentiùs, plures quam Septuaginta reperiet Servatoris nostri Discipulos, vel ex unius Pauli testimonio, qui Christum, postquam à mortuis suscitatus est, primò omnium Cephae apparuisse dicit, deinde duodecim, & post haec plusquam quingentis fratribus simul.* Alios quoque refert lib. 3. c. 39.


sed

ſed ex Papia parvæ fidei auctore. Unus Pſeudo-Hippolytus in Libello de 72. Diſcipulis omnes diſtinctè exhibet, quorum nomina ſunt. Jacobus Domini frater, Cleophas, Matthias, Thaddæus, Ananias, Stephanus Protomartyr, Philippus, Prochorus, Nicanor, Timon, Parmenas, Nicolaus, Barnabas, Marcus, Lucas, Silas, Silvanus, Creſcens, Epænetus, Andronicus, Amplias, Urbanus, Stachys, Barnabas, Phygellus, Hermogenes, Demas, Apelles, Ariſtobulus, Narciſſus, Herodion, Agabus, Rufus, Aſynchitus, Phlegon, Hermes, Patrobulus, Hermas, Linus, Cajus, Philologus, Olympius, Rhodion, Lucius, Jaſon, Soſipater, Tertius, Eraſtus, Quartus, Apollo, Cephas, Soſthenes, Tychicus, Epaphroditus, Cæſar, Marcus, Juſtus, Artemas, Clemens, Oneſiphorus; Tychicus, Carpus, Evodus, Ariſtarchus, Joannes Marcus, Zenas, Philemon, Ariſtarchus, Pudens, Trophimus. Hos recenſet Pſeudo-Hippolytus, qui tamen ſolùm LXX. nominat. Ariſtionem & Joannem quemdam ab Evangeliſta diſtinctum addit Papias apud Euſebium lib.3. cap. 39. De his, quæ invenire potero ſubjiciam.

De Cleopha, quis fuerit, quidque egerit dixi in cap. 7. de S. Jacobo Minore §. 2. n. 9., unde ibi dicta recoli poſſunt. De Anania dixi cap.2., De S. Paulo §.3. n.3.

De Thaddæo etiam locutus ſum cap.6., de S.Thoma Apoſtolo §.3. Quibus nihil addendum ſupereſt.

De Stephano Protomartyre, aliiſque Diaconis, Philippo, Prochoro, Nicanore, Timone, Parmena & Nicolao nil addendum ſupereſt iis, quæ dixi Cap. 1. de S. Petro §. 4. de ſeptem Diaconis: de S. Stephano tamen aliqua inferiùs addam, deinde de aliis, qui Chriſto, vel Apoſtolis ſucceſſerunt quantum licuerit proſequar.



CA-

CAPUT I.

De SS. Stephano Protomartyre Nicodemo, Gamaliele &c. ac eorum Corporum inventione.

§. I.

S. Stephani Gesta, Martyrium, Sepultura.

I. INter septem Diaconos Stephanus emicuit, quia plenus Gratia & Spiritu Sancto; ideòque primus inter illos nominatur, non Ordine solum sed Gratiâ & Merito: unde S. August. Serm. 316. (alias 94. de diversis cap. 1.) ait: *Inter Diaconos illos nominatur primus, sicut inter Apostolos Petrus:* quod ex eo apparuit, quia, ut supra citato loco num. 3. dixi, vix ordinatus clarere cœpit signis & Prodigiis, Act. 6. v. 8. *Stephanus autem plenus Gratiâ & Fortitudine faciebat prodigia & signa magna in Populo.* Cujus ætatis esset, ignoratur: solùm in quibusdam visionibus sub specie juvenis apparuisse fertur. Ex Judæis Hellenistis idest Græcizantibus fuisse creditur. De numero 72. Discipulorum extitisse aliqui putant, alii solùm post Pentecostem, ac primum prædicationis Petri fructum fuisse volunt. S. August. Serm. 316. citato cap. 3. *Incertum est nobis,* inquit, *unde fuerit beatissimus Stephanus, utrum ex illis, qui priùs in Christum crediderant, sicut Nicodemus, qui ad eum venit nocte... Utrum verò in his fuerit, an fortè in illis, qui post ascensum Domini veniente Spiritu Sancto, quando impleti sunt Discipuli, & loquebantur Linguis omnium Gentium, compuncti Apostolis dixerunt* ,, Viri fratres, quid faciemus? indicare nobis ,, ... *Fortè inter illos fuit Stephanus.*

II. At ne fortè quis miretur, quomodò Stephanus, si ex Discipulis à Christo ad prædicandum designatus non fuit, sed ad ministrandum mensis ab Apostolis electus, statim velut Apostolus tanto fervore prædicare cœperit in nomine Jesu. Sciat enim oportet, electos fuisse ab Apostolis Diaconos, non ut pro communibus tantùm mensis eleemosynas Viduis ministrarent, sed præcipuè ut mensis sacris, in quibus Divinus Panis frangebatur, idest Corpus Christi ab Apostolis consecratum, inservirent, sacrum illum Panem Corpus Christi effectum fidelibus præ-

præsertim Viduis dividendo, juxta illud Pauli 1. Cor.10. v.16.: *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Enim verò quid ad cibaria mensis communibus inferenda opus fuisset Ministris tantâ sollicitudine delectis, tam sacris Ritibus initiatis? Quid prævià Oratione eligi, & manuum impositione illos consecrari necessum fuisset, si ministetio communium mensarum dumtaxat, & non sacro propositi fuissent? Hinc Sanctus Ignatius Martyr in Epist. ad Trallianos: *Oportet*, inquit, *& Diaconos Mysteriorum Christi Ministros per omnia placere: nec enim ciborum & potuum Ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei Administratores. Quid verò Diaconi, quàm imitatores Angelicarum virtutum, qui purum & inculpatum Ministerium illis* (Sacerdotibus) *exhibent?*

III. Hoc Ecclesiæ initiis fuisse Diaconorum Officium, apertè describit S. Justinus Martyr Apologiâ 2. pag.97., ubi ordinem, qui in sacris Mysteriis tunc servabatur, enarrans, postquam dixit, quòd ille qui præest acceptum panem Deo offert & Eucharistiam prolixè exequitur, subjungit: *Præsidens verò postquam Gratiarum Actionem perfecit & Populus universus apprecatione lætâ eam approbavit, qui apud nos vocantur* Diaconi *atque* Ministri, *distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt*. Et hoc post multa repetens ait: *Et distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti: absentibus autem per Diaconos mittitur*. En ministerium mensæ, ad quod præcipuè electi fuerunt Stephanus cæterique Diaconi. Et S. Augustinus Serm. 304. aliàs 37. de diversis de S. Laurentio dicit: *In ipsa Ecclesia, sicut soletis audire, Diaconi gerebat Officium: ibi sacrum Christi Sanguinem ministravit: ibi pro Christi nomine suum sanguinem fudit*.

IV. Stephani & aliorum Diaconorum electio eorumque ordinatio facta est ab Apostolis, Populo fideli de eorum Sanctitate testimonium perhibente, sic volentibus Apostolis Act.6. v.3.: *Considerate ergo, Fratres, viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu Sancto & sapientiâ, quos constituamus super hoc opus*. Ubi testimonium quidem requirunt Apostoli à Fratribus: *Ne quis indignus obreperet* (inquit S. Cyprianus Epist.68.) institutionem tamen sibi ipsis reservarunt illis verbis, *ut constituamus super hoc opus*. Hinc perperam Hæretici colligunt, sacrorum Ministrorum electionem ad Plebem pertinere, cùm solùm à Plebe testimonium de probitate vitæ exquiratur: *Quæ* (ut ait Cyprianus laudatâ Epist.) *singulorum vitam plenissimè novit, & unius-*

uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. Hanc Disciplinæ formam in Ordinandis servandam præcipit Tridentinum sess. 23. de Reform. cap. 5. his verbis: *Ad Minores Ordines promovendi bonum à Parocho & à Magistro Scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi verò qui ad singulos Majores erunt assumendi, per mensem ante Ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vitâ à fide dignis diligenter inquirat: & litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimùm transmittat*. Sed hæc ad abundantiam dicta hujus loci non sunt.

V. Eâ igitur, quâ plenus erat, Spiritus Sancti gratiâ Stephanus verbo, signis & prodigiis ad Christi Jesu Fidem Turbas trahere non cessabat: adeò ut Verbum Domini cresceret, ac multiplicaretur numerus Discipulorum, & multa etiam Turba Sacerdotum obediret Fidei. Conati quidem fuerunt aliqui cum eo disputare; sed cùm non possent resistere Sapientiæ & Spiritui, qui loquebatur, ad calumnias se converterunt: *Summiserunt Viros, qui dicerent, se audivisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen & in Deum*. His commoti Populus, Seniores, & Scribæ, *concurrentes rapuerunt eum, & adduxerunt in Concilium & statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba adversùs Locum sanctum & Legem. Audivimus enim eum dicentem: Quoniam Jesus Nazarenus hic destruet locum istum & mutabit Traditiones, quas tradidit nobis Moyses*. Sic Act. 6. v. 12. &c. Falsos testes adduxerunt, ut accusarent Jesum; falsos testes summittunt, ut ejus Servum accusent. Crimini verterunt Jesu quòd dixisset: *Possum destruere Templum Dei* Matth. 26. v. 61. De hoc eodem dicto criminantur Stephanum. Hæc considerans S. Augustinus Serm. 315. alias 93. de diversis cap. 1. ait: *Quantam cum Domino suo & Salvatore suo habuit similitudinem Passionis! falsi testes adversùs istum, quomodò adversùs illum, & de ipsa re. Nostis enim & recolitis, falsi testes contra Dominum Christum quid dixerunt*,, Nos audivimus eum dicere, solvo Templum hoc, & post triduum ædifico alterum novum,,. *Non autem hoc Dominus dixerat: sed vicina voluit esse falsitas veritati. Quomodò sunt falsi testes? Audierunt dixisse*,, Solvite Templum hoc, & post triduum resuscitabo illud,,. *Evangelista autem dicit*,, Hoc autem dicebat de Templo Corporis sui,,. *Falsi testes pro eo quod dictum est* Solvite, *dixerunt* Solvo. *Modicum in syllabis mutaverunt*:

runt: *sed tantò falsi testes pejores fuerunt, quantò propinquare veritati per calumniam voluerunt. Et huic quid objectum?* ,, Nos audivimus eum dixisse: quia Jesus Nazarenus destruet Templum hoc,& mutabit consuetudinem legis,,: *Falsum testimonium dicebant & vera prophetabant. Quomodò Caiphas ille Magister illorum, Princeps Sacerdotum, dans consilium Judæis, ut occideretur Christus hoc dixit* ,,Expedit unum mori, quàm ut tota Gens pereat,,. *Ait autem Evangelista* ,, Hoc non à semetipso dixit, sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit; quia oportebat Christum mori pro Gente ,,. *Quid hoc est Fratres? magna vis est veritatis: oderunt veritatem homines, & veritatem prophetant nescientes. Non agunt, sed agitur de illis.* His, & quidem pulchrè Stephanum assimilat Christo S. Augustinus.

VI. Hisce falsis testimoniis adducitur Stephanus ad Concilium, quò cùm pervenisset, *intuentes eum omnes qui sedebant in Concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli*, mansuetudine scilicet & gratiâ micantem. Interrogatus à Principe Sacerdotum dixit causam suam. Hic observat Augustinus citato Serm. cap.2.: *Dominus,quando ad passionem ductus est,interrogatus tacere maluit, iste non tacuit. Quare ille tacere maluit? Quia prædictum de illo erat*,,Sicut ovis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum,,. *Iste autem quare tacere noluit? Quia ab ipso Domino dictum erat*: ,,Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine,, &c. *Priùs* igitur *exposuit illis ab initio Legem Dei, ab Abraham usque ad Moysen, usque ad datam Legem, usque ad introitum in terram Promissionis, ut commendaret, quia non erat verum testimonium, unde illi calumniam commovebant. Deinde de Moyse dedit eis magnam similitudinem ad Christum. Reprobatus ab eis Moyses: & ipse eos liberavit: reprobatus liberavit. Non reddidit malum pro malo. Sic & Dominus Christus reprobatus à Judæis, ipse illos est postea liberaturus.*

VII. Videns tamen, se docendo obduratos nihil proficere, eos sic objurgare cœpit: *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti Patres vestri? & occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores & homicidæ fuistis.* Quis ita apertè objurgantem non crederet iratum? At non ita (inquit Augustinus laudatus cap.3.) *Sævire videtur: lingua ferox, cor lene. Clamabat & amabat. Sæviebat & salvos fieri volebat. Quis non crederet iratum, quis non crederet odiorum facibus inflammatum, quando dicebat,* ,,durâ cervice & non circumcisi corde & auribus,,? *Interea de Cœ-*

lo Dominus adspexit & vidit. Apertum est Cœlum: vidit Jesum tanquam exhortantem Athletam suum. Nec tacuit quod vidit „ Ecce video, *inquit*, Cœlum apertum & Filium Hominis stantem ad dexteram Majestatis „. *Illi hoc audito, quasi blasphemia esset, quod ille dixisset, aures obturaverunt, ad lapides cucurrerunt. In Psalmo erat dictum* „ Sicut aspidis surdæ & obturantis aures „. *Prorsùs exhibuerunt, quod de illis prædictum erat. Cœpit lapidari.*

Tunc apparuit, quo animo illos increparet; cùm enim lapidaretur: *Domine Jesu*, inquit, *suscipe Spiritum meum*. Hoc dixit stans, deinde fixis genibus ait: *Domine ne statuas illis hoc peccatum*. Ubi S. Augustinus Serm 317. cap.4. ait: *Pro se rogans stetit, pro illis genuflectit: pro se erectus, pro illis curvus, pro se celsus, pro illis humilis.... Et hoc dicto obdormivit. O somnus pacis! Qui inter lapides inimicorum dormivit, quomodò in suis cineribus vigilabit? Dormivit securus quietus in pace, quia Spiritum suum Domino commendavit*. Ita Stephanus primus inter omnes sanguinem suum obtulit Christo: primus, inquam, etiam inter Apostolos: unde Augustinus Serm. 316. cap.1.: *Cùm esset*, inquit, *ab Apostolis ordinatus, in brevi ad passionem præcessit Ordinatores suos: ab eis est ordinatus, sed prior est coronatus*.

VIII. Talis fuit gloriosus Stephani exitus, quem contigisse circa finem ejusdem anni, quo Christus ascendit in Cœlum, communior fert sententia, & die 26. Decembris, quâ modò ab Ecclesia ejus Festum celebratur. Estò enim dies Festi non sit generaliter argumentum diei mortis, diem tamen festum S. Stephani fuisse diem mortis, colligimus ex S. Augustino, qui Serm. 314. hæc habet: *Natalem Domini hesternâ die celebravimus: Servi hodie natalem celebramus: sed natalem Domini celebravimus, quo nasci dignatus est; natalem Servi celebramus, quo coronatus est*. Cùm ergo, ut communis fert Traditio, die 25. Decembris Dominus natus sit, fit ut postridie Stephanus servus coronatus sit. Quibus etiam Augustini verbis apparet, præsumi non posse, Festum hoc celebrari, quia eâ die inventæ & translatæ fuerint ejus Reliquiæ, quas septimo Kalendas Januarii translatas fuisse in Ecclesiam sanctam Sion, testatur Lucianus Presbyter ocularis testis, de quo infra. Nam Augustinus dicit, celebramus Natalem Stephani, *quo coronatus est*, non quo inventus, aut translatus est. Addo quòd Festum S. Stephani hâc die celebrabatur etiam antequam ejus Reliquiæ essent inventæ; nam fuerunt inventæ anno 415.; cùm tamen S. Asterii temporibus, qui annum 400. non excessit, & S. Gregorii Nysseni, qui ad 415. non pervenit, Festum S. Stephani post diem natalem Domini celebraretur.

IX.

IX. Quòd verò eodem desinente anno, quo Christus ascendit in Cœlum, Stephanus fuerit coronatus, ut probabilius judicatur. Tum quia Acta Apostolorum indicant parum temporis intercessisse ab ejus electione in Diaconum ad ejus necem: electionem autem Diaconorum factam fuisse paulò post Pentecostem ejusdem anni testis est Gregorius Nyssenus De Stephano. Tum quia Martyrium Stephani contigit ante Conversionem Sauli, quæ anno secundo à morte Christi secuta est.

X. Quid mortuo Stephano de ejus Corpore factum fuerit, narrat Lucianus Presbyter Epist. de Revelat. Corporis B. Stephani (quæ extat apud S. Augustinum in Append. Tom. 7. Edit. Maurinæ) à Gamaliele in visione se accepisse, ut sequitur: *Dominus meus Stephanus, qui lapidatus est à Judæis, & Principibus Sacerdotum in Jerusalem pro Christi Fide foris Portam, quæ est ad Aquilonem, quæ ducit ad Cedar, ubi die ac nocte jacuit projectus, ut sepulturæ non daretur secundùm mandatum impiorum Principum, ut à feris consumeretur Corpus ejus. Ex Dei autem voluntate non tetigit eum unum ex his, non fera, non avis, non canis. Ego Gamaliel compatiens Christi Ministro & festinans habere mercedem & partem cum sancto Viro in Fide, misi per noctem quantos noveram Religiosos, & in Christo Jesu credentes, habitantes in Jerusalem in medio Judæorum, & hortatus sum eos, & necessaria substantiæ ministravi, ac persuasi illis ire occultè, ut portarent Corpus ejus meo vehiculo in villam meam, hoc est in* Caphargamala *(quod interpretatur Villa Gamalielis) viginti millia à Civitate habens, & ibi feci illi planctum fieri diebus quadraginta, & præcepi eum in meo monumento poni in orientali theca, & præcepi eis quæcumque necessaria erant pro ejus planctu de meo dari*. Hæc Gamaliel. Ex quibus apparet, tantam fuisse Judæorum rabiem in Stephanum, ut tentarint etiam sævire in mortuum, ejus cadaver feris discerpendum ac devorandum relinquentes; sed disponente Deo, Gamalielis pietate honorificè, ut tunc poterat, traditum sepulturæ fuisse, & funus planctu de more Judæorum celebratum per dies 40., seu ut vult Beda 45., & ut alii 70. De hoc planctu loquitur Hieronymus Epist. 24. modò 22. ad Paulam: & Epist. 53. modò 37. ad Riparium adversùs Vigilantium, & modernos Hæreticos Martyrum Reliquias honorare detrectantes tamquam immundas: *Et quid*, inquit, *passi sunt Apostoli, ut immundum Stephani Corpus tantâ funeris ambitione præcederent, & facerent ei planctum magnum, ut eorum luctus in nostrum gaudium verteretur?* Quibus indicat, huic Stephani funeri interfuisse etiam Apostolos.

§. II.

De Inventione Corporis S. Stephani.

I. T*Riumphavit* (Stephanus,) *coronatus est. Latuit tanto tempore Corpus ejus, processit, quando Deus voluit, illuminavit terras, tanta miracula fecit, mortuus vivos facit mortuos, quia nec mortuus* (inquit S. Auguſtinus Serm.319. aliàs 51. de diverſis) Diuturnum annorum ſpatium ex hominum memoria locum ſepulturæ deleverat, qui ſub ruinis antiqui alterius ſepulchri jacebat. Latentem hunc theſaurum placuit Deo revelare cuidam Presbytero Luciano nomine, Eccleſiæ, in qua ſacra pignora condita erant, curam tunc gerenti. Huic ergo inſomni quâdam feriâ ſextâ 3. Decembris horâ tertiâ noctis anno 415. Gamaliel apparuit, eique locum oſtendit, ubi corpora tam ſuum, & Abibæ filii, quàm Stephani, & Nicodemi eſſent recondita; ipſum monens, ne obſcura ulteriùs jacere permitteret, ſed Joanni Epiſcopo Jeroſolymitano nota faceret, ut accedens monumenta eorum aperiret, Reliquias ad avertenda mala quæ imminebant exponeret: hoc enim ſui Epiſcopatus, quem anno ſequenti clauſit, tempori reſervabatur.

II. Rem hanc Lucianus ipſe Epiſt. citatâ ita narrat: *Die igitur Paraſceve, hoc eſt ſextâ ſextâ, quæ eſt tertio Nonas Decembris Conſulatu Honorii decies & Theodoſii ſexties Auguſtorum, adveniente nocte dormiens in cubili meo, in loco ſancto Baptiſterii, in quo conſuetudo erat mihi dormire, & cuſtodire Eccleſiaſtica, quæ erant in miniſterio; horâ tertiâ noctis, quæ eſt prima cuſtodia vigiliarum, quaſi in extaſi effectus ſemivigilans vidi Virum ſenem, longum Hieroprepen, hoc eſt dignum Sacerdotem, canum, barbam prolixam habentem, palliatum albâ Stolâ, cui inerant gemmulæ aureæ habentes intrinſecùs Sanctæ Crucis ſignum, & virgam auream in manu habentem. Et veniens ſtetit ad dexteram meam, & aureâ virgâ pulſavit me, ter vocans nomine meo, dicens: Luciane, Luciane, Luciane: & dixit mihi græco ſermone: Vade in Civitatem, quæ dicitur Helia, quæ eſt Jeruſalem, & dic Sancto Joanni, qui eſt in ea Epiſcopus: Quamdiù clauſi ſumus, & non aperis nobis? Et maximè quia in temporibus ſui Sacerdotii oportet nos revelari. Aperi nobis feſtinanter monumentum, ubi in negligentia poſitæ ſunt noſtræ Reliquiæ, ut per nos aperiat Deus, & Chriſtus ejus, & Spiritus Sanctus oſtium clementiæ ſuæ in hoc Mundo. Periclitatur enim ſeculum hoc ex multis caſibus* (i. lapſibus) *qui fiunt in eo quotidie.*

Et

Et non tantùm sollicitus sum pro me, quantùm pro his qui sunt positi mecum sancti, & multi honoris digni.

Et respondi ei, dicens: Quis enim es tu, Domine, & hi qui tecum sunt? Respondit mihi, Ego sum Gamaliel, qui Paulum Apostolum Christi nutrivi & Legem docui in Jerusalem. Et qui mecum est in Orientali parte monumenti jacens, ipse est Domnus meus Stephanus .... Ipse etiam Domnus Nicodemus in alia theca positus est, qui venit ad Salvatorem Jesum nocte, & evangelizatus est ab eo audiens ,, Nisi quis renatus fuerit ex Aqua & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Cœlorum,,: *Et exiens baptizatus est à Christi Discipulis. Et cognoscentes Judæi amoverunt eum à Principatu suo, & anathematizaverunt eum, & de Civitate exiliaverunt. Et hunc ego Gamaliel quasi persecutionem pro Christo passum sustuli eum in meum agrum & alui & vestivi usque ad finem vitæ ejus, & defunctum honorificè sepelivi juxta Domnum Stephanum. Similiter & Abibas filius meus dilectissimus, qui mecum Baptismum Christi accepit ab ejus Discipulis, viginti annorum existens ante me mortuus est & sepultus in tertia theca excelsiori, in qua & ego ipse postea defunctus applicitus sum. Mea verò uxor, Ethna habens nomen, & Selemias primogenitus meus, quia noluerunt esse Fidei Christi cultores, in alia villa matris suæ sepulti sunt, hoc est in Capharsemelia. Interrogavi autem ego humilis Lucianus Presbyter: Et ubi vos quæremus? Qui dixit mihi: In medio Proastio, quod potest intelligi proximo de villa agro, qui dicitur Delagabri, idest Virorum Dei*. Hæc fuit prima apparitio.

III. Lucianus ergo (ne singula referens Lectorem tædio afficiam) expergefactus ac in terra prostratus orare cœpit dicens: *Domine Jesu Christe, si est hæc visio ex te, & non est illusio, fac ut iterùm & tertiò appareat mihi, quando vis, & quomodò vis*. Inde totum se jejunio dedit, siccis tantùm herbis utens, & præter panem & salem in cibum, & aquam in potum, nihil aliud sumens: *Sicut* (inquit) *in diebus sanctæ Quadragesimæ facere solemus*, usque ad feriam sextam sequentem, nimirùm 10. Decembris. Quâ iterùm apparens Gamaliel eâdem horâ ac sub eâdem formâ: *Quare*, inquit, *neglexisti me, & dicere Sancto Episcopo Joanni?* Cui respondente Luciano, se hoc dissimulasse, quia ut certior fieret, visionem hanc esse à Deo, Dominum rogavit, ut visio sibi tertiò appareret, Gamaliel subjungens, ne de hoc hæsitaret, ostendit illi quatuor Calathos: tres quorum pleni erant rosis, duo albis, & tertius rubris ac sanguinei coloris, quartus verò argenteus & croco benè olente plenus. Dixitque: qui rubras habet rosas, ipse est Domnus Stephanus, qui à dexteris positus

situs est ad Orientem ab introitu monumenti. Secundus calathus Domnus Nicodemus est positus contra ostium. Argenteus Abibas est filius meus, ideò argenteus & odorem spirans, quia mundus & immaculatus excessit, qui conjunctus est quarto, idest meo calatho in excelso loco, quia ambo ibi positi sumus. His dictis Gamaliel denuò evanuit.

IV. Lucianus per alios septem dies continuavit preces & Jejunium. Quibus expletis, tertiâ feriâ sextâ sequente, nimirùm 17. Decembris Gamaliel ei tertiò apparuit, sed comminans & fremens, cur dissimulasset & usque tunc noluit pergere ad Joannem Episcopum, eique quæ sibi dicta & ostensa fuerant enarrare. Quibus terrefactus Lucianus seque excusans, ideò distulisse, quia præstolabatur tertium adventum suum; promisit, se crastinâ die aditurum, & omnia sibi mandata Joanni Episcopo dicturum. Interea aliâ exstasi Lucianus fuit correptus, à qua expergefactus sine mora ad Joannem perrexit ac omnia sibi in visu dicta & ostensa narravit. His auditis Episcopus benedicens Deum, ac intelligens, sibi datum esse, ut Beati Stephani Reliquias transferret, Luciano dixit: *Vade, fode in acervo, qui est in ipso agro, & si inveneris, nuntia mihi*. Cui Lucianus: *Deambulavi agrum, & vidi acervum minutorum lapidum in medio, ubi arbitratus sum eos esse*. Cui Episcopus: *Vade & fode: & si inveneris, sedens custodi locum, & manda mihi per Diaconum, ut veniam ad locum*. Tunc Lucianus accersitis Viris manum operi apponere cœpit.

V. Interea Gamaliel eâdem nocte & sub eadem forma apparuit cuidam Monacho nomine Migetio, eique injunxit, ut ad Lucianum iret, eique diceret, vanè se laborare in acervo illo: nam ibi quidem eorum Corpora primò posita fuerant, dum planctus fieret, sed modò esse in alia parte ad Boream in loco, qui Syriacè dicitur *Debatalia*, quod Græcè vertitur *Andragathon*, & Latinè *Virorum fortium*. Paruit Monachus, & omnia Luciano nuntiavit: Qui cùm subtùs acervum nihil invenisset, statim ad monumentum sibi à Monacho indicatum se convertens, ibique fodiens, invenit tres thecas sub typo trium calathorum sibi demonstratas, & lapidem in quo sculptum erat *Celeliel Nasoon*, *Apaan*, *Dardan* seu *Gamalias*, *Abibabel*. Quorum interpretatio est: *Celeliel* Stephanus, *Nasoon* Nicodemus, *Abibabel* filius Gamalielis. Statim ergo Lucianus hoc renuntiavit Episcopo, qui tunc erat in Lidda, quæ Diospolis est, Synodum agens, qui, assumtis secum duobus Episcopis Eleutherio de Sebaste, & Eleutherio de Jerico, venit ad locum.

VI. Illuc

VI. Illuc ergo cùm pervenissent, apertâ thecâ, ubi S. Stephani Corpus conditum (inquit Lucianus:) *Statim terræmotus factus est, & tanta suavitas & fragrantia odoris inde ingressa est, quantam nullus hominum se meminit vel audivisse vel sentisse: ita ut putaremus nos in amœnitate Paradisi esse positos. Multitudo namque Populi aderat nobiscum, inter quos erant plurimi infirmi variis languoribus. Et ipsâ horâ mox de odore suavitatis ejus septuaginta & tres animæ curatæ sunt. Ab aliis fugati Dæmones, aliorum fons restrictus est sanguinis, alii à strumis & furunculis liberati, alii à syringio sanati, alii à tertianis & quartanis; alios febris reliquit, alios morbus regius: alii à cephalogia curati & hemicrania, nonnulli à viscerum occulto dolore liberati. Et multas alias curationes senserunt homines, quas enumerare longum est.* Hactenùs Lucianus, qui prosequitur sic:

VII. *Et osculantes sacras Reliquias iterùm clauserunt. Et tunc cum Psalmis & hymnis portaverunt Reliquias Beatissimi Stephani in Sanctam Ecclesiam Sion, ubi & Archidiaconus fuerat ordinatus, derelinquentes nobis de membris Sancti parvos articulos, imò maximas reliquias, terram cum pulvere, ubi omnis ejus caro absumta est, cætera asportaverunt .... Translatæ sunt autem Reliquiæ ipsius Martyris septimo Kalendas Januarias. Et tunc in tempore jugis & infinita siccitas erat: sed eádem horâ pluvia magna descendit & abundanter inebriata est terra, & omnes glorificabant ibi Dominum propter Sanctum ejus Stephanum* &c.

VIII. Revelatio hæc tot conjuncta prodigiis de Corpore S. Stephani, facta à Deo quinto seculo, insigne monumentum est contra Acatholicos Recentiores pro sacrarum Reliquiarum veneratione. Eam celebrant proinde Patres Augustinus Serm. 318. & 319., ubi miracula in ejus detectione à Deo facta enarrat. Sozomenus L. 9. cap. 16. de ea tanquam de facto planè admirabili & Divino fusiùs se acturum promittit, quamvis impletum ejus promissum non legatur, fortè quia hâc in re scriptum periit. De hac Idacius & Marcellinus in Chronico. Multa de hac habemus in quodam Sermone de S. Stephano S. Basilio Seleuciæ tributo medio quinto seculo, quem P. Combefisius publicum reddidit. Idem Gennadius de Vir. Illust. cap. 46. & 47., Beda Retract. in Acta. Photius item in Biblioth. Cod. 171. hoc idem refert ex Chrysippo Jerosolymorum Presbytero (in Laude Sancti Theodori Martyris) qui obiisse creditur anno circiter 478. Hoc observandum est, quòd hæc Revelatio, sic volente Deo, à Luciano fuit suâ Epistolâ Græcè scriptâ omnibus Ecclesiis communicata, quam deinde Latinè reddidit Avitus Presbyter Hispa-

spanus tunc Jerosolymis commorans, eamque unâ cum S. Stephani Reliquiis per Orosium transmisit ad Palchonium Bracarensem in Lusitania Episcopum.

IX. Quod in hac re controverti potest hoc est, cur cùm inventio Corporis S. Stephani, ejusque revelatio, ex dictis mense Decembri secuta sit, Ecclesia Latina talis Inventionis Festum celebret die 3. Augusti, sicut Græca die 2. Augusti vel 17. Septembris?

De hac quæstione referam, quæ habet Baronius in Notis Martyr. ab diem 3. Augusti, ubi fatetur, se super hoc dubio consuluisse D. Antonium Gersonium Tarraconensem Virum Ecclesiasticarum Antiquitatum apprimè eruditum, ejusque hanc fuisse sententiam: nimirùm quòd longè ante Inventionem Corporis B. Stephani hæc dies in honorem ejus celebraretur: postmodùm autem ob ejus Corporis Inventionem facta fuerit solemnior. Hoc testatur vetus Martyrologium S. Cyriaci, in quo nullâ factâ mentione de Inventione hæc habentur: *Sancti Stephani Protomartyris in Ancona, ubi haberi dicitur unus de lapidibus, quibus percussus est*. Idem apud Bedam dicitur, quamvis mendosè Antiochia pro Ancona legatur, his verbis: *In Antiochia S. Stephani Protomartyris, ubi haberi dicitur unus de lapidibus; quibus in brachio percussus est, & multas ex eo virtutes sanitatum fieri*. Confirmat hoc S. Augustinus Serm. 323. aliàs 32. de diversis, ubi loquens de quodam juvene, qui cùm ad memoriam Stephani Anconæ sanari non potuisset, sanitatem tamen ad intercessionem ejusdem Martyris fuerat consecutus, narrat, quâ occasione memoria Stephani apud Anconam etiam ante Corporis ejus Inventionem esset extructa, per hæc verba: *Sciunt enim multi, quanta miracula per Beatissimum Martyrem in ista Civitate fiant. Et audite quod miremini. Memoria ejus antiqua ibi erat, & ipsa est ibi. Sed fortasse dicis: Corpus ejus nondum apparuerat, memoria ibi unde erat? Latet quidem causa: sed quid ad nos fama pertulerit, non tacebo caritati vestræ. Quando lapidabatur Sanctus Stephanus, aliqui etiam innocentes, & maximè de iis, qui jam in Christum crediderant, circumstabant: dicitur lapis venisse in cubitum, & excussus inde venisse ante quemdam Religiosum. Tulit illum & servavit. Homo erat de navigantibus, sors navigationis adtulit illum ad littus Anconæ, & revelatum est illi; ibi debere reponi lapidem illum. Ille obedivit revelationi & fecit quod jussum est: ex illo cœpit esse ibi memoria Sancti Stephani; & rumor erat, quia brachium Sancti Stephani ibi est, nescientibus hominibus, quid contigisset* &c.. Hujus Ecclesiæ S. Stephani Anconæ meminit etiam

etiam S. Gregorius L. 1. Dial. cap. 5. ex his simul junctis apparet, longè ante Inventionem Protomartyris celebrari consuevisse die 3. Augusti, saltem in Regionibus Italiæ, memoriam, occasione illius lapidis, qui Anconæ servabatur, & per quem Deus operabatur prodigia: postmodùm autem venerando Corpore invento auctam fuisse eâdem die celebritatem. Unde apud Bedam, & aliqua Manuscripta, eâ die non tantùm memoratur Inventio, sed etiam vivus ille lapis, de quo velut mel de petra fluebant gratiæ sanitatum. Fortè autem huic diei potiùs Inventionem S. Stephani, quàm 26. Decembris, quâ contigit, affixerunt, ne eam confunderent cum Festo Martyrii ejus, quod, ut dixi, semper eâ die celebratum fuit.

X. Superesset hìc agere de Nicodemo & Gamaliele, quorum in prælaudata Revelatione fit mentio. Sed cùm de Nicodemo egerim de Vita Christi cap. 33. de Sepultura ejus §. 2. n. 13., nec aliud de eo dicendum supersit, idcirco ad ibi dicta Studiosum remitto.

XI. De Gamaliele etiam locutus sum cap. 1. de S. Petro §. 3. num. 10. Aliqua etiam in prænarrata Revelatione de eo dicuntur, sicut de Abiba ejus filio minori, qui Fide Christi unà cum Patre susceptâ adhuc juvenis in ætate 20. annorum Patri præmortuus est, & in eodem sepulcro, in quo postea Pater, conditus est: undè superiùs dicta sunt recolenda. Circa tempus, quo Gamaliel & filius Fidem Christi susceperint, S. Chrysostomus hom. 14. in Acta putat, Gamalielem cùm Act. 5. sermonem illum habuit coram Concilio, fuisse jam fidelem, estò non publicè: neque enim vir incredulus & infidelis pro Religione Christi fuisset ita locutus. Si attendimus supra narratam Revelationem, dicendum est, eo tempore, quo lapidatus fuit Stephanus, eum jam Christo nomen dedisse: ipse enim Fideles advocavit, ut Martyris Corpus feris vorandum relictum honorificè & quidem in suo monumento sepelirent: Ipse ministravit expensas pro funere & pro luctu: ipse Nicodemum a furore Judæorum eripuit, in suam villam recepit, usque ad mortem aluit, mortuum in suo sepulcro reposuit. Quis autem nisi fidelis Christi Discipulus erga Jesu Servos hæc fecisset? Certè ante Conversionem Sauli creditur baptizatus, & quidem per manus Petri & Joannis aliqui autumant. Quare in Epistola Luciani (ut ex Floriacensi Manuscripto à PP. Maurinis relata) Gamaliel, ubi dixit, quòd Nicodemus baptizatus est *à Sanctis Apostolis Petro & Joanne*, de se & filio suo postea loquens: *Abibas*, inquit, *filius meus, qui mecum pariter credidit Christi præceptis, & mecum pariter Baptismum consecutus est à Sanctis Apostolis*.

Nec obstat, quòd de Abiba subjungit: *Semper in Templo Dei vacans cum Paulo Discipulo meo*: Nam hoc vel refertur ad tempus Sauli Conversionem præcedens, cùm post eam Saulus vix fuerit in Jerusalem, ac proinde non potuerit frequenter adire Templum. Vel hoc non probat, Abibam tunc non fuisse ad Christum conversum: æquè enim adire poterat Templum post Conversionem (sicut illud adivit Paulus præcipuè Act.21.) ac ante illam.

XII. Innumera fuere miracula, quæ Deus ad intercessionem Protomartyris Stephani, & præsentiam Reliquiarum ejus operatus fuit, ut & credentes confirmaret in Fide, & non credentes ad Fidem adduceret. Plura recenset S. Augustinus L.22. de Civit. Dei cap.8. & alibi. In Insula Minoricensi in præsentia illarum omnes Judæos fuisse ad Fidem conversos, scribit Severus illius Insulæ circa annum 418. Episcopus in Epist. datâ ad omnem Ecclesiam. Et de miraculis S.Stephani Libros duos edidit Evodius; quæ præcipuè in Ecclesia Uzali in Africa edita fuere. Hæc habentur in Appendice Tom. 7. Operum S. Augustini Maurinæ Editionis. Legant hæc Protestantes, & contra Sanctorum intercessionem, ac Reliquiarum venerationem oblatrare desinant.

CAPUT II.

De S. Marco Evangelista & Joanne Marco.

§. I.

S. Marcus Evangelista.

I. S. Marcum fuisse Patriâ Cyrenensem Provinciæ Lybiæ, quædam Acta de ipso scripta ferunt. Communiter tamen creditur, fuisse genere Judæum, non Hellenistam: ut enim observant Eruditi, locutio ejus plus Hebraismum sapit, quàm Græcismum. Nec huic obstat, quòd nomen Marcus Græcum sit, non Hebræum. Nam Judæi quoties in partes Asiæ interiores, aut in Europam venirent, solebant sibi alterum nomen adsciscere Græcum aut Romanum, ultra Judaicum, quo apud exteræ Gentis homines noscerentur. Ita Barsabas dictus fuit *Justus*: Simon, *Niger*: Joannes, *Marcus* cognominatus fuit. Fieri ergo potuit, ut Marcus Evangelista Hæbræum nomen habuerit, ab isto Latino non abludens, sicut Jesus Oniæ frater Jasonem se vocari voluit. Hinc Beda in Marcum, & Auctor Comment. in Marcum Hieronymo adscripti ad-

addunt, Marcum nostrum fuisse Levitici generis & munere Sacerdotali insignitum, imò & sancti Petri fuisse ex sorore nepotem autumant aliqui, inter quos Nicephorus L.2. cap.43., quo tamen fundamento, non invenio.

II. Fuisse quoque unum ex 72. duobus Christi Discipulis, senserunt aliqui Veterum, inter quos Epiphanius hæres. 51. cap.5., & Pseudo-Hippolytus, & hunc ex illis fuisse, qui à Christo recesserunt, cùm illa verba audissent Joann.6. v.55.: *Nisi manducaveritis meam Carnem & biberitis meam Sanguinem non habebitis vitam in vobis*: sed postea S. Petri labore ad bonam frugem reversum fidelem ejus Discipulum, & in itineribus comitem evasisse. Verùm Papias apud Eusebium L.3. hist. cap.39. dicit, Marcum Christum numquam audivisse, aut sectatum fuisse, quod sentit etiam S. Augustinus L.17. contra Faustum cap.3. & L.1. de Conf. Evang. cap.1., ubi ait, quòd, ut ostenderetur nihil interesse, utrùm illi, qui annuntiant Evangelium, fuerint ex illis, qui *eundem Dominum hìc in carne apparentem Discipulatu famulante secuti sunt, an ii, qui ex illis fideliter comperta crediderunt, Divinâ Providentiâ procuratum est per Spiritum Sanctum, ut quibusdam etiam ex illis, qui primos Apostolos sequebantur, non solùm annuntiandi, sed etiam scribendi Evangelium tribueretur auctoritas: hi sunt Marcus & Lucas*: & Tertullianus L.4. contra Marcionem cap.2. Marcum & Lucam viros Apostolicos, idest Apostolorum magisterio edoctos, appellat, dicens: *Ex Apostolicis Lucas & Marcus instaurant*. Quare Beda in Marc. qui putat, Marcum unum ex Sacerdotibus fuisse, existimat, eum prædicatione Apostolorum, & maximè Petri post Ascensionem Fidem Christi suscepisse & fuisse unum de numero Sacerdotum, de quibus Act.6. v.7. dicitur: *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat Fidei*.

III. Porrò Petri operâ Marcum fuisse conversum ex hoc colligitur, quia Petrus Epist.1. cap.5. v.13. vocat Marcum filium suum: *Salutat vos.... Marcus filius meus*. Tales autem hoc nomine appellare familiare erat Apostolis, quos Christo per Evangelium genuerant. Ita 1. Cor.4. v.15. Galat.4. v. 19. ad Philemonem v.10. Ideòque Petri comes factus eum in itineribus præcipuè Romam secutus, ibi Evangelium, prout à Petro audierat prædicatum, conscripsit, ut Eusebius refert Lib.2. hist. cap.15., & ex Clemente Alexandr. L. 6. cap.14. habetur. Sed ea quæ spectant Marci Evangelium abundè tractavi Tom.1. Ver.Relig. Christr. Tract. de Libris cap.1. §.3., unde ibi dicta videri possunt, præcipuè de loco tempore & idiomate, quo illud scripsit.

IV. Marcus ergo Romam cum Petro anno Christi 44. & Claudii secundo, ut probabilius creditur, pervenit. Inde, ut volunt quidam Recentiores apud Bollandum 25. Aprilis, jussu Petri Aquilejam venit, ubi ultra biennium subsistens Ecclesiam condidit. Critici tamen recentiores Traditionem hanc suspectam habent, quia nullum ex antiquitate fundamentum profert. Quod enim dicunt, Aquilejæ Evangelium Marci, ejusque Cathedram eburneam adhuc asservari, si characteres, quibus scriptum est, & ipsius Cathedræ forma inspiciantur, non tantæ antiquitatis esse deprehendentur, ut ad primum seculum, sed potiùs ad posteriora secula referantur. Quod etiam asserunt de S. Hermagora, quem cùm instituisset, ut esset Aquilejæ Episcopus, noluit suis manibus ordinare, sed ad Petrum duxit, ut ipse ei manum imponeret, in dubium vertitur: non enim exploratum est, S.Hermagoram temporibus Apostolorum vixisse, & Aquilejæ Episcopum fuisse. Et licèt Ughellius Tom.5. missionem Sancti Marci Aquilejam supponat: hoc tamen non aliâ auctoritate dicit, quàm Dandali Venetorum Ducis, qui anno 1350. vixit. Ita inter alios Tilmontius de S.Marco Notâ 6. Quidquid tamen sit, præter multos Historicos, qui missionem S. Marci Aquilejam supponunt, in Martyrol. Rom. die 12. Julii hæc habentur: *Aquilejæ Natalis S. Hermagoræ Discipuli beati Marci Evangelistæ, & primi ejusdem Civitatis Episcopi, qui inter miracula sanitatum & prædicationis instantiam, ac Populorum conversionem plurima pœnarum genera expertus, tandem unà cùm Fortunato Diacono suo capitali supplicio perpetuum meruit triumphum.*

V. Lato per Claudium anno Imperii sui nono, Christi verò secundùm aliquos 49., ut tamen supra dixi 51., generali edicto, quo omnes Judæi Româ pellerentur, Petrus & Marcus solum mutare coacti fuerunt. Petrus quidem versùs Orientem iter direxit, Marcus verò in Ægyptum, jubente Petro, iter direxisse fertur, ac primò Cyrenem in Pentapoli veniens, inde Alexandriam divertit. Primus fuit Marcus, qui in Ægyptum & Alexandriam Fidem Christi asportavit, teste S.Hieron. L. de Script. Eccles. cap.8., ibique *constituit Ecclesiam tantâ doctrinâ & vitæ continentiâ, ut omnes Sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo disertissimus Judæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc judaizantem, quasi in laudem Gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit*. Ita Hieron.

VI. Isti, de quibus scribit Philo, vocabantur *Therapeutæ*, idest Dei servitiis addicti. An verò Judæi adhuc essent, an è Judaismo ad Christum conversi, & jam facti Christiani, discepta-

ptatur. Christianos eos fuisse censet Eusebius lib. 2. hist. cap. 16. dicens: *Cæterùm hunc Marcum in Ægyptum profectum, Evangelium, quod ipse conscripserat, primum illic prædicasse perhibent, & in ipsa urbe Alexandria Ecclesias constituisse. Tanta porrò multitudo virorum simul ac mulierum, qui Fidem Christi illic amplexi fuerant, ab ipso statim initio tam severam tamque Philosophicam institutionem professa est, ut studia illorum, & cœtus atque convivia, totamque vivendi rationem scriptis suis commemorare operæ pretium duxerit Philo.* Et toto cap. 17. probare conatur, hos, quos *Therapeutas* vocat Philo, fuisse Christianos, qui primam sub Apostolis vivendi formam severè custodiebant. Eusebio accedit Sozomenus lib. 1. hist. cap. 12., ubi descriptâ eorum vivendi ratione, ait: *Et Philo quidem cùm ista ad hunc modum narrat, indicare videtur Christianos sui temporis, qui ex Hebræis conversi, adhuc judaico more vivebant, eorumque ritus adhuc custodiebant. Apud alios enim hoc vitæ genus reperire non licet.* Credibile enim est primam illam Ecclesiam in multis judaizasse, nondum edito ab Apostolis decreto de Cæremoniis Legis abrogandis.

VII. Alii tamen, inter quos Valesius in Notis ad lib. 2. cap. 17. Eusebii, negant, Therapeutas fuisse Christianos, sed quamdam Judæorum Sectam: ait enim Philo, habuisse Therapeutas Scripta veterum quorumdam suæ Sectæ Auctorum, qui Legem allegoricè exposuissent. Quomodo hæc de Christianis, qui tunc vix nati erant, accipi possunt? Nec dicas Scripta illa fuisse scripta Prophetarum; nam hos disertè ab illis separat Philo. Multò minùs Scripta veterum suæ Sectæ Auctorum poterant esse Evangelia; nam hæc vix dum scripta erant Philonis tempore, nec Apostoli aut Evangelistæ pro vetustis Auctoribus haberi poterant, præsertim à Philone, qui Apostolis coævus fuit, & cum Petro familiariter conversatus est, ut ibi dicit Eusebius. Rursùs Therapeutas bis tantùm in die, Oriente scilicet & Occidente sole, preces fudisse scribit Philo. Primi autem Christiani tertiâ, sextâ, nonâ horis preces habebant, ut Acta Apostolorum testantur, imo & singulis tum diei tum noctis horis orabant. Therapeutas etiam dicit fuisse per totum ferè orbem diffusos, sed maximè in Ægypto: quomodo autem tunc de Christianis hoc dici poterat, qui paucissimi erant? Hæc & alia Valesius.

Veteres tamen, ut Epiphanius hæres. 29. cap. 5., Cassianus Institut. lib. 2. c. 5., Therapeutas Christianos fuisse à Judaismo S. Marci prædicatione in Ægypto conversos dicunt. Ita sentit etiam

etiam Photius Biblioth. Cod. 104., ubi dicit Therapeutarum Monasteria, & vivendi normam iis, qui solitariam vitam degunt, normam præscripsisse; & Cod. 105. „ Dicit famam esse, „ Philonem aditâ Româ sub Claudio in B. Petrum Apostolo- „ rum Principem incidisse, eoque usum familiariter. Hinc „ etiam factum esse, ut & Discipulorum B. Marci Evangelistæ „ S. Petri auditoris mentionem laudationemque posuerit. „ Hos enim, ajunt, apud Judæos philosophicam duxisse vitam, „ ille commemorat: horum domicilia Monasteria appellat, „ eosdemque meditationi deditam vitam, jejunio, atque pre- „ cationi degere, nihil interim opum possidendo, prædicat. „ Qui Therapeutas Christianos fuisse negant fortè eos cum Essenis confundunt, qui quidem Religione & Sectâ Judæi erant, & in hoc à Therapeutis distinguebantur, quòd vitæ activæ, hi verò vitæ contemplativæ unicè studebant, eo modo, quo Monachi postea præcipuè in Ægypto. Sed de hoc satis.

VIII. Interea S. Marcus in regionibus circa Alexandriam sitis manens hanc Urbem nondum fuerat ingressus, expectans particularem Dei missionem, ad hoc opus valdè arduum aggrediendum. Cùm ergo circa Cyrenem moraretur, mandavit ei in visione Spiritus Sanctus, ut in eam civitatem omnium post Romam Imperii Romani celeberrimam semen Evangelii primus effunderet. Paruit sine mora Evangelista: & vale dicto Discipulis, qui eum usque ad mare comitati sunt, sumto pane, navem ascendit, & precatus pro eorum in fide constantia, atque ad eos se reversurum pollicitus, biduo Alexandriam pervenit anno Christi 60. Urbem ingressus, cum calceamenta casu discissa vidisset, ea cuidam Sutori Aniano (seu Ananiæ) nomine tradidit resarcienda. Hic læsâ sibi manu subulâ, subito dolore abreptus, quamvis Ethnicus exclamavit: *Ob Deus meus?* quantacumque enim sit idololatriæ corruptio, numquam tamen impedire potuit, quin in casibus repentinis anima naturaliter unum solum esse Deum agnoscat & fateatur, ut observat Tertullianus in Apolog. cap. 17., & de Testim. Animæ cap. 2. Eam nactus occasionem S. Marcus cœpit Aniano exponere, quis esset ille Deus, quem naturaliter invocaverat, at subinde Evangelium annuntiare: simulque terrâ salivæ admixtâ sanavit vulnus. Porrò tum externâ vultus maceratione, tum miraculo subitæ sanationis verè hominem Dei esse Marcum Anianus conspicatus, eum in domum suam recepit, ubi Christum edoctus, ipse cum tota familia sua aliisque multis baptizatus est. Hæc ex Bollando die 25. Aprilis. Faustum hoc initium felix progressus con-

consecutus est: brevi enim tanta credentium multitudo Alexandriæ fuit, ut inde Philo occasionem sumserit Librum scribendi de Vita contemplativa, in quo sub nomine Theraupetarum Marci discipulos, eorumque vitæ austeritatem indicasse superiùs probabiliter ostendi cum Eusebio lib. 2. cap. 16. & 17. & aliis. Inter illos adeò emicuit Anianus, ut ipsum in Episcopatu Alexandrino successorem destinarit.

IX. Acta S. Marci ferunt, eum cum Aniano solos tres presbyteros ordinasse, septem Diaconos, ac undecim alios viros, qui ministerio inservirent. Tres illi Presbyteri fuere Melio Sabinus & Cerdon, quorum primus & ultimus in Episcopatu Alexandrino S. Marco & Aniano successisse creduntur. Hâc occasione Eutychius Alexandrinus addit S. Marcum duodecim Presbyteros ordinasse, qui Patriarchæ assisterent, & eo defuncto unum ex ipsis in successorem eligerent, eique manum imponerent, & eum Ritum in Ecclesia Alexandrina perseverasse etiam anno 325. in ordinatione Alexandri, qui Concilio Nicæno I. interfuit. Hæc si vera essent, probarent, non fuisse generaliter Ritum, ut Episcopus à solis Episcopis ordinaretur, & nimiùm faveret Hæreticis, qui in omnibus Ecclesiæ regulas aspernentes volunt, Episcopum à simplicibus Presbyteris ordinari posse. Cujus oppositum ostendi in Theolog. tom. 15. Tract. de Ordine q. 5. de Episcopatu dub. 4. Nec Ritus oppositus erat in Ecclesia Alexandrina. Nam aliàs S. Athanasius, qui in Episcopum Alexandrinum ab Episcopis ordinatus fuit, primus hunc Ritum invertisset: ex quo ejus hostes, qui omne vel minimum scrutabantur, ut eum accusarent, occasionem sumsissent ipsi opponendi, quòd contra regulam à S. Marco pro ea Ecclesia institutam, ordinatus fuisset: quod tamen ei non objecerunt.

X. Stat ergo fixa S. Epiphanii hæref. 75. cap. 4. regula, quam utpote articulum Catholicæ Fidei contra Arianos statuit, nempè, quòd Presbyteri possunt quidem dare Ecclesiæ Filios, sed non Patres: nec oppositum S. Marcus instituisse censendus est. Aliud enim nominare seu eligere in Episcopum, aliud est illum ordinare, eique manus imponere. Ad electionem & præsentationem Episcopi olim non Presbyteri tantùm, sed totus Clerus, imo & Populus suffragium ferebat. Credibile autem est, quòd S. Marcus ad præcavenda dissidia, quæ ex multitudine suffragantium oriri solent, electionem Episcopi illius Sedis ad solos illos duodecim Presbyteros restrinxerit, Ordinationem tamen electi in Episcopum secundùm Regulam Apostolicam solis Episcopis reservarit. Sic Act. 6. in electione Diaconorum par-

partem habuit multitudo Discipulorum, qui statuerunt electos ante conspectum Apostolorum; soli tamen Apostoli imposuerunt eis manus.

XI. Stabilitâ Alexandriæ Ecclesiâ ad declinandam quorumdam invidiam iterum Pentapolim adiit S. Marcus, ibique biennio mansit, Fideles confirmans, & Episcopos aliosque Ministros statuens, quod anno 65. ineunte creditur contigisse. Inde Alexandriam reversus admiratione & gaudio abreptus fuit videns Fideles in fide gratia & numero supra modum auctos. Eis sua præsentiâ precibus ac verbo ad perseverandum animum auxit, deinde discessit. Si Chronico Alexandrino credimus, Romam petiit, ibique Martyrio Apostolorum Petri & Pauli interfuit. Româ relictâ Alexandriam remeavit, ubi prodigiorum copiâ & contemtu, quo Christiani eorum idola pessumdabant, furore infideles accensi in ejus vitam insidias struere cœperunt: Dei tamen ope aliquamdiù delituit. Tandem quâdam die, quæ Dominica erat, quâ Ethnici suo Idolo Serapi festum celebrabant, quidam ex ipsis invenientes Marcum ad Altare sacrificium offerentem, eum comprehenderunt, & fune ad collum alligatâ à mane usque ad vesperam per civitatem trahentes, clamabant se bubalum ad loca bubali trahere (loca enim erant ad mare scopulis præruptis aspera, in quibus fortè bubali seu boves servabantur) Marco interim loca per quæ transibat sanguine aspergente, ac Deo gratias agente, quòd dignus habitus esset talia pro nomine suo pati.

Cùm vespere ad bubali locum eum traxissent, in carcerem conjecerunt. Quâ nocte duplici visione recreatus fuit teste Bedâ in Martyrol. Unâ Angeli, qui tremore terram concutiens, eum certiorem reddidit, nomen ejus in libro vitæ esse descriptum. Alterâ Jesu Christi, qui pacem Sancto Viro nuntiavit. Mane alterius diei è carcere extractum iterum per civitatem Infideles rapuerunt, donec efflaret animam. Et sic glorioso Martyrio vitam coronavit die 25. Aprilis, quâ Ecclesia Græca & Latina, Æthiopes ac Syri ejus festum celebrant, & anno, ut aliqui volunt 68., veriùs tamen mihi 70. Fertur, Barbaros illos vitam ei eripuisse non contentos, igne corpus ejus eodem in loco concremare tentasse, sed subito irruente vento ab incœpto desistere fuisse coactos, & Evangelistæ corpus ibi relinquere. Unde Fideles accurrentes Reliquias ad locum bubali, quo consueverat ad precandum se recipere, detulerunt, ibique sepelierunt ex parte Orientis juxta vallem, in qua alia sepulcra extabant.

XII.

XII. S. Marco in regimine Ecclesiæ Alexandrinæ successit Anianus, de quo supra. Eam juxta opinionem magis probabilem decem & octo annis & septem mensibus gubernavit, idest usque ad annum 86. seu 88. Ejus festum in Martyr. Rom. notatur die 25. Aprilis unà cum S. Marco. Eusebius lib. 2. hist. c. 24. vult, Anianum 8. Neronis anno Alexandrinam Ecclesiam post Marcum administrandam suscepisse, & lib. 3. cap. 14. dicit, quòd anno 4. Domitiani postquam 22. annis eam administrasset è vivis excessit. Sed quomodo hæc cohæreant, nostrum non est hic discutere, qui de S. Marco agimus. His quæ dixi de ejus Martyrio consentiunt Græci in Menologio Basilii 25. Aprilis, ubi ajunt: *Cùm autem quâdam die juxta mare Populos edoceret, insidiosè ab Idolorum cultoribus detentus, & funibus constrictus, raptatus adeò fuit, ut carnes ejus saxis illisæ lacerarentur, & sanguis ejus terram irrigaret. Conjectus deinde fuit in carcerem, ubi Dominus illi apparens cœlorum regnum ei promisit. Sequenti die è carcere eductus, atque iterum raptatus spiritum Deo reddidit.*

XIII. S. Marci Corpus Alexandriæ seculo 8. adhuc asservabatur, quamvis civitas illa Dominio Mahumetano tunc subesset. Sepultum jacebat in marmoreo monumento ante Altare cujusdam Ecclesiæ ad dexteram introeuntibus Civitatem sitæ. Anno tamen 820. Leone Armeno Imperatore, & Justiniano Venetorum Duce Venetias fuisse Corpus S. Marci translatum, ibique adhuc requiescere, Traditio vulgata est. Hujus Translationis historiam ex Vaticanis Monumentis erutam per extensum exhibet Baronius ad ann. 820. num. 22. & sequentibus; in qua habetur, quòd cùm quædam Venetæ naves, in quibus viri quidam nobiles erant, Alexandriam appulissent, cœperunt agere cum custodibus Ecclesiæ S. Marci, de Corpore S. Marci illinc occultè subtrahendo, nimirùm, indignum esse, ut Sancti Evangelistæ Corpus apud Infideles contumeliis expositum maneret. Custodes qui erant Græci, unus Monachus nomine Stauratius, alter Presbyter nomine Theodorus, initio restitere, sibi exitium metuentes, si hoc resciretur. Victi tandem Venetorum suasionibus & promissis, se unà cum sacro Corpore Venetias eos adducturos, diem pro hac re perficienda secretò statuerunt. Aperto igitur sepulcro marmoreo invenerunt in quadam capsula beatum Corpus resupinum clamyde serica circumdatum habente à capite usque ad pedes sigilla, quibus claudebatur. Ignorantes ergo quid agerent, hoc inierunt consilium. Vertentes Corpus sciderunt à dorso clamydem, ut salva sigilla quæ fuerant remanerent. Et adducentes B. Claudiæ Corpus, quod in pro-

proximo tumulo repositum erat, in loco B. Marci reposuerunt simili modo supinum, & clamyde circumdantes, sigillorum quoque impressiones ut ante reliquerunt, ut ita putaretur, Corpus Beati Marci adhuc ibi manere.

De facto autem sacro sublato Corpore tanta odoris fragrantia, nedum per totam Ecclesiam & circuitum, sed per totam Urbem illicò emanavit, ut timentes quod erat, nempè B. Marci Corpus sublatum esse, accurrerint omnes etiam Infideles ad dictam Ecclesiam, sed aperto sepulcro, & videntes ibi Corpus Claudiæ clamyde involutum, & signa salva, putantes quòd esset B. Marci Corpus, ad propria remearunt. Interea Veneti summâ cautelâ Corpus ad navem asportarunt, & Alexandriâ solverunt. Narrantur etiam multa signa, quæ in processu navigationis evenerunt, donec appropinquantes Venetias Nuntium de thesauro, quem secum ferebant, præmiserunt: quo accepto Episcopus cum omnibus Ecclesiæ Ordinibus obviàm processit, & sacrum pignus ad Ducis Palatium detulit, ubi Ecclesia, in qua requiescit sub ejus nomine, adhuc extat. Qui alias historiæ hujus circumstantias scire voluerit, adeat Baronium laudato loco. Non latet, Recentiores aliquos certiora monumenta desiderare: mihi tamen non est, cur præter hoc & communem Traditionem ulteriora quæram.

§. II.

De S. Joanne Marco.

I. PRimò hìc audiendi non sunt, qui Joannem Marcum hunc cum Marco Evangelista confundunt. Utrumque enim apertè distinguit Scriptura. Nam Evangelistam semper vocat Marcum, Joannem numquam, alterum autem Joannem Marcum sæpè appellat. Iste filius erat Mariæ Jerosolymis domum habentis, in qua Christus & Apostoli sæpè divertebant, ut dicam, & proinde Jerosolymis natus creditur. De illo nihil tale asseritur, imò an Hebræus fuerit, an verò Græcus, seu Hellenista Cyrene natus, dubitatur. Evangelista Marcus, ut dixi, ex Discipulis Apostolorum fuit, non Christi; Joannes verò Marcus unum ex 70. Christi Discipulis fuisse creditur, sicut & Mater ejus Maria Christum sequebatur, ut probabiliter credi potest. Marcus Evangelista comes & Discipulus Petri fuit: Joannes Marcus verò Barnabæ Discipulus comes & consobrinus. De Evangelista Marco dixi anno 44. cum Petro Romam ivisse, ibi

ibi Evangelium conscripsisse, & anno 51. ineunte pulsis Româ Judæis in Ægyptum perrexisse, Alexandriæ constitisse, & omnes ibi Ecclesias erexisse. De Joanne autem Marco dicitur, quòd anno 44. Paulo & Barnabæ se tamquam ministrum adjunxit, quòd eos usque ad Pergem Pamphyliæ est comitatus; sed postea eis relictis reversus fuit Jerosolymam anno 45., verùm ire cum illis volens anno 51., sed à Paulo repulsus, Barnabam deinceps comitatus fuit. Quæ certè uni ac eidem aptari nequeunt. Hoc ergo præmisso;

II. Joannes dictus Marcus Matrem habuit Mariam nomine Act. 12. v.12., quæ domum in Jerusalem habebat, ad quam sæpè Fideles conveniebant, ibique aderant præcipuè orantes eâ nocte, quâ Petrus per Angelum è carcere Herodiano eductus fuit, & ad quam statim se contulit. Unde ibi dicitur: *Consideransque venit ad domum Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati & orantes*. In hac etiam domo congregatos Spiritum S. Apostolos accepisse, imò & Christum Cœnam Paschalem celebrasse ultimam, superiùs suis locis probabile existimavi, & præcipuè cap.23. de Celebr. Cœnæ §.4. n.28., ubi de Joanne Marco aliqua dixi huc revocanda. Mariam hanc Joannis Marci matrem celebrat Martyrol. Rom. die 29. Junii his verbis: *In Cypro Sanctæ Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus*. De ea plura habet desumta ex Alexandro Monacho in Actis S. Barnabæ Surius die 3. Junii.

III. Cùm Paulus & Barnabas anno 44. è Jerusalem Antiochiam (Act. 12. v.25.) redirent, Joannem Marcum secum duxerunt, qui eis dum irent ad prædicandum in Cypro Evangelium, fortè etiam in necessitatibus temporalibus, inserviebat, sed cùm Pergen Pamphyliæ pervenissent anno 45. videns fortè eos longiùs iter assumere velle (Act.13. v.13.) illis relictis rediit Jerosolymam. Cur autem ab eis recesserit: *Quia* (inquit Chrysost. hom.28. in Acta) *longius deinceps iter suscipiebant: quamvis ipse Minister esset; illi verò periculum subirent*. Anno tamen 51. post Apostolorum Concilium cum Paulo & Barnaba Joannes Marcus iterum Antiochiam profectus fuit. Sed cùm in discessu ad prædicandum in aliis Regionibus Evangelium Barnabas vellet adducere Marcum, Paulus, qui severioris erat disciplinæ, constanter restitit dicens (Act.15. v.38.) *Qui recessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus, non debere recipi*. Barnabas verò, qui mitioris indolis erat, & etiam Marco consanguinitate junctus illum diligebat, voluit eum assumere, & propterea secuta fuit Pauli à Barnaba discessio, de qua superiùs de Sancto Paulo cap.2. §.9. à num.7.

IV. Barnabas à Paulo discedens assumto secum Joanne Marco navigavit Cyprum Act. 15. v. 39.; quid Marcus postea egerit, Scriptura apertè non dicit. Eum tamen fuisse deinceps constantem ac fidelem Verbi Operarium, colligitur ex ipsius Pauli testimonio, qui cùm anno 63. Romæ in vinculis detineretur, ad Colossenses scribens, inter paucos ex Judæis, qui opem & levamen ei conferebant, recenset Marcum consobrinum Barnabæ, qui tunc cum ipso erat, eumque Colossensibus commendat cap.4. v.10.: *Salutat vos... Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si venerit ad vos excipite illum*. Quibus indicatur, quòd Marcus ad Paulum postea reversus, eique fideliter adhærens, ab ipso commendari meruit, ut ei utilis in Ministerium. Illum priùs per litteras commendaverat Colossensibus Ecclesia Romana: hoc enim indicant verba: *De quo accepistis mandata*: commendat & Paulus ipse, ut si ad illos venerit illum honorificè, ut dignum Christi Ministrum, recipiant. *Excipite illum*. Cum Paulo erat Marcus etiam anno præcedente, quando scripsit ad Philemonem: ejus enim meminit v.23., & in 2. ad Timoth. cap.4. v.11. quasi retractans & corrigens severitatem, quâ priùs eum tanquam inutilem ad ministerium assumere recusaverat, videns eum fervidum Ministrum ac utilem evasisse, hortatur Timotheum, ut ex Asia ipsum secum adducat: *Marcum assume & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium*. Ex quibus apparet, quòd annis 62. & 63. Marcus cum Paulo Romæ erat, anno autem 65. quo scripsisse fertur secundam ad Timotheum Marcus erat in Asia. De Marci obitu sepulcro & festo dixi cap. 23. de Cœnæ celebr. §.4. num. 28.

V. Papias apud Eusebium L.3. hist. cap.39. meminit alterius Joannis Senioris seu Presbyteri à Joanne Evangelista distincti extra numerum Apostolorum positi, ex Discipulis tamen Domini. Quo fit, ait Eusebius, veram videri narrationem illorum, qui duos ejusdem nominis in Asia vixisse dixerunt, & apud Ephesum duo esse sepulcra, & utrumque Joannis nomine appellari. Baronius ad annum 97. num. 10. probabile reputat, hunc Joannem Presbyterum eundem esse ac Joannem Marcum, cùm, estò nulla ratio id evincat, nulla tamen ratio obsistat. Eusebius tamen L.7. cap.25. putat Joannem Presbyterum diversum esse à Joanne Marco, quem numquam fuisse in Asia autumat; cujus tamen ex Epist.2. ad Timoth. oppositum colligi supra ostendi. Huic Joanni Seniori seu Presbytero librum Apocalypsis tribuit Eusebius citatis locis: & S. Hieronymus L. de Scriptoribus Eccles. cap.9. & 18., priorem quidem Epistolam sub Joannis nomine Joanni Apostolo adjudicat: secundam tamen

tamen

men & tertiam Joanni Seniori seu Presbytero adscribere videtur his verbis cap.9.: *Reliquæ autem duæ, quarum principium est*: Senior Electæ Dominæ & natis ejus: *& sequentis*: Senior Cajo carissimo, quem ego diligo in veritate, *Joannis Presbyteri asseruntur*. Sed Ecclesia tam has duas Epistolas quàm Revelationem Joannis Apostoli fœtum agnoscit, ut ostendi Tom.1. Verit. Relig. Christ. Tract. de Libris &c. cap.3. §.4. & 7.

VI. S. Auxibii, quem putat fuisse Episcopum Soliorum in parte Septemtrionali Insulæ Cypri à S. Marco S.Barnabæ Socio ordinatum, Vitam describit Bollandus die 19. Februarii. Sed (præterquamquòd in Actis ejus vitæ aliqua nec veritati nec doctrinæ cohærentia Critici & præcipuè Tilmontius de S.Joanne Marco Notâ 5. deprehendunt) non à S. Joanne Marco, sed à S. Marco Evangelista eum fuisse ordinatum volunt Græci in Menol. Basilii die 17. Februarii: ubi hæc habent: *Iste* (Auxibius) *fuit ex antiqua Roma Ethnicorum unus, sed Sanctum Apostolum & Evangelistam Marcum secutus, & verbum veritatis ab eo edoctus, atque baptizatus, Diaconus primùm, deinde Presbyter, demum Soliorum in Cypro Episcopus ordinatus est. Igitur illuc profectus & Ecclesiam suscipiens, non mensis & voluptatibus, ut nonnulli faciunt, se ipsum addixit, sed vigiliis orationibus humi cubationibus & jejuniis, Deum nocte dieque orans, ut, Populi sui misertus, persecutionem à Tyrannis adversùs Christianos excitatam sedaret, atque omnes rectam Fidem cognoscerent, & impietatem abnegarent. Hæc faciens, multosque ad Deum vivum convertens, innumeris patratis miraculis, in pace ad Deum migravit, gaudens in æternum cum cæteris Sanctis*. Hunc à S. Marco Evangelista baptizatum fuisse, sentit etiam Baronius in Notis ad diem 17. Februarii. Si ita est, nihil ad Joannem Marcum spectat. Si verum est quod ferunt, S. Auxibium paulò post mortem S. Barnabæ fuisse baptizatum adhuc juvenem, & quinquaginta annis Soliorum Ecclesiam rexisse, fiet ut ejus mors circa annum 125. consignari debeat.



CA-

CAPUT III.

De Sancto Luca Evangelista.

§. I.

Ejus Origo Conversio & Gesta.

I. S. Lucam Patriâ & domo Antiochenum fuisse, scribunt Eusebius L.3.hist. cap.4. S.Hieronymus L. de Script. Eccles.cap.7. & Prologo in Matth. Fuisse etiam origine Paganum seu Ethnicum, sentit S. Hieronymus L. Quæst. Hebraic. in Genes. inde colligens, eum Hebraicas Litteras ignorasse: *Licèt*, inquit, *plerique tradant*, *Lucam Evangelistam, ut proselytum*, *Hebraicas litteras ignorasse*. Proselyti autem, idest adventitii seu advenæ dicebantur quotquot ex Gentibus veniebant ad Judaismum vel ad Christum. Dicebantur etiam *Colentes*. Unde Act.17. v.4. dicitur quòd Paulo Thessalonicæ adjuncti sunt *de Colentibus Gentilibusque multitudo magna*. Et v.17. quòd Paulus Athenis *disputabat in Synagoga cum Judæis & Colentibus*. Hoc indicasse S. Paulus ipse visus est ad Coloss.4. ubi postquam locutus fuit de Aristarcho Marco & Jesu dicto Justo, qui omnes erant Judæi (unde subdit v.11., *qui sunt ex Circumcisione*: *hi soli sunt adjutores mei*) immediatè subjungit de Epaphra, Dama, & Luca, qui etiam tunc cum illo erant. Hos ergo separatim nominans ab illis, quos dicit ex Circumcisione esse, indicat ex Circumcisione non esse. Solùm obstare videtur, quòd Lucius ille, quem ad Rom.16. v. 21. unà cum Jasone & Sosipatro vocat cognatum suum Paulus, à multis creditur esse ipse Lucas: quòd si iste origine Gentilis erat, non videtur potuisse cognationem habere cum Paulo, qui Hebræus ex Hebræis erat. Sed dato quòd Lucius ille fuerit idem ac Lucas Evangelista (quod tamen aliqui negant) non proinde tollitur, quin aliquâ cognatione junctus esse potuerit Paulo licèt Hebræo. Nam eo tempore, maximè quo Judæi permixti Gentilibus degebant, sæpè inter utrosque celebrabantur connubia, cujus exemplum habemus in Timotheo, qui fortè Pauli cognatus ex Matre quidem Judæa sed ex Patre Gentili natus erat.

II. Lucas professione Medicus fuit: unde ad Coloss.4. v.14. Paulus, *salutat vos*, inquit, *Lucas Medicus carissimus*. Imò Sanctus Hieronymus in cap.6. Isaiæ addit: *Evangelistam Lucam tradunt*

dunt veteres Ecclesiæ Tractatores Medicinæ artis fuisse scientissimum : & magis Græcas litteras scisse, quàm Hebræas. Quod Eusebius L.3. cap.4. confirmat dicens : *Lucas domo Antiochenus, arte Medicus, qui & cum Paulo diù conjunctissimè vixit, & cum reliquis Apostolis studiosè versatus est, artis illius ad sanandum hominum animos institutæ, quam sibi ex Apostolorum doctrina comparaverat, duos nobis libros divinitùs inspiratos reliquit* (Evangelium scilicet & Acta) ex Medico corporum factus Medicus animorum. Eum Artem etiam Pictoriam calluisse Traditione fertur, & aliquæ Imagines ostenduntur, præcipuè B. Virginis ab eo pictæ, vel ex ejusdem exemplaribus depromtæ. De hoc aliqua dixi in Vera Ecclesia Art. 16. de Sacris Imaginibus §.15. num.87. & Tom.1. Ver. Relig. Christ. de Libris cap.1. §.4. num. 40., & Græci in Menol. Basilii die 18. Octobris ajunt: Lucas *professione Medicus & Pictor*. Uxorem ac filios habuisse nullibi legitur : ideòque cælebs perpetuò mansisse creditur.

III. An ex Discipulis Jesu Christi fuerit, an solùm Apostolorum, ab aliquibus controvertitur. Qui, ut supra, sentiunt, Lucam non ex Circumcisione, sed ex Gentilitate venisse ad Fidem, ægrè sustinere possunt, eum ex 72. Discipulis fuisse, quia Christus exteros in Discipulos non admisit. Quare qui volunt, ex Discipulis Christi eum fuisse, faciunt ipsum patriâ quidem Antiochenum, sed genere Judæum. Et S. Epiphanius hæres.51. cap.11. censet fuisse unum ex illis, qui à Christo recesserunt, ubi audierunt eum Joann.6. dicentem v.54. : *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non bibebitis vitam in vobis* : Iterùm tamen audito Paulo Antiochiæ prædicante ad Christum rediisse. S. Gregorius L.1. Moral. cap.1. putat, illum alium Discipulum, qui cum Cleopha ibat in Emmaus, fuisse Lucam. Græci quoque in Menol. 18. Octobris inter 70. Discipulos ponunt. Verùm si Lucas Christum tamquam Discipulus secutus fuit, in suo Evangelio scripsit ea quæ ipse vidit, & non solùm sibi tradita ab iis qui viderunt: cur ergo initio sui Evangelii dicit, se ordinare narrationem : *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis?* Quare Eusebius L.3. cap. 4. loquens de Libris à Luca scriptis : *Alter*, inquit, *eorum Evangelium est, quod quidem ita se prorsùs exarasse testatur, prout ab ipsis Verbi Divini Ministris, & qui ab initio Christum viderant, acceperat, quos etiam omnes se jamdudum affectatum esse profitetur*. S. Hieronymus L. de Script. Eccles. cap.7. de Luca dicit : *Evangelium sicut audierat scripsit* : *Acta verò Apostolorum sicut viderat composuit*. Quod repetit in prologo super

super Matth. Item S. Augustinus L. 1. de Conf. Evang. cap. 2. ait: *In conscribendo Evangelio, quod divinitùs ordinatum esse credendum est, ex numero eorum, quos ante Passionem Dominus elegit, primum atque ultimum locum duo tenuerunt, primum Matthæus, ultimum Joannes: ut reliqui duo, qui ex illo numero non erant, sed tamen Christum in illis loquentem secuti erant, tamquam filii amplectendi, ac per hoc in loco medio constituti, utroque ab eis latere munirentur*. His eleganter Augustinus ostendit, Lucam non fuisse ex numero eorum, qui secuti sunt Dominum, sed eorum; qui Apostolos Christum loquentes audierant. Tertullianus L. 4. contra Marcion. cap. 2. ut certum asserit, Lucam Evangelium non nisi à Paulo didicisse, & S. Irenæus idem asserit L. 3. contra hæref. cap. 14.

IV. Probabilius ergo est, solùm post Christi Ascensionem Lucam è Gentilitate absque Circumcisione ad Fidem venisse, Apostolorum & præcipuè Pauli Discipulum & comitem fidelissimum. De quo dixi Tom. 1. Ver. Relig. Christ. Tract. de Libris cap. 1. §. 4., ubi autem & quando, incertum est. Sentiunt aliqui, Romam ivisse, ibique aliquo tempore Medicam artem exercuisse, deinde Antiochiam reversum Pauli prædicatione patrio errori, nempè Gentilitati, renuntiasse. An verò hoc fuerit in primo Pauli adventu Antiochiam, an post, incertum est: Ita & Grotius Præf. in Lucam. Quando verò Paulo se socium dederit, disputatur. Græci in Menologio Basilii die 18. Octobris volunt, Thebis in Macedonia hoc fuisse; ajunt enim: *Cùm Thebas Macedoniæ, Tiberio Imperatore, ob persecutionem venisset, congressus collocutusque cum Sancto Apostolo Paulo .... eidem se socium adjunxit*. Sed Thebas in Bœotia quidem, non tamen in Macedonia unquam, Geographi ponunt. Deinde sub Tiberio, quam persecutionem passi sunt Christi Discipuli, inter quos Græci ibi Lucam ponunt? Fuit persecutio quidem post Stephanum, sed hæc à Judæis, non à Gentilibus excitata fuit. Meminisse debuerant, quòd Lucas ipse Act. 16. scribit, se cum Paulo jam fuisse antequam in Macedoniam perveniret. Postquam enim retulit mandatum, quod per visum Paulus Troade à Deo accepit anno 51. transeundi in Macedoniam: subjungit v. 10.: *Ut autem visum vidit, quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quòd vocasset nos Deus evangelizare eis. Navigantes autem à Troade recto cursu venimus Samothraciam* &c. Quo loquendi modo, nempè in prima persona, *Quæsivimus*, *venimus*, cùm antea in tertia persona semper locutus fuisset, *Fecit*, *dixit*, *abiit*, satis indicare videtur, se ab illo tempore nempe discessus à Troade,

& non

& non ante, cum Paulo fuisse itinerum saltem comitem. Idem sentit S. Irenæus L.3. adversùs hæreses cap.14.

V. Ex dictis apparet, S. Lucam à Troade cum S. Paulo transisse in primo itinere, quo anno 51. in Græciam perrexit. An successivè eum semper secutus fuerit, ex Scriptura non habetur. Ex modo tamen, quo S. Irenæus laudato loco, cæterique Patres loquuntur, præsumere licet, Lucam deinceps indivisum fuisse Pauli in suis itineribus comitem. Stando tamen in his, quæ Lucas ipse & Scriptura narrant Act.16. v. 11. & 17. è Troade Philippos, ubi mansit aliquot diebus, Paulum comitatus est. Quid autem usque ad annum 58., quo è Græcia Paulus Jerosolymam rediit, de Luca evenerit, scriptum non lego. Cum Paulo non fuisse Thessalonicæ arguit Baronius ad annum 51. num 75.; tum quia in tertia persona Lucas ibi Act.17. loquitur, tum quia, quæ ibi evenerunt strictim recenset. Fortè enim à Paulo fuerat causâ prædicationis aliò missus. Anno similiter 57. quo Secundam ad Cor. Epistolam scripsit è Macedonia cum Tito Lucam Corinthum missum fuisse creditur, ex illis verbis cap.8. v.18.: *Misimus cum illo* (Tito) *fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias*: ubi nomine *Fratris* omnes intelligunt Lucam, & maximè quia eum vocat *Socium peregrinationis nostræ*. Miserat ergo ipsum ad colligendas eleemosynas, tamquam virum probatæ fidei: unde v.20. subdit, *Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine*, cujus periculum erat apud Corinthios, qui erant avari. Lucam autem ideò laudat ob Evangelium, quia illud scripto jam evulgaverat præcedente anno 56. secundùm plures: sed etsi nondum illud scripsisset, prædicaverat quidem: nec minùs erat laude dignus ob Evangelium prædicatum, quàm ob scriptum.

VI. Paucis elapsis mensibus anno 58. ineunte Paulus per Macedoniam in Asiam transiit Act.20., & cum eo inter cæteros Lucas aderat. Cum eo Philippis discessit, ac Troadem pervenit; Ubi v.13. volente Paulo per terram usque Asson iter facere, Lucas & alii navem conscenderunt. Cùmque in Asson convenissent, assumto in Navem Paulo venerunt simul Cæsaream usque. Ibi Lucas & alii cap.21. v.12. rogarunt Paulum, ne iret Jerosolymam, sed frustra. Lucas tamen eo in itinere comes illi adhæsit, quò appulsus cum eo adivit S. Jacobum. Secutus etiam Paulum fuit anno 60. & 61. quando (Act.25.) post appellationem ad Cæsarem, Romam à Festo missus fuit, & cum eo Romæ mansit, dum Paulus ad Philemonem & Colossenses litteras dedit. Cum Paulo etiam fuisse quando Romam secundò petiit, col-

colligitur, quia in Secunda ad Timotheum eo tempore Romæ scripta cap.4. v.11. dicit, *Lucas est mecum solus*, & v.16. queritur, ab omnibus aliis se fuisse derelictum. Hoc autem cùm acciderit non multùm ante ejus Martyrium probat, Lucam socium fuisse Pauli fidelem usque ad finem vitæ.

§. II.

De Scriptis Obitu &c. S. Lucæ.

I. Duos habemus Libros à S. Luca scriptos. Unus est Evangelium, ejus nomen præferens, alter sunt Acta Apostolorum. De utroque egi Tom.1. Ver. Relig. Christ. Tract. de Libris c.1. §.4. Ideo rem hic paucis absolvam. Evangelium scribendi hæc ei causa fuit. Cùm enim multa tunc Pseudo-Evangelia variis fabulis permixta evulgarentur, ipse ex iis, quæ audierat ab Apostolis & aliis, qui cum Christo fuerant conversati, suam adornare cœpit historiam. Hoc testatur ipse sui initio Evangelii ita exordiens: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis, visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.* Ex quibus, ut dicebam, apparet S. Lucam non fuisse conversatum cum Christo, nec ejus Discipulum extitisse, nec scripsisse ea quæ ipse viderat, sed quæ ab aliis qui viderant didicerat: ideòque non à solo Paulo, sed & à cæteris Apostolis, qui cum Christo fuerunt.

II. Quis fuerit iste Theophilus, ad quem tum Evangelium tum Acta S. Lucas direxit, incertum est. Origenes hom. 1. in Luc. Ambrosius in Luc. Epiphanius hæres.51. Salvianus Epist.9. censent, hoc nomine non certum aliquem virum designari, sed quemcumque Dei amicum seu à Deo amatum: hoc enim Etymologia nominis Græci *Theophilus* indicat, nempè à Deo amatum vel Deo carum. Attamen S. Augustinus L.4. de Consf. Evang. cap.8., & S. Chrysost. hom.1. in Acta putant, insinuari aliquam particularem personam, quæ eo nomine vocaretur: & quidem Christianam nec infimæ conditionis, ut colligi potest ex epitheto *Optimi* ejus nomini adjecto. Unde ex eo titulo plerumque Procuratoribus sive Præfectis Provinciarum tributo, parem Virum illum dignitatem obtinuisse Œcumenius autumat. Auctor Recognit. L.10. cap.71. facit hunc Theophilum virum Antio-

tiochiæ divitem ac potentem. Grotius verò Magiſtratum quemdam Achajæ à S. Luca fide initiatum. Aliqui volunt Epiſcopum Antiochenum egiſſe. Sed Theophilus Epiſcopus Antiochenus, de quo Martyrol. die 13. Octobris, fuit ſextus poſt Sanctum Petrum Epiſcopus, ideòque de iſto loqui non potuit Sanctus Lucas.

III. Euſebius L.3. hiſt. cap. 4. dicit, ſecundùm quoſdam Lucæ *Evangelium à Paulo deſignari ſolitum eſſe, quoties tamquam de proprio quodam Evangelio ſermonem faciens dixit: Secundùm Evangelium meum*. Tertullianus L.3. contra Marcion. cap.5. addit, aliquos Evangelium Marci tribuere Petro, & Evangelium Lucæ Paulo tribuere, cùm rationale ſit credere, Opera Magiſtrorum eſſe, quæ à Diſcipulis promulgantur. Athanaſiana Synopſis dicit, Paulum Evangelium dictaſſe, Lucam verò ſolum promulgaſſe. Veriùs tamen S. Irenæus L.3. cap.1. ſentit, Evangelium quod prædicabat Paulus Lucam ſcripſiſſe. Fateor, Evangelio à Luca ſcripto multùm contuliſſe Paulum; ſed non ſolùm, cùm Lucas ipſe, ut ſupra, fateatur, ſe ſcripſiſſe ſicut ei tradiderunt, qui ab initio viderunt, inter quos Paulus non erat; ſcripſit ergo etiam ſecundùm quod ab aliis Apoſtolis teſtibus de viſu didicerat.

IV. Circa tempus & locum, in quo ſcripſit Evangelium, non conveniunt Auctores, ut oſtendi loco ſupra citato num.38. Quidam volunt illud anno 48. vel 51. Antiochiæ ſcripſiſſe, quidam anno 53. vel 55. in Macedonia. Poſſent, ut ibi dixi, hæc componi, aſſerendo; Evangelium Lucæ Opus unius anni nec unius loci fuiſſe, ſed in uno tempore & loco inchoaſſe, in alio proſecutum fuiſſe, in alio abſolviſſe. Cum enim proteſtetur, ſe ſcribere, non ea quæ ipſe vidit, ſed ſibi tradita ab iis, qui ea viderunt, credibile eſt, priùs ab illis rerum notitiam collegiſſe, ac deindè in unum Volumen redegiſſe. Hoc certum habeo, Lucam Evangelium ſuum ſcripſiſſe poſt ſcriptum à Matthæo & Marco ſuum, & viventibus adhuc Apoſtolis, qui de ſuo Opere judicium ferre poſſent. Ita Auguſtinus L.4. de Conſ. Evang. cap.8.: *Eo quippè tempore ſcripſerunt Marcus & Lucas, quo non ſolùm ab Eccleſia Chriſti, verùm etiam ab ipſis adhuc in carne viventibus Apoſtolis probari potuerunt*. Marcionitæ nullum aliud Evangelium admittebant præter iſtud, ſed mutilum & corruptum, nullius tamen, nec Lucæ, nec alterius Auctoris nomen præſcribentes, teſte Tertulliano de Præſcript. cap.51. & alibi.

V. Evangelio conſcripto ex iis, quæ ab aliis didicerat, aliud Opus ex iis quæ ipſe viderat aggreſſus eſt, quod inſcribitur *Acta*

Apostolorum, in quo omnia Apostolorum Gesta ab Ascensione Domini, Ecclesiæ nascentis infantiam ac persecutiones, Apostolorum, præcipuè Petri & Pauli in ea firmanda robur & fortitudinem necnon prodigia, sed præcipuè eorum virtutes ad imitationem proponit. Hunc Librum velut magnum thesaurum celebrans Chrysostomus hom. I. in Acta: *Non minùs*, inquit, *nobis, quàm ipsa Evangelia utilis esse poterit: tanta nimirùm plenus est philosophiâ, tantâ dogmatum sinceritate miraculorumque copiâ, eorum maximè, quæ à Spiritu Sancto patrata sunt .... Etenim ea, quæ Christus in Evangeliis prædixit, hìc opere completa videre est; veritatem ex rebus ipsis splendentem Discipulosque post acceptum Spiritum Sanctum in melius longè commutatos*. Et infra: *Videbisque hìc Apostolos ceù volucres per terram & maria discurrentes, illosque olim timidos & rudes in alios homines repentè mutatos, divitiarum contemtores, irâ concupiscentiâ cæterisque omnibus superiores effectos: multam videbis inter ipsos concordiam, nullam invidiam, nullam ob Primatus desiderium contentionem* &c. *Maxima pars autem hujus Libri Pauli Gesta sunt, qui plus omnibus laboravit* &c. Hæc aliaque Chrysostomus. In hoc Libro vis S. Spiritus adeò emicat, ut cum Œcumenio dici possit: quòd sicut Evangelium Gesta Christi nobis exhibet, ita Acta Gesta Spiritus Sancti nobis repræsentent.

VI. Acta ergo conscripsit Lucas eo animo, ut Gesta Pauli, cujus erat Discipulus & comes, præcipuè enarraret, & Ecclesiæ proponeret: Historiam tamen solùm perducit usque ad annum. 63. nempè usque ad biennium, quo Romæ commoratus est Paulus in primis Neronianis vinculis. Unde creditur, eam Romæ edidisse. Ita S. Hieronymus L. de Script. Eccles. cap. 7.: *Cujus*, inquit, *historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, idest usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus in, eadem Urbe Librum esse compositum*. Cur autem ulteriùs historiam non produxerit, cùm deinceps etiam Paulo adhæserit, unde 2. ad Timoth. quam non multò ante mortem scripsit c. 4. v. 11. dicit: *Lucas est mecum solus*, & cùm etiam Paulo diu superstes fuerit, Deus novit. Chrysostomus hom. I. in Acta hoc Quæsitum excitans, dicit: *Cur non omnia scripsit, qui usque ad finem cum ipso semper fuerit? Respondebimus. Hæc satis fuisse iis qui animum adhibere vellent: neque illis tantùm fuisse scribendi studium; multas quippè non scriptas Traditiones dederunt.*

VII. Præter Evangelium & Acta S. Lucam vertisse etiam ex Hebræo in Græcum Epistolam Pauli ad Hebræos, ex Clemente Alexandr. refert Eusebius L. 6. hist. cap. 14. his verbis: *Epistolam*

lam ad Hebræos Pauli quidem esse affirmat , sed Hebraico sermone , utpotè ad Hebræos primùm scriptam fuisse. Lucam verò eandem Græco sermone studiosè interpretatum, Græcis hominibus edidisse . Quare in ea Epistola , & in Actibus Apostolorum eundem dictionis colorem reperiri : Nec defuere qui senserint (ut Origenes apud Eusebium L.6. cap.25.) in illa Epistola sententias quidem & doctrinam Pauli esse : at elocutionem phrasim , quæ elegantior est, quàm in aliis Pauli Epistolis , esse Lucæ .

VIII. Aliud Opus à Clemente Alexandr. Lucæ tributum fuit , nempè *Altercatio Jasonis & Papisci* (quæ extat in Calce Operum S. Cypriani Edit. Pamelii) de qua mentionem faciunt Origenes L.4. contra Celsum , & Hieronymus in Genes. & in cap.3. ad Galat. Hoc tamen non obstante S. Maximus Abbas septimo seculo eam tribuit Aristoni Pellensi , qui temporibus Imperatoris Antonini circa annum 140. vixit . Et sanè ex modo, quo Origenes & Hieronymus de ea loquuntur , apparet , non esse S. Lucæ fœtum . Continet ergo Opus istud disputationem inter Jasonem ex Judæo Christianum , & Papiscum Judæum Alexandrinum , qui suas Judaicas superstitiones solitâ obstinatione tuebatur. Hunc Jason ex Scripturis Veteris Testamenti perstringit , tantâ claritate ei ostendens , prophetias omnes in Christo Jesu fuisse impletas , & tantâ suavitate ejus duritiem emolliens , ut Papiscus lumine S. Spiritus illustratus & corde accensus , veritatem Fidei agnoverit & confessus sit , ardentique desiderio Jasonem rogaverit , ut se Baptismo Fidei mysteriis initiaret. *Quâ Papiscus ad intellectum Veritatis admissus , & ad timorem Domini ipso Domino miserante formatus , & in Jesum Christum Filium Dei credidit , & ut signaculum sumeret deprecatus , Jasonem postulavit* . Jasonem istum censet Pamelius in Not. ad præfatam narrationem , fuisse illum S. Pauli Discipulum & cognatum , de quo Rom.16. v.21. & Act. 17. v.7. qui postea Episcopus Tarsensis fuit . De hoc tamen dubito . De hac disputatione Origenes citato loco num.52. contra Celsum dictam altercationem velut odio vel risu dignam aspernantem : *Vellem* , inquit , *ut libellum hunc in manus sumeret , & quæ in illo scribuntur legere sustineret : Is cùm nihil in illo scripto inveniret odio dignum , Celsum utique damnaret. Ibi etiam Christianus cum Judæo disserens, demonstrat ex Judaicis Scripturis vaticinia de Christo ad Jesum pertinere, quamquàm strenuè Adversarius contradicat , personamque Judaicam pulchrè sustineat* .

IX. Cùm S. Lucas prædicatione & scriptis suis Ecclesiam illustrasset, ad præmium laborum ac meritorum suorum recipien-

piendum morte vocatus fuit, quam annum 80. seu 84. natus obivit. Quo autem in loco, controvertitur. Patris in Achaja, urbe Martyrio S. Andreæ celebri, obiisse censet Gaudentius Serm.17., inde sub Constantio ejus Reliquias Constantinopolim fuisse translatas, asserunt Philostorgius L.3. cap.2. & S. Hieronymus L. de Script. Eccles. cap.7. Thebis Bœotiæ eum mortuum facit Nicephorus L. 2. cap.43., ubi adhuc videbatur ejus sepulcrum in Ecclesia sub ejus nomine in Pago dicto Thabacide. Sed quia ibi fuit quidam Lucas Eremita, Styriotes dictus, meritò timeri potest, ne Eremitam pro Evangelista Luca supponat. Idem tamen sentiunt Græci in Menologio die 18. Octobris. Martyrologia tamen Latinorum eum in Bithynia obiisse dicunt.

De genere mortis: In pace eum quievisse scribunt Martyrologia & Menologia. Elias Cretensis in Comment. Orat. 3. Nazianzeni dicit: quòd Joannes Evangelista & Lucas *haud quaquam interemti sunt, verùm cùm permultas propter Christum & ejus Evangelium calamitates pertulissent, in pace ad eum, qui pacis Deus est, reversi sunt*. Et hæc communior videtur sententia. Nihilominùs non defuere, qui S. Lucam Martyrio obiisse dixerint, aut inter Martyres annumerent, ut SS.Gregorius Nazianzenus Orat.1. in Julian. Gaudentius Serm.17. Paulinus Ep.32. ad Severum, & Glycas, Cedrenus, & Nicephorus L.2. c. 43. arbori Olivæ affixum volunt,

X. Quæri pro complemento potest, cur S. Lucæ inter quatuor Evangelistas figura Vituli adjungatur. Cui respondebo ex S. Augustino Tract.36. in Joann., ubi dicit: *Apud Ezechielem Prophetam & in Apocalypsi ipsius Joannis, cujus est hoc Evangelium, commemoratur animal quadruplex habens quatuor personas, Hominis, Vituli, Leonis, Aquilæ. Qui ante nos Scripturarum Sanctorum mysteria tractaverunt, plerique in hoc animali, vel potiùs in his animalibus quatuor Evangelistas intellexerunt. Leonem pro Rege positum, quoniam videtur Leo rex esse quodammodò bestiarum, propter potentiam & terribilem fortitudinem. Hæc persona tributa est Matthæo, quia in generationibus Domini Regiam seriem prosecutus est, quemadmodùm esset Dominus per Stirpem Regiam de semine David Regis. Lucas autem quoniam cœpit à Sacerdotio Zachariæ Sacerdotis, faciens mentionem Patris Joannis Baptistæ, Vitulo deputatus est, quia magna victima Vitulus erat in Sacrificio Sacerdotum. Marco Homo Christus meritò adsignatus est, quia neque de Regia potestate aliquid dixit, neque de Sacerdotali cœpit, sed tantùm ab homine Christo exorsus est. Hi omnes propè de terrenis,*

nis, idest de iis, quæ in terra gessit Dominus noster Jesus Christus, non recesserunt: de Divinitate ejus perpauca locuti sunt, tamquam in terra cum illo ambulantes. Restat Aquila: ipse est Joannes sublimium & lucis internæ atque æternæ fixis oculis contemplator &c. Hæc Augustinus; à quo dissentiunt Recentiores, maximè Pictores, qui hominem Matthæo, Leonem verò Marco affingunt.

CAPUT IV.

De Sanctis Tito & Timotheo.

§. I.

De S. Tito.

I. Titus Gentilis fuit (Galat. 2. v. 3.) Hic patrio Idolorum cultu ejurato ab Apostolo Paulo ad Fidem Christi genitus fuit, propterea ab ipso Filii nomine distinguitur ad Tit. 1. v. 4. *Tito dilecto filio secundùm communem fidem.* Nomine etiam in Christo Fratris vocatur 2. Cor. 2. v. 13. Sanctus Hieronymus in cap. 2. ad Titum putat, eum corpore adhuc incorruptum venisse ad Fidem, & talem nempè cælibem semper mansisse; ideòque Paulus eum hortatur, ut aliis exemplo sit vitæ puræ & castæ: *Unde*, inquit, *& Titum existimo priusquam carnis opere occuparetur, Evangelio credentem accepisse Baptisma, & virginem permansisse: & nunc ab Apostolo, ut in corruptione formam sui præbeat commoveri.*

Titus Amanuensis, seu ut vult Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam cap. 11. Interpres fuit Pauli, sicut Marcus Petri, sive quòd verba ex ore dictantis Apostoli scriberet, sive quòd Græca ab illo prolata verba, Latinè, vel Hebraica seu Syriaca, Græcè explicaret. Ideoque tanquam Paulo carus ab omnibus qui cum Paulo erant, salutatur; *quòd* (ait ad Titi cap. 3. Hieron.) *talis esset, ut amorem eorum, qui cum Paulo erant, omnium mereretur. Magna verò laus Titi per Paulum salutari.*

II. Cùm Paulus Jerosolymam proficisceretur quæstioni agitandæ, an Gentiles ad Fidem conversi Legalibus adigendi essent, unâ secum Titum adduxit anno 51. Galat. 2. v. 1. Cùm autem aliqui vellent Titum ad Circumcisionem compellere, neque Apostolus ipse, neque Titus, qui Gentilis erat, unquam acquievit: Galat. 2. v. 3. *Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi.* Et quamvis urgerent Judæi, eos vin-

vincere non potuerunt: unde subditur v. 5. *Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.* Quia verò aliqui sic legebant: *Quibus ad horam cessimus;* quasi initio quidem nolentes, necessitate ac violentiâ compulsi cesserint: hos rejicit Hieronymus in dictum Caput his verbis: *Quod si dicit, se necessitate superatum, ut circumcideret Titum: quomodo Galatas revocat à Circumcisione, à qua nec Titum, qui secum fuerat ex Gentibus, Jerosolymis potuit excusare?*

III. Metuens Paulus, ne Corinthii per quosdam pseudoprophetas à veritate Evangelii, quod eis prædicaverat, seducerentur, misit circa finem anni 56. ad illos Titum, ut habetur 2. Cor. 12. v. 18. à quibus comiter & humiliter susceptus fuit. Ne tamen eis oneri esset, exemplum Pauli Magistri sui imitatus, nihil vel spontè oblatum recipere voluit: unde Paulus ibi ait: *Rogavi Titum, & misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis?* Cùmque rogassent Titum, ut apud Paulum intercederet veniam pro Corinthio incestuoso, ipse, qui specialem dilectionem erga ipsos conceperat, omnem operam suam contulit: quare 2. Cor. 7. v. 15. Paulus ait: *Et viscera ejus abundantiùs in vobis sunt: reminiscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepistis illum.*

IV. Cùm Ephesо discedens Paulus Troadem venisset anno 57. circa medium, nec, ut speraverat, ibi invenisset Titum, irrequietus animo brevem moram trahens transivit in Macedoniam, ubi Titus adventu suo illum gaudio replevit, & maximè quia de prospero statu, in quo reliquerat Ecclesiam Corinthi, & de eleemosynis, quæ ibi in promtu erant, eum certiorem fecit. Quo exemplo usus Fideles etiam Macedoniæ adhortatus est, ut & ipsi huic pietatis operi pro viribus contribuerent. Cùmque Paulus Corinthum redire vellet, ut suo adventu omnia parata inveniret, rogavit Titum, ut eum præcederet. Titus, cui cordi erat gloria Dei & honor Ecclesiæ Corinthi, novo itineri absque hæsitatione sese exposuit, Secundam ad eosdem (ut multi volunt) Pauli Epistolam deferens. Quod circa finem anni 57. contigisse creditur.

V. Quid egerit Titus usque ad annum 63. ignoramus, quo Paulus è primo Neroniano carcere libertati restitutus, & in Orientem transiens ad Insulam Cretæ pervenit, ibique Evangelii semina spargens aliquo tempore moratus est. Verùm cùm Ecclesiarum sollicitudine Paulus aliò vocaretur, ne Fidem in agro illo adhuc nascentem sine cultore desereret, ibi reliquit Ti-

Titum Cretæ insulam ejus zelo confidens: ideòque illius Episcopum eum constituit, cum facultate etiam alios sive presbyteros, sive etiam Episcopos, si opus fuisset instituendi. Sic colligitur ex Ep. ad Titum cap. 1. v.5., ubi Paulus ait: *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Ubi Presbyterorum nomine intelligi etiam Episcopos sentiunt Patres, & præcipuè Hieronymus in cap. 1. ad Titum, & ea, quæ sequuntur, apertè ostendunt: Apostolicis enim temporibus tam primi, quàm secundi Ordinis Presbyteri, sub hoc communi nomine vocabantur; quamvis etiam tunc, ut modò, officia jure Divino distinguerentur. Ex tam ampla potestate corrigendi quæ deerant, & constituendi colligit Chrysost. in Ep. ad Titum, quanti eum faceret Paulus.

VI. Altero anno nimirùm 64. ad Titum scripsit Epistolam inter Canonicas semper habitam, in qua postquam ipsum monuit, quales debeat ad Sacerdotium & Episcopatum promovere, quæ vitæ ratio singulis hominum statibus cujuscumque sexus sit præscribenda, ut in Cretenses disciplinæ rigorem exerat, ut à vanis Judæorum, qui in illa Ecclesia erant, fabulis caveant, Fideles hortetur, ut temporalibus Principibus obedientiam præstent, & ut hæreticum hominem post primam & secundam correctionem contumacem devitet: tandem ipsi mandat, ut cùm primùm Tychicum sive Arthemam in Cretam miserit, vicariam illis muneris sui operam committens, festinet Nicopolim in Macedonia sive in Epiro, ubi ipse statuerat hyemare, ad se venire. Ita cap. 3. v.12., ubi S. Hieronymus: *Necessarium*, inquit, *habet Titum in Evangelii ministerium: tamen non eum ante ad se vult venire, nisi in locum ejus Artemas vel Tychicus successor advenerit. Nicopolis ipsa est, quæ ob victoriam Augusti, quòd ibi Antonium Cleopatramque superarit, nomen accepit.* Quibus Nicopolim Epiri intelligit.

VII. Cùm Apostolus secundam Epistolam ad Timotheum scripsit (anno ut putant aliqui 65., secundum alios verò 67. de quo supra cap.2. de S. Paulo §.24. n.1.) Titus, ut habetur c.4. v.10., in Dalmatiam ad prædicandum ibi vel firmandum Evangelium ab eodem missus fuerat. In Cretam tamen postea reversus, ad vicinas Insulas Evangelium deportasse fertur. Tandem extremam diem obiens in Creta sepultus fuit annum agens 94. Ita Græci in Menol. Basilii die 25. Augusti, ubi habent sequentia: *Titus Christi Apostolus prodiit ex insula Creta. Ab ineunte ætate plurimam ostendens in Græcorum disciplinis addiscen-*

dis sedulitatem: admiratione suspiciebatur ab Ethnicis propter doctrinam. Ubi verò vigesimum ætatis annum attigit, audivit vocem sibi dicentem: Tite, hinc secedas, tuamque serves animam, oportet, non enim tibi proderunt hæ doctrinæ. Hác voce auditá, secum ipse cogitabat, quid sibi esset agendum. Post hæc Cretæ Præfectus, auditis Christi miraculis, eum utpote sapientem accersivit, dicens: Tite, Jerosolymam te volo proficisci, & an vera hæc sint, intelligere & mihi renuntiare. Hic igitur profectus, Christum vidit ejusque miracula, ac sese eorum numero, qui in Christum crediderant, adjunxit. Post Passionem autem & Resurrectionem, Episcopus à Sanctis Apostolis consecratus, in Cretam missus est; ibique cum veritatis verbum edocuisset, obdormivit annos natus nonaginta quatuor. Hæc Græci majori ex parte suspecta, ne dicam falsa. Nam quidquid sit de voce quam audivit, & aliis; eum faciunt unum ex Christi Discipulis, imo Apostolum: cùm ex Scriptura habeatur, eum fuisse Pauli discipulum ab eo ad Fidem tractum, Episcopum Cretæ ordinatum; de Paulo autem nec verbum faciunt Græci, ideóque relinquendos reor.

VIII. Veriùs Latini in Martyr. die 4. Januarii hæc habent: *In Creta Natalis S. Titi, qui ab Apostolo Paulo Cretensium Episcopus ordinatus, post prædicationis officium fidelissimè consummatum, beatum finem adeptus, sepultus est in Ecclesia, ubi à Beato Apostolo dignus minister fuerat constitutus.* Quibus addit Bollandus, Ecclesiam Cathedralem Cretensem ejus nomine dicatam fuisse, atque in ea ejus Caput integrum adhuc asservari.

§. II.

De S. Timotheo.

I. Timotheus Apostoli Pauli discipulus Derbensis seu Lystrensis; Derbe enim & Lystræ duæ sunt Lycaoniæ urbes. Lystrensis tamen potiùs fuisse videtur; nam S. Lucas Act. 16. dici v. 1. quòd cùm Lystram pervenisset Paulus, obvium habuit Timotheum, de quo bonum testimonium ferebant fratres, qui in Lystris & Iconio erant: *Pervenit autem* (Paulus) *Derben & Lystram. Ecce discipulus quidam erat ibi nomine Timotheus, filius mulieris Judææ fidelis, patre Gentili. Huic testimonium bonum reddebant, qui in Lystris erant & Iconio fratres* (nihil dicens de iis, qui erant in Derbe)

II. Ethnicum Patrem habuit, sed matrem Judæam: Matris nomen Eunice, aviæ Lois: ambæ ad Christum conversæ Timotheum

theum Religione Christiana ab infantia imbuisse feruntur: unde Paulus 2. ad Tim. 1. v. 5. ei sic dicit: *Recordationem accipiens ejus Fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitavit primùm in avia tua Loide, & matre tua Eunice, certus sum autem quod & in te.* Adolescentem istum tot testibus commendatum vix Paulus vidit, cùm eum sibi socium non sine Spiritus Sancti instinctu ascivit: unde v. 3. dicitur: *Hunc voluit Paulus secum proficisci.* Timotheus verò Pauli societatem præferens, patriam, domum, patrem & matrem, omnia demum ut eum sequeretur reliquit. Sic Deus in Timotheo restituit Paulo, quod in Barnabæ separatione amiserat: *Quando discessit Barnabas, alterum ipsi parem invenit*, inquit Chrysost. homil. 34. in Acta. Sed quare Timotheum statim ac vidit, voluit socium? respondet S. Augustinus serm. 177. §. 7. quia vidit eum pauperem, sicut ipse erat. Acsi absque paupertate & contemtu terrenorum, animoque ad omnia ferenda parato, Discipulus ejus esse non posset. Antea tamen eum circumcidi voluit, Act. 16. v. 3. *Et assumens circumcidit eum propter Judæos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quòd pater ejus erat Gentilis.* Cur autem hic circumcidit Paulus Timotheum propter Judæos, qui sciebant, quòd Pater ejus Gentilis erat; & Titum circumcidi noluit propter eosdem, qui sciebant, utrumque parentem ejus Gentilem esse, ostendi supra cap. 2. de S. Paulo §. 10. num. 5. Ibi dicta Lector consulat. Jam dictis accedat Chrysostomus homil. 34. in Acta, qui in hoc facto admirans Pauli prudentiam, ait: *Qui tantoperè pugnaverat propter Circumcisionem, qui omnia moverat, & non priùs destitit, donec rem perficeret, confirmato dogmate circumcidit Discipulum; non modò alios non cohibet, sed hoc & ipse facit* ...., „ propter Judæos, *inquit*, qui erant in illis locis „. *Hæc causa circumcidendi fuit. Non enim tulissent audire Verbum ab incircumciso. Et cur? Vide præclarum opus. Circumcidit, ut Circumcisionem tolleret.*

III. De facto autem ad hunc finem Timothei circumcisio valdè profuit; sequitur enim v. 4. *Cùm autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Jerosolymis. Et Ecclesiæ quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.* Adjunctus ergo Paulo Timotheus quamvis adolescens, prudentiâ tamen ac scientiâ præveniente ætatem, prædicationis augmento adeò contulit, ut discipulus esset simul & magister. Nihil enim aliud quærens, quàm Christi gloriam & hominum salutem, serviebat Paulo ut filius Patri: ita enim eum commendat Philipp. 2. v. 20. *Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincerâ affectione*

pro vobis sollicitus sit: omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. Experimentum autem ejus cognoscite, quia sicut patri filius mecum servivit in Evangelio; ideòque 1. Cor. 4. v.17. eum vocat filium suum cariſſimum, imo 1. Theſſal. 3. v.2. fratrem suum, & Miniſtrum Dei in Evangelio Chriſti appellat.

IV. Virum tot virtutibus ornatum Epiſcopum Paulus ordinavit. Quando autem hoc contigerit, incertum eſt. Timotheum valdè juvenem, & paulò poſt Circumciſionem ordinatum fuiſſe, & Eccleſias adminiſtrare cœpiſſe, cenſet Chryſoſt. in cap.3. Eſaiæ, dicens: *Nam & Timotheus juvenis erat: is tamen sapientiùs quàm innumeri Senes Ecclesias administravit. Et Salomon annos natus duodecim cum Deo loquebatur, multáque erat dicendi fiduciâ instructus, ac Rex declaratus, coronatusque est*: Hinc Paulus 1. ad Timoth.4. v.12. *Nemo*, inquit, *adolescentiam tuam contemnat*, ac ſubdit: *noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*. Quibus indicat, cùm ad eum ſcriberet, fuiſſe jam ordinatum Epiſcopum & adhuc juvenem. Unde aliqui putant, quòd cùm annos natus circa 23. Paulum fuerit ſecutus, propè annum 30. fuerit ab ipſo Epiſcopus ordinatus. Neque obeſt, quòd 1. Theſſalon. 3. v.2. mittens eum Athenis Theſſalonicam, vocet *Ministrum Dei*, quaſi Diaconum, cujus eſt miniſterio inſervire. Nam Timotheus Theſſalonicam miſſus, & illa Epiſtola ſcripta fuit anno Chriſti 52., ſeu uno anno poſtquam Paulo adhæſerat: & ideo illo tempore, quo puri Miniſtri officium gerebat, & nondum Epiſcopus fuerat ordinatus, ſed ſolùm anno 57. vel 58.

V. Sed ut ad hiſtoriam redeamus; Timotheus S. Paulo acceſſit in itinere in Macedoniam, Philippos, Theſſalonicam & Berœam (Act.17. v.14. &c., qua in urbe unà cum Sila relictus eſt Fidelibus confirmandis anno Chriſti 51. deſinente. Interim cùm Paulus Athenas veniſſet, ſtatim Timotheum ad ſe accivit, ut de ſtatu Eccleſiæ Macedoniæ certiorem ipſum redderet. Qui cùm veniſſet, & Pauli deſiderio ſatisfeciſſet, miſſus iterum fuit Theſſalonicam ad firmandos Fideles aliquibus perſecutionibus agitatos. Inde unà cum Sila reverſus, de bono ſtatu illius Eccleſiæ Paulo, qui tunc erat Corinthi, retulit Act. 18. v.5. Inde paulò poſt, anno ſcilicet 52., datæ fuerunt ambæ ad Theſſalonicenſes Epiſtolæ, in quarum utraque Timothei & Silæ mentio fit, imo utraque eorum nominibus inſcribitur; quod ſignum eſt, eos tunc apud Paulum manſiſſe, nec earum latores, ut aliqui putarunt, extitiſſe.

VI. Succedentibus annis, & cùm biennio Paulus Epheſi mo-

moratus esset , ac optaret, relictâ Asiâ in Macedoniam & Achajam ire, ac tandem Jerosolymam (Act.19. v.21. & 22. nimirùm labente anno Christi 57.) Timotheum & Erastum præmisit in Macedoniam , fortè ut ibi pararent eleemosynas , quas Jerosolymam secum deferret . Subinde Timotheum misit Corinthum , sive ut exemplo suo Fideles illos ad virtutem magis magisque promoveret , sive ut veritates ab Apostolo jam insinuatas eorum mentibus altiùs imprimeret (1. Cor. 4. v.17.) Hinc aliquantò post ad Corinthios Paulus scribens sedulò illis Timotheum commendat , ut securus apud illos manens , in pace ad se tandem revertatur 1. Cor.16. v.10. & 11. : *Si autem* , inquit , *venerit Timotheus , videte , ut sine timore sit apud vos* : *opus enim Domini operatur sicut & ego . Ne quis ergo illum spernat* : *deducite autem illum in pace , ut veniat ad me* ; *expecto enim illum cum fratribus* . Quo loquendi modo apparet , Paulum cùm hauc Epistolam scripsit nondum rescivisse , quòd Timotheus Corinthum pervenisset . Dein Timotheus iterùm ad Paulum in Asia illum operientem reversus , cum eo simul in Macedoniam transiit , amborumque nomine inscripta est secunda ad Corinthios Epistola in Macedonia data , uti & nomine Timothei Romanos salutat Rom.16. v.21. in Epistola ad eos eodem anno Corinthi scripta .

VII. In Itinere , quod instituerat Paulus Jerosolymam , Timotheus eum comitatus fuit Philippos , eumque unà cum aliis præcedens sustinuit Troade . Sequenti verò tempore , quo Paulus ivit Jerosolymam , quo Cæsareæ carcere detentus , & inde Romam transmissus , ubi biennio in vinculis mansit , de Timotheo Acta non loquuntur ampliùs . Verùm cùm numeretur Act.20. v.4. inter illos , qui Paulum in itinere Jerosolymam secuti sunt , ubi Apostolus in carcerem detrusus est , atque inde Cæsaream , postea Romam transmissus , numquam ab Apostolo eum divulsum fuisse credendum est : eò vel maximè , quòd Romæ fuisse illum constat , cùm Paulus ibi ad Philippenses , ad Colossenses , & ad Philemonem Epistolas anno 60. 61. 62. scripsit , quæ Pauli & Timothei nomen præseferunt. Arguunt multi, Timotheum Romæ fuisse cum Paulo , ubi cap.13. v.23. dicit : *Cognoscite* (idest humaniter excipite) *Fratrem nostrum Timotheum dimissum , cum quo (si celeriùs venerit) videbo vos* , Illud enim verbum *Dimissum*, exponunt aliqui dimissum è carceribus, alii verò dimissum Româ à Paulo ad aliqua peragenda , & hoc indicat verbum illud : *Si redierit* : ideòque videtur Timotheus tunc non fuisse Romæ cum Paulo; fuisse tamen ad eum brevi rediturùs .

VIII. Porrò

VIII. Porrò Timotheum ad Paulum rediisse apparet, quia ipsum comitatus fuit, dum in Orientem iret, & saltem dum ab Asia in Macedoniam transiret anno 64. vel 65., illum Ephesi reliquisse, ut tamquam Episcopus Ecclesiam illam gubernaret, ac in multis reformaret, ut 1. ad Timoth. 1. v. 3. & 4.: unde primus, qui eam ut Episcopus rexit, à Concilio Chalcedonensi agnoscitur Timotheus: quod testatur etiam Eusebius L. 3. hist. cap. 4. Cùm autem Romam Paulus rediisset, ac proximus Martyrio esset, alteram ad Timotheum dedit Epistolam, in qua non obscura amoris erga carissimum filium exhibens argumenta, eum rogavit, ut ante ineuntem hyemem Romam veniens secum deferat ea, quæ Paulus Troade reliquerat 2. ad Timoth. 4. v. 10. &c. Si roganti Timotheus (ut facile creditu est) acquievit, Martyrio Pauli adfuit, eumque morientem suis oculis vidit. Post mortem Pauli Timotheum Ephesum rediisse, cujus Ecclesia fuerat illi concredita, verisimile est. Estò enim tunc S. Joannes Evangelista ibi versaretur, non tamen se ut Episcopum uuius particularis Ecclesiæ gerebat, sed ut Apostolus superiori auctoritate omnibus simul Asiæ Ecclesiæ præsidebat.

IX. Ex prima ad Timotheum Epistola colligitur, eum austeram vitam ab adolescentia duxisse, adeò ut solùm aquam biberet: sed quia infirmitate præsertim stomachi laborabat, ideò S. Paulus cap. 5. v. 23. præcipit ei, ut modico vino utatur: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*. S. Gregorius L. 27. Moral. cap. 18., & homil. 4. in Evangelia quærit, cur Paulus Timotheum sibi carum ac fidelem adjutorem non statim prece sanaverit, sed ad humana remedia remiserit: dicens: *Meliten veniens, & plenam Infidelibus Insulam sciens Patrem Publii dyssenteriâ febribusque vexatum orando sanavit. Peregrinationis verò suæ comitem & sanctæ prædicationis adjutorem Timotheum ex infirmitate stomachi lassescentem non verbo curat, sed medicinali Arte reparat dicens:* „ Modico vino utere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates. „ *Qui ergo infirmum Infidelem unâ prece salvat, cur & ægrotum socium prece non roborat?* Respondet. *Quia nimirùm ille foris per miraculum sanandus erat, qui interiùs vivus non erat, ut per hoc quòd exterior potestas ostenderet, hunc ad vitam interior virtus animaret. Ægrotanti autem fideli socio exhibenda foris signa non fuerant, qui salubriter intus vivebat.* Cur autem Timotheo, qui adeò & quidem cum tanto fructu Ecclesiæ inserviebat, tot infirmitatibus laborare permiserit, ad moralem nostram doctrinam fusè expendit Chrysostomus homil. 1. ad Populum An-

Antiochenum. Timotheum mansisse cælibem conveniunt omnes.

X. De S. Timothei exitu feruntur Acta quædam sub Polycratis nomine, ex quibus discimus, occasione magnæ celebritatis, quam Ethnici Ephesini die 22. Januarii (anno Christi 97.) agebant, Catagogium dictam, in qua delatæ Deorum Imagines, personati viri atque armati incedebant, nefandas turpitudines committentes, S. Timotheum zelo Dei accensum in Turbas irruisse pro viribus superstitioni resistentem; sed ab Idololatris lapidibus seu fustibus impetitum ac oppressum interiisse. Ita Photius Cod. 254. dicens: *Refert historia, Timotheum primum Ephesi Episcopum fuisse, clavâque interfectum, propterea quòd prohibuisset Ephesios execranda & cruenta Gentium festa, quorum unum appellatum fuit* Catagogium, *quod quia ille abrogarat, Martyrii honore affectus est. Domitianus tunc Romanum Imperium tyrannus gerebat*. Quid autem esset istud *Catagogium*, narrat Photius infra sic: *Est apud Ephesios abominabile & execrandum festum, quod* Catagogium *nuncupant: & hoc celebratur hoc modo: Indecoris se larvis induunt, ac, ne agnoscantur, personis facies obtegunt, multaque Idola circumferentes, & quædam carmina cantantes, invadunt Viros & honestas Feminas more Latronum, multamque committunt cædem in publicis locis Civitatis, & promptè nefaria committunt, & sceleribus illis illegitimis gloriantur tamquam legitimis*.

In occasione Martyrii conveniunt cum Græcis Latini, differunt tamen, quòd illi fuste cæsum volunt: ajunt enim in Menologio die 22. Januarii: *Sanctus verò Timotheus... videns aliquandò Græcos abominabilem Idolis festum diem celebrantes, promiscuè Mares & Feminas indigna patrare, accurrens ad illos monensque, ut à pravitate desisterent, tantùm absfuit, ut quidquam proficeret, ut potiùs ab iis interfectus fuerit scipionibus, quos præ manibus tenebant, in ipso Civitatis aditu*. Hi verò, ideſt Latini, lapidibus necatum volunt: sic enim in Martyrol. Rom. die 24. Januarii hæc habent: *Natalis S. Timothei Discipuli Beati Pauli Apostoli, qui ab eodem Ephesi ordinatus Episcopus, post multos pro Christo agones, cùm Dianæ immolantes argueret, lapidibus obrutus, paulò post obdormivit in Domino*. Possunt tamen conciliari dicendo, primò lapidibus fuisse impetitum, deinde scipione percussum interiisse.

XI. Dubitari hic solet, an comminatio illa, quam Joannes in Apocalypsi cap. 2. Dei nomine facit Angelo, ideſt Episcopo Ephesi, directa fuerit ad Timotheum, quasi ipse caritatem suam pri-

primam remiserit: ideòque moneatur unde exciderit, & ut agat pœnitentiam &c. Hoc dubium tetigi supra Cap.5. de Sancto Joanne §.4. num.7.

Si tamen, ut ibi dixi, supponatur Timotheum Martyrio coronatum fuisse Domitiani Imperio desinente, & S. Joannem sub Nerva ab exilio reducem Apocalypsim evulgasse, dici debebit, minas illas non cadere in Timotheum, qui è vivis excesserat, sed in alium, qui in ejus vices subiutrasset, & fortè etiam in S. Onesimum, qui ejus in Episcopatu Ephesino Successor ponitur. Multi minas illas spectare putant ad membra quædam illius Ecclesiæ, quæ à pristina caritate exciderant. Alii tamen directas eas esse volunt ad Episcopum ipsum, quem vocat Angelum Ephesi Ecclesiæ, sive is fuerit Timothei Successor, sive ipse Timotheus adhuc vivens. Nec hoc ejus Sanctitati præjudicat. Nam etsi à prima caritate excidisset, eam tamen fortiter tolerato Martyrio reparavit. Cùm etiam Viri sancti, dum sunt in hac vita, possint in caritate tepescere, ad quam tamen pœnitentiâ ante mortem iterùm accensi fortia quæque pro Christo aggredi parati sunt.

XII. S. Timothei Corpus Ephesi jacuit sepultum, donec inde Constantinopolim translatum fuit. Quando autem facta fuerit hæc Translatio, controvertitur. S. Hieronymus à se ipso dissentire videtur. Nam in Additione ad Chron. Eusebii dicit, eam fuisse factam anno 19. Constantii, & L. de Script. Eccles. in Luca apertè dicit, anno sequenti nempè 20. Constantii Ossa S. Andreæ & Lucæ Constantinopolim fuisse translata: at in Lib. adversùs Vigilantium ponit, eam fuisse factam à Constantino, sic enim ait: *Sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas Reliquias Andreæ & Lucæ & Timothei transtulit Constantinopolim, apud quas & Dæmones rugiunt?* Idem dicit S. Paulinus Carm.26.: nec dici potest hic poni *Constantinum* mendosè pro *Constantio*. Nam verba hæc Constantio applicari non possunt, quem Arianum fuisse omnes norunt. Dicendum potiùs videretur, Constantinum in animo quidem habuisse, & ad hunc finem Ecclesiam ædificasse, sed morte præventum anno 337. opus perficiendum Constantii filio reliquisse, sub quo anno Imperii sui 19., & Christi 356. Reliquiæ S. Timothei translatæ fuerunt, & anno 20. Reliquiæ S. Andreæ & Lucæ. Cœterùm sub Constantio non sub Constantino hoc esse factum asserunt Theodorus Lector L.2. Collectar. Ado 24. Januarii & Græci in Menolog. 30. Novembris in Andrea, & 18. Octobris in Luca. Ejus Ossa & Reliquias Dæmones expulisse, dicit Chrysostomus homil.1. ad Popul. Antioch.

CAPUT V.

De Sanctis Philippo Diacono, & Herma.

§. I.

De S. Philippo.

I. DE S. Philippo inter Diaconos secundo paucis me expediam. De eo enim locutus sum Cap.1. de S. Petro §.4. num.4.; & §.5. num.3. & sequentibus ejus prædicationem in Samaria, Eunuchi Baptismum, & alia prosecutus sum, quæ Lector videre poterit. Capite etiam 8. agens de S. Philippo Apostolo §.2. aliqua quoque de filiabus ejus dixi. Solùm ergo ea quæ præfatis locis dixi, quasi compendio repetam.

II. Philippus ergo Cæsaream Palæstinæ patriam habuit, uxorem habuit, & quatuor filias. Dum Act.6. ageretur de Diaconorum electione ipse propositus ac electus secundo loco fuit, tamquam Vir boni testimonii, & Spiritu Sancto plenus: quæ electio eodem Passionis Christi anno contigisse creditur. Occiso Stephano ac Fidelibus huc illucque dispersis, Philippus zelum annuntiandi Christum continere non valens, Samariam seu Sebastem Samariæ Urbem præcipuam, sive ut persecutionem declinaret, sive illuc ut putat Cyprianus Epist.73. ab Apostolis missus, se contulit. Ibi primus Evangelium prædicavit, ideòque à S. Luca Act.21. v.8. Evangelistæ nomine ornatur, ac tantâ plenitudine Spiritus Evangelicam Resurrectionis Christi Veritatem annuntiabat, signis quoque ac prodigiis eam roborantibus, ut Act. 8. v.6. &c. Lucas dicat: *Intendebant autem Turbæ his quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes & videntes signa quæ faciebat. Multi enim eorum, qui habebant Spiritus immundos, clamantes voce magnâ exibant: Multi autem paralytici & claudi curati sunt.* Quæ videns ipse Simon Magus, professus est se credere, ac Baptismum petens, illum à Philippo obtinuit, eique specietenùs adhærens, signa quæ videbat stupens admirabatur. Act.8. 13.

III. Perlatâ ad Apostolos, qui erant Jerosolymis, tantæ Conversionis famâ, miserunt Petrum & Joannem: qui cùm venissent pro recenter conversis orantes, imponentes eis manus, dabant eis Spiritum Sanctum. Quod cùm vidisset Simon, obtulit ei pecuniam dicens v.19.: *Date & mihi hanc potestatem, ut cui-*

cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Quâ autem indignatione sacrilegam hanc petitionem rejecerit Petrus, omnibus notum est: *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri*. De hoc egi supra cap. 1. de S.Petro §.5. à num.3., ubi etiam causam assignavi, quarè Philippus Diaconus Spiritum Sanctum à se Baptizatis non dedit. Ibi etiam de Eunucho Reginæ Candacis à Philippo baptizato num.6.&c. locutus sum; ubi ostendi, quis ille, & quæ Candaces Regina fuerit. Cur iste, & non alii, acceperit unà cum Baptismo Spiritum Sanctum. Primus fuisse creditur, qui in Æthiopia Evangelio imbuit Abyssinos, cujus mentio in collatione Baptismi apud ipsos fieri dicitur. Post Eunuchi conversionem & discessum Act.8. v.40. dicitur: *Philippus autem inventus est in Azoto* (Urbe in Sorte Tribus Judæ, diù tamen à Philistæis detenta) *& pertransiens evangelizabat Civitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream*.

IV. Post hæc Scriptura nobis non exhibet Philippum nisi Act. 21. v.8. hoc est ab anno 34. usque ad 58., ubi dicitur, quòd cùm Paulus cum Sociis venisset Cæsaream, hospitatus fuit in domo Philippi, cui erant quatuor filiæ virgines. Ex quo censent aliqui, & toto illo temporis spatio Cæsareæ domi suæ unà cum filiabus suis mansisse, ibique, ut jam citato loco dixi, vitam, & fortè etiam Martyrio, clausisse, si Dorotheo fides est. Latini tamen 6. Junii, & Græci 11. Octobris dicunt, eum in pace obdormisse; adduntque Græci, eum Tharallis in Asia Episcopum fuisse.

§. II.

De S. Herma.

I. S. Hermas, de quo hìc sermonem instituo, creditur fuisse ille, cui inter alios salutem dicit Paulus Rom.16.v.14. *Salutate .... Hermam, Patroban, Hermen, & cæteros Fratres*: quibus apparet, Hermam & Hermen (de quo aliquid infra) fuisse distinctos. Hermas iste vulgò existimatur Auctor libri dicti *Pastoris*. Ita Origenes ad Rom., Eusebius L.3. hist. cap.3., Hieronymus L. de Script. Eccles. cap.10., & alii tum Veteres, tum Recentiores, inter quos Sixtus Senensis L.2. Biblioth. Sanctæ in Herma. De libro Pastoris ejusque in Ecclesia auctoritate egi Tom.1. Verit. Relig. Christ. cap.4. de Libris Apocr. §.7. & inferiùs aliqua addam. Quis autem & qualis fuerit Hermas, ex eodem libro colligam. II. Pu-

II. Putat Doduvellius, Hermam fuisse non solùm Fidelem sed & Presbyterum, in conjugio tamen vixisse, & ex eo liberos suscepisse, quamvis postea revelatione didicerit, uxorem se tanquam sororem habiturum. Verè tamen fuisse Laicum omnes conveniunt, revelationem autem de ea habenda ut sorore, non esse de continentia cum ipsa deinceps servanda, sed esse de ea trahenda ad Fidem Christi: erat enim fortè adhuc Pagana. Veriùs tamen crediderim, verba illa *habenda ut sorore* non esse referenda ad uxorem, sed aliam feminam, quam cùm juvenis esset viderat. Dicit enim in initio libri Pastoris: *Qui enutriverat me, vendidit quamdam puellam Romæ. Post multos autem annos hanc visam ego recognovi, & cœpi eam diligere ut sororem. Exacto autem tempore aliquo lavari eam in flumine Tiberi vidi, & porrexi ei manum & eduxi eam è flumine. Visâque eâ cogitabam in corde meo dicens: Felix essem, si talem uxorem & specie & moribus sortitus essem. Hoc solùm, nec ultra quidquam cogitavi*. Ita de se ipso Hermas.

III. Verùm cùm aliquantó post in hac cogitatione proficiscens honorificaret Creaturam Dei, cogitans quàm magnifica & pulchra sit, factum est, ut somno correptus visus sibi sit rapi in locum quemdam præruptum, quo superato, cùm ad planitiem devenisset, & Deo confiteri cœpisset peccata sua, vidit aperiri Cœlum, & mulierem quam concupierat, de Cœlo eum salutantem. Et interroganti illi, quid ibi ageret, dixit, se missam à Deo, ut argueret ipsum, quia in se ipsam peccavit. Et respondente Hermâ, quomodò in te peccavi, quam semper reveritus sum ut Dominam, & dilexi ut sororem? Illa subridens ait, In corde tuo tamen admisisti & coluisti pravam cogitationem & concupiscentiam de me. Hanc depone, hanc luge, & sanabit Deus peccata tua & totius domus tuæ. Quo dicto ab oculis ejus evanuit, & clausi sunt Cœli. Hermas autem mœrens cogitabat, quomodò placaret Dominum: cùm vidit contra se stare Cathedram de lanis candidis, & Mulierem anum venientem ad se in veste splendida & habentem librum in manu sua, quæ salutavit eum & dixit: *Quid mœstus es Herma, qui eras patiens & modestus & semper bilaris?* Et respondente illo: *Quia contumelia mihi objecta est à muliere optima dicente, quòd peccavi in eam*; dixit: Displicere quidem Deo, quòd servus suus admittat in se concupiscentiam pravam; sed addidit, Deum non causâ sui esse iratum, sed contra domum suam, quia filii ejus nefariè viverent, & ipse, cùm sit amator eorum, dimisit illos conversari violenter; propter hoc iratum esse Deum: & propter hoc cùm

ante divitiis abundaret ad egestatem redactum esse, ut Deo liberiùs inserviret. Intellexit Hermas; & sic finis primæ Visionis fuit.

IV. Anno sequenti eadem Anus in visu ei apparuit eodem in habitu ut ante, sed legens libellum quemdam, dixitque Hermæ, se libellum illum ei daturum, ut ipsum exscriberet & traderet Electis Dei. Hermas acceptum librum sigillatim litterâ ad litteram transcribere conatus fuit, sed syllabas combinare non poterat. At quindecim post dies præmissis jejunio & precibus, intelligentiam libri ei aperuit. Hoc enim monebatur, ut & uxoris suæ linguam maledicam & filiorum peccata compesceret, cum securitate indulgentiæ illis à Deo consequendæ, si ex toto corde ad Deum converterentur. Interim ipse non meminisset injuriarum filiorum, sed curaret, ut à pristinis erratis resipiscerent; moneretque Ecclesiæ Rectores, ut omnia secundùm justitiam agerent, & cunctos Fideles, ut ad imminentem persecutionem forti animo se præpararent. Cupienti autem Hermæ scire, quæ esset Anus illa, à juvene specioso in somnis revelatum fuit, Anum illam esse Ecclesiam Dei, ideòque sub specie Anus se ei præsentasse; quia omnium prima creata est, & propter illam Mundus factus est.

V. Post hæc eadem Anus tertiò sese Hermæ exhibuit in domo sua, eumque interrogavit, an libellum illum tradidisset Senioribus, & respondente illo: Adhuc non: illa dixit: Benè fecisti, asserens, se aliqua verba ei edicere velle; dixit ergo: *Scribes duos libellos, & mittes unum Clementi* (Papæ) *& unum Graptæ* (quam putant aliqui Diaconissam fuisse) *Mittet autem Clemens in exteras Civitates, illi enim permissum est. Grapte autem commonebit Viduas & Orphanos. Tu autem leges in hac Civitate cum Senioribus, qui præsunt Ecclesiæ*. Ex hoc postremò volunt aliqui, Hermam fuisse unum ex Presbyteris, sed, ut dixi, eum saltem tunc fuisse Laicum, verius judico.

VI. Alias visiones habuit Hermas, visionem nempè ædificii Ecclesiæ & diversorum statuum, qui eam componunt, & hoc post aliquot dies in agro & in meridie. Revelata ei etiam fuit persecutio, quæ ventura erat, & hæc in itinere Campaniæ sub figura Belluæ monstruosæ. Aliâ vice Angelus Pœnitentiæ, quem ipse Pastorem vocat, ei apparens, varias instructiones eum scribere jubet, varias etiam Imagines in sui & aliorum utilitatem ostendit, præcipiens ei, ut prædicet pœnitentiam, promittens ei ex hoc magnum bonum se assecuturum. Promtè implevit hoc munus Hermas, indeque Ecclesia multùm profecit, quam-

quamvis obdurati ſcandalizati potiùs fuerint. Hæ ſunt, quas Hermas in libro Paſtoris Viſiones narrat, quas ſummatim ne prolixus eſſem perſtrinxi. Liber iſte Tom.1. Biblioth. Patrum adhuc legitur, ejuſque extenſam narrationem exhibet Fleury Hiſt. Eccleſ. Tom.1. Lib.2.

VII. Quantæ auctoritatis olim fuerit in Eccleſia, & quantæ modò habendus ſit liber Paſtoris, ſatìs demonſtravi loco ſupra citato Cap.4. de Libris apocr. §.7. Tamquam rem Divinam illum reputat Clemens Alexandr. L.1. Strom.; Athanaſius L. de Incarn. de Decretis Nicenæ Synodi, & alibi Librum utiliſſimum appellat, eum citát unà cum Sacris Scripturæ Libris: Arianos eo, quamvis in Canone non eſſet, uſos fuiſſe affirmat. Idem ſenſerunt Irenæus L.4. cap.37. eo utens contra Hæreticos: Origenes, nedum utilem, ſed tanquam à Deo inſpiratum putat; Tertullianus adhuc Catholicus de Orat. cap.12. benè de eo ſentit, quamvis factus Montaniſta L. de Pudicitia cap.10. illum aſpernetur. S. Maximus ipſe ſeptimo ſeculo eum cum Daniele citat. Alii tamen ſuſcipiebant quidem illum tanquam utilem, non tanquam Divinæ auctoritatis. Ita refert Euſebius L.3. hiſt. c.3. his verbis: *quoniam verò Apoſtolus Paulus in ſalutationibus illis, quæ ſub finem Epiſtolæ ad Romanos leguntur, inter cæteros mentionem fecit Hermæ, cujus eſſe fertur is liber, qui Paſtor inſcriptus eſt: ſciendum eſt, eum librum à nonnullis quidem in dubium eſſe revocatum; quamobrem inter receptæ auctoritatis libros cenſeri non poteſt. Ab aliis verò maximè neceſſarius judicatur, iis præſertim qui primis Religionis noſtræ elementis inſtituendi ſunt: unde etiam in Eccleſiis eum publicè legi comperimus, & quoſdam ex vetuſtiſſimis Scriptoribus ipſius teſtimonio uſos fuiſſe*. Ita Euſebius. Procedente tempore hujus Libri auctoritas declinare cœpit. S. Proſper in Collat. cap.30. rejicit teſtimonium, quod ex eo Caſſianus trahebat, tamquam nullius auctoritatis; & Concilium Romanum ſub Gelaſio inter apocrypha illum rejicit: quod tamen intelligendum puto, apocryphum declaratum fuiſſe, non quaſi continens doctrinam Fidei contrariam, ſed tamquam non Divinum; nec ideò potens ad res Fidei confirmandas ſolidum præbere argumentum.

VIII. Ex hactenùs dictis compertum eſt, Auctorem libri Paſtoris non fuiſſe Hermam Pii I., qui Eccleſiam circa annum 154. regebat, Fratrem, ideſt centum ferè annis poſteriorem; is enim non potuit eſſe ille, quem Paulus ſalutat, nec uſque ad tempora Pii ſuperſtes. Imò quomodò potuiſſent Veteres tamquam Scripturam Sacram afferre Opus recentis & coævi Auctoris,

ris, & maximè S.Irenæus L.4. cap.37., qui tempore Pontificatus Pii in vivis erat, si ab Herma ejus fratre editus fuisset? Auctor ergo libri Pastoris fuit Hermas alter S. Pauli Discipulus, qui temporibus S. Clementis Papæ (ut in eo indicatur) anno 92. paulò ante Domitiani persecutionem illum edidit. De hoc Ado, Usuardus, & Martyrol. Rom. die 9. Maii festum agunt: Græci autem in Menologiis die 4. Novembris 8. Martii, & 5. Octobris, ubi eum vocant Apostolum, ex 72. Discipulis, & faciunt Episcopum Philipporum in Macedonia, sive Philippopolis in Thracia. Martyrologium tamen Romanum facit eum Romæ virtutibus clarum quievisse.

CAPUT VI.

De Sancto Dionysio Areopagita.

§. I.

De ejus Conversione & Atheniensi Episcopatu.

I. Dionysium Areopagitam dictum, quia erat unus ex Judicibus, qui Athenis in Areopago sententiam proferebant, Christi Fidem amplexum fuisse eà Concione, quam in eodem Areopago S. Paulus habuit, superiùs indicavi Cap.2. de S. Paulo §.11. num.15. Hunc S. Cæsarius S. Gregorii Nazianzeni frater in Dialogis ejus nomen præferentibus putat, originem ex Thracia traxisse, Atheniensi tamen Civilitate donatum. Communiter verò existimatur, eum origine & nativitate Civem Atheniensem fuisse, cum S. Chrysostomo L.4. de Sacerdotio cap.7. Is Areopagi (*Areopagos enim Atheniensium Curia vocabatur* ait August.Serm. modò 150.) Judex, seu, ut aliqui volunt, Princeps erat. De eo post ejus conversionem ad Fidem, quæ narratur Act.17. v.34., Scriptura ampliùs non loquitur. Et propterea circa ejus Gesta & exitum Auctores in diversas sententias abierunt.

II. Conveniunt tamen omnes, Dionysium Areopagitam fuisse primum Atheniensium Episcopum à S. Paulo ordinatum. Hoc refert ex Dionysio Corinthiorum Episcopo L.3. hist. cap.4. & Lib.4. cap.23. Eusebius: & Græci omnes ac Latini subscribunt. Quoad reliqua, Græci in Menologio Basilii hæc habent die 3. Octobris: *Magnus Dionysius in urbe Athenarum unus ex iis, qui gloriâ divitiis & sapientiâ excellebant, in eo, quem Areopagum* vo-

vocant, causarum Judex erat. Cùm verò Sanctus Apostolus Paulus Athenas profectus, Christum prædicaret, uti erat acri ingenio, veritatem facilè intellexit, & in Christum credidit; baptizatusque Athenarum Episcopus ordinatur, multosque Græcorum docuit, & ad Deum conversos baptizavit. Didicit etiam arcana Dei mysteria à Sancto Hierotheo Episcopo, & multos Libros de Cælestibus Virtutibus conscripsit. Delatus autem ad Athenarum Præfectum ab Idololatris, comprehenditur cum duobus Discipulis; cùmque multa tormenta subiissent, primus quidem ipse decollatur, qui suis manibus caput ad duo milliaria sustulit, nec priùs deposuit, quàm Christianæ Feminæ obviàm factus, illud ei tradidit. Postea & duo ejus Discipuli capite obtruncati sunt. Ita Græci.

III. Latini autem in Martyrol. Rom. die 9. Octobris ajunt: *Lutetiæ Parisiorum natalis Sanctorum Martyrum Dionysii Areopagitæ Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherii Diaconi: ex quibus Dionysius ab Apostolo Paulo baptizatus, primus Atheniensium Episcopus est ordinatus: deinde Romam veniens, à Beato Clemente Romano Pontifice in Gallias prædicandi gratiâ directus est; & ad præfatam Urbem deveniens, cùm ibi per aliquot annos commissum sibi opus fideliter prosequeretur, tandem à Præfecto Fescennino post gravissima tormentorum genera unà cum sociis gladio animadversus, Martyrium complevit.* Hic aliqua tacentur, quæ in Menologio afferuntur, & ab opposito aliqua afferuntur, quæ ibi tacentur. Tacetur hic, quòd Dionysius à Hierotheo de Divinis arcanis instructus multos de Cœlestibus Virtutibus Libros conscripserit. Tacetur, quòd Caput sibi abscissum propriis manibus ad duo milliaria prodigiosè portaverit. Hoc tamen, ut Baronius ibi notat, afferunt etiam Hilduinus ex Visbio, Metaphrastes & Nicephorus L.2. hist. cap.20. Ab opposito autem hic asseritur missio Areopagitæ in Gallias, ejusque Parisiis Martyrium, cujus ibi nulla mentio fit, imò supponitur, Athenis mansisse, & illic Martyrium consummasse. De quo magna inter Recentiores controversia est, ut infra dicam.

IV. Discordia etiam est circa annum Martyrii S. Dionysii. Quidam enim, ut refert Baronius ad annum 109. num.39., volunt, eum sub Domitiano illud passum fuisse: ita ex Græcis Metaphrastes in Dionys. die 9. Octobr., & ex Latinis Hilduinus in Areopagit., & Hincmarus Lugdunensis Episcopus, & alii. Verùm hæc pugnant cum Epistola ipsius Dionysii ad Joannem Evangelistam, dum esset in Pathmos scripta, in qua dicit, brevi eum fore ab illa relegatione solvendum, & brevi mutuò fruituros esse congressu: verba Epistolæ sunt: *Post paululùm verò* (*di-*

(*dicam, etsi audax dictu videatur*) *tibi carissimâ societate jungemur. Ero autem prorsùs dignior, cui fides habeatur, si, quæ tibi præcognita sunt, quæ ex Deo didici, hæc loquar: quod scilicet ex Pathmi custodia dimittendus es liber, & in Asiaticam terram reversurus*. Quæ cùm ex Dei revelatione se dicere profiteatur, oportuit impleri; impleta autem non fuissent, si sub Imperio Domitiani Martyr occubuisset; cùm nisi post necem Domitiani sub Nerva Joannes ab exilio redux fuerit: refert etiam hoc Michael Syncellus. Insuper idem Dionysius in lib. de Divinis Nominibus (quem præfati Auctores admittunt) affert testimonium ex Epistola S. Ignatii ad Romanos; S. autem Ignatium sub Trajani anno circiter undecimo Martyrium passum fuisse creditur; igitur Dionysius multis annis Domitiano superstes fuit. Demum si idem qui supra Hincmarus dicit, Dionysium Martyrium fuisse passum post Clementem Papam, cùm is sub Trajano passus fuerit, quomodò sustinere potest, Dionysium sub Domitiano Martyrem obiisse?

V. His igitur dimissis, veriùs dicendum est, S. Dionysium sub Trajano vitam clausisse. Ita Michael Syncellus Presbyter Jerosolymitanus noni seculi Scriptor, qui Dionysii Vitam ex iis, quæ à Majoribus scripta invenerat, se contexisse profitetur. Quin Beda & Ado in Martyrol. initia saltem Hadriani Imperii eum attigisse volunt. Quarè Dionysium, vel sub finem Imperii Trajani, vel in initio Hadriani, probabilius est Martyrium consummasse. Ita laudatus Syncellus his verbis: *Beatum ejus agonem in postremis Trajani Regni diebus fuisse accepimus. Nam in quarto narrationis de Divinis Nominibus capite, ubi amoris appellationem laudat, dicit* „Jam verò quibusdam ex nostris Sacrorum Tractatoribus visum est, amoris nomen quàm dilectionis esse divinius: scribit enim & Divus Ignatius, Amor meus Cruci suffixus est„. *Hoc enim verbum Divinus Ignatius extremo supplicio Romæ dimicaturus, ac Leonibus imperio Trajani Regis cibus projiciendus, circa nonum Regni ipsius annum desævientis contra Christianos pietatis amantissimos, Romanis per Epistolam scripsit. Ut hinc liqueat, sub finem tyrannicæ sævitiæ, ut pridem diximus, Dionysium Sacrorum interpretem mortem occubuisse*. Deinde hoc idem probat ex Epistola, quam Dionysius scripsit ad Joannem Evangelistam, dum esset in Pathmos, de qua supra locutus sum.

VI. Quoad ætatem, in qua S. Dionysius Martyrium consummavit, recedendum puto à supradicto Syncello, qui scribit septuaginta annos Apostolicum cursum percurrisse; nisi fortè ibi non annos vitæ, sed annos prædicationis recensere voluerit. Ut enim

enim observat Baronius ad annum 109. num.50., multò longiùs vitam produxit Dionysius: nam ut ipse ad Apollophanem scribens testatur, tempore obitus Salvatoris, quo contigit admirandum illud Solis deliquium, annum ætatis vigesimum quintum agebat. Si ergo ad finem Imperii Trajani ejus Martyrium, vel ad Hadriani initia protrahimus, annum supra centesimum eum tunc egisse dicendum erit, & ferè centesimum nonum, ut ex Chronologia apparet. Nec mirum esse debet, sed ad Divinam potiùs Providentiam referendum, quæ aliquos ad tantam ætatem tunc perduxerit, ut Apostolicarum Traditionum essent veluti quædam viva monumenta. Sic Ignatium, qui Dominum in carne vidisse traditur, ut ex Hieron. de Script. Ecclesf. c.16.: sic Quadratum, qui temporibus ejusdem Trajani post Dionysium Ecclesiam Atheniensem administravit; hic complures se vidisse tradit, qui tempore Christi à variis languoribus sanati erant, qui à mortuis excitati à Christo fuerant. Unde S. Hieronymus L. de Script. Ecclesf. cap.19. de Quadrato refert, quòd *antiquitatem suæ ætatis ostendens ait, plurimos à se visos, qui sub Domino variis in Judæa oppressi calamitatibus sanati fuerant, & qui à mortuis resurrexerunt*. Sic præter alios Simeonem Episcopum Jerosolymorum usque ad centesimum vigesimum annum servasse traditur.

§. II.

De S. Dionysii in Gallias Adventu.

I. DUplex de S. Dionysio Areopagita à Recentioribus agitatur quæstio. Una, an Scripta, quæ à multis seculis sub ejus nomine feruntur, genuini partus illius sint an potiùs suppositi. Altera, an Dionysius, qui in Gallias adventavit, & Parisiensem rexit Ecclesiam, fuerit Areopagita, an alius diversus. De priori aliqua dixi de Vita Christi c.40. §. 4. n.20. &c. quæ recolenda sunt: non enim præsentis instituti puto esse, ulteriora subjungere.

II. Alteram ergo quæstionem, quæ non minori contentione inter Recentiores agitatur, examinandam pro viribus suscipiam. Qui volunt, Dionysium Parisiensem Episcopum eundem esse ac Areopagitam (inter quos Baronius in Annalibus, & præcipuè in Notis ad Martyrol. diei 9. Octobris) volunt causam hanc fuisse ante annos octingentos controversam & finitam, & solùm à Recentioribus iterùm in controversiam vocatam.

Fundant hoc primò in auctoritate Hincmari Remensis, qui nono seculo scribens ad Carolum Calvum Imperat. rem hanc tanquam certam testatur dicens: *Patrem vestrum Dionysium esse Areopagitam à Beato Paulo Apostolo baptizatum, & Athenienseni ordinatum Episcopum, & in Gallias à Beato Clemente directum, ex his quæ Græca testificatio, & S. Romanæ Ecclesiæ attestatio, & Gallicana intimat contestatio, ratum in hac causa (quod longè ante nos dictum est) recognoscant.* Cùm igitur dicat Hincmarus, se hoc hausisse ex Græca testificatione, S. Romanæ Sedis attestatione, & Gallicana contestatione, hoc triplici testimonio probare conantur Latini.

III. Ex Græcis ergo: Cùm enim seculo nono cœptum fuerit aliqualiter de hoc dubitari, Methodius Patriarcha Constantinopolitanus & Martyr ante annum 818., quo Romam venerat Imperatoris Orientis Legationem gerens, cùm adhuc esset in Græcia, scripsit vitam S. Dionysii Areopagitæ, quam secum Romam allatam Paschali Papæ obtulit, in qua expressè tradit, eum missum cum sociis in Gallias fuisse, his verbis: *Beatus quoque hic Dionysius Crucis aratro mare diffindens Athenis Romam à cœlesti Divinaque voluntate, ut à Deo delectus, per viam deductus venit. Ingressus, cùm Beatum Clementem invenisset, qui Apostolicæ Sedis potestatem habebat, ab eo cum digno honore statim, ut vires suppetebant, receptus est.* Et infra: *Tum* S. Dionysius *misso in Aquitaniæ partes S. Antonino, ipse cum S. Luciano, S. Rustico, & Sancto Eleutherio ad Urbem Parisios profectus est.... Ipse verò S. Dionysius Parisiis mansit.* Nec reponat Launojus, Methodium accepisse hæc ab Hilduino primo fabulæ hujus inventore ac incentore. Nam si attentè consulat Epocham, inveniet priùs scripsisse Methodium quàm Hilduinum. Nam ut dixi Methodius vitam S. Dionysii elaboraverat antequam Romam veniret: venit autem anno 818., ut testantur Cedrenus, Glycas, & Constantinus Manasses. Porrò Hilduinus vitam S. Dionysii non conscripsit ante annum 835. (saltem sexdecim annis post) eo scilicet anno, quo Ludovicus Pius restitutus fuit in Regnum: Tunc enim ab eodem jussus fuit Hilduinus vitam S. Dionysii adornare, ut constat ex Epistola & mandatis Imperatoris ad ipsum datis. Dicere ergo potiùs Launojus potuisset, Hilduinum ex Methodio exscripsisse. Sed quidquid sit;

IV. Hoc idem testatur Michael Syncellus Hierosolymitanus, de quo supra, qui in eleganti Panegyri de S. Dionysio Areopagita, ubi postquam S. Dionysii accessum ad Gallias memorasset, de ejus Martyrio locuturus, dicit, quòd cùm annuntia-

tiatum esset persecutoribus, cum Parisiis tunc parvo Oppido consistere, eò accurrerunt, ac ipsum cum sociis Rustico & Eleutherio comprehenderunt. Deinde narrato, quòd post plura certamina tàm ipsi quàm sociis caput amputarunt, in laudem Parisiensis Urbis erumpens: *Quàm verè*, inquit, *beata Parisina Civitas, quæ amplitudine quidem inter Galliæ Civitates est minor; dum verò te, o Doctorum præstantissime, thesaurum sensibilibus divitiis pretiosiorem sortitò accepit, patronumque & excubitorem acquisivit, splendidior omnibus æstimata est.*

V. Ut autem magis appareat, quàm temerè dicatur, narrationem S. Methodii nihili vel saltem parvi faciendam esse, accedat Anastasius S. R. E. Bibliothecarius, qui de ejusdem scriptis diù à se conquisitis, & tandem inventis anno 886. ad Carolum Calvum Imperatorem ita scribit: *Passionem S. Hieromartyris Dionysii quondam Areopagitæ, postque Athenarum Antistitis, quam Romæ legi cùm puer essem, quamque à Constantinopolitanis Legatis* (Methodio &c.) *audieram, secundùm jussionem vestram, diù quæsitam, tandemque in maximo Cœnobiorum Romæ sitorum repertam, etiam inter diversos languores positus, arrepto interpretandi certamine Latino eloquio tradidi, quantum potui auxiliante Deo; & si non ex toto verbum è verbo, sensum tamen penitùs hauriens. Cesset ergo jam quorumdam opinio perbibentium, non esse Areopagitam Dionysium eum, qui propè Parisium corpore ac virtutibus redolet.* Ita Anastasius, ac si recentioribus Criticis idem opinantibus loqueretur.

VI. Ex his apparere incipit, Ecclesiam etiam Romanam in hac fuisse sententia, & eò magis, quia antiqua Missalia Gallicana & Officia, in quibus Sanctus Dionysius Areopagita Parisiis Episcopus legebatur, referente Hilduino, Summorum Pontificum auctoritate Innocentii Gelasii Gregorii fuere probata: qua de re apud Parisiensem Ecclesiam adhuc extasse litteras, idem Hilduinus testatur. Sed quid antiqua perscrutor? Martyrologium Romanum jussu Pii V. & Clementis VIII. per Viros eruditos ad historiæ fidem correctum, ut supra retuli, S. Dionysium Areopagitam in Gallias missum à S. Clemente, Parisiensem fundasse Ecclesiam, Parisiis Martyrio coronatum fuisse testatur.

VII. De perpetua Ecclesiæ Gallicanæ Traditione ambigendum non arbitror. Nam hoc testantur hymni & partes aliæ Officii Ecclesiastici in Galliis, maximè tempore Caroli Calvi recitari soliti. Ut Hymnus Fortunati Pictaviensis, in quo de Sancto Dionysio Areopagita hæc canuntur:

Clemente Romá Præsule
Ab Urbe missus adfuit
Verbi Superni Seminis
Ut fructus esset Galliæ.

Antiphonale Gregorianum jussu ejusdem Caroli Calvi editum, ubi prima Antiphona ad Vigilias Matutinas ita habet: *S. Dionysius, qui sedente B. Clemente Petri Apostoli Successore Verbi Domini semina Gentibus parturienda susceperat*: quod iisdem ferè verbis repetitur in Responsorio tertio primi Nocturni. Ne autem dicatur, hæc esse Monumenta antiquata, sciendum, quòd cùm selecti ex Sacra Facultate Parisiensi Theologi ad Breviarii Parisiensis emendationem, quæstionem de S. Dionysio Areopagita & Parisiensi Episcopo diligenter expendissent, & in utramque partem agitassent coram Archiepiscopo Harlæo: primò censuit sapiens ac prudens Archipræsul, antiquam Ecclesiæ Gallicanæ de uno Dionysio Areopagita & Parisiensi Episcopo Traditionem suo honore servandam esse, nec convellendam piam Majorum opinionem probabili in re munitam propter aliquorum particularium aliter opinantium sententiam.

VIII. Sanè adeò exploratum habuit Gallia post examen seculo nono institutum, Dionysium Parisiensium primum Episcopum fuisse Areopagitam, ut Æneas Parisiensis Episcopus Libro quem adversùs Græcos edidit circa annum 859. hunc titulum præfixerit: *Æneas Parisiacensis Urbis Episcopus, quò primus præsedit S. Dionysius à Paulo Apostolo Atheniensium consecratus Archiepiscopus, sed à Sancto Clemente totius Galliæ constitutus Apostolus, pacem & gloriam Catholicæ Fidei Cultoribus*. Item anno 1031. in Synodo Lemovicensi ex Scriptura, quæ Engolismæ Aquitaniæ Urbe asservabatur, hæc recitantur: *Quod Clemens quemdam Philippum ordinaverit Episcopum, & Hispaniæ destinaverit ad prædicandum: Dionysio verò Verbi Divini semina Gentibus tradidit eroganda, quem in Galliam misit, sociosque ei Saturninum, Marcellinum, & Lucianum, atque Rusticum, & Eleutherium adhibuit. Qui cùm simul pervenissent ad portum Arelatensium Civitatis, Marcellinus in Hispaniam abiit, Saturninus autem Tolosam profectus est, & Dionysius cum Rustico & Eleutherio Parisios adierunt*. Anno etiam 1050. sub Leone IX. Romano Pontifice, & Henrico I. Galliarum Rege, teste Rigordo apud Bail Tom.2. Conc. exorto dubio, an Corpus S. Dionysii verè asservaretur in ejus Ecclesia, quam Dagobertus fundaverat, nec ne; missisque ab Imperatore ad Henricum Regem super hoc legatis, Henricus convocatis Archiepiscopis Episcopis & Baronibus totius Re-

gni

gni ad Ecclesiam S. Dionysii misit, ubi factâ oratione, allata sunt tria vasa argentea diligentissimè sigillata S. Dionysii Sancti Rustici & S. Eleutherii nominibus superscripta: & aperto vase S. Dionysii totum Corpus ejus repertum est, quibusdam exceptis partibus, præcipuè brachio, quod Stephanus III. Papa Romam asportavit, & in Ecclesia, hodie Schola Græcorum vocata, reposuerat.

IX. Gallicanæ adjungitur Ecclesia Toletana Hispaniæ. Nam S. Eugenius Junior Episcopus Toletanus, qui floruit circa annum 650. longè ante Carolum Magnum, & Hilduinum, cujus meminit S. Hildephonsus L. de Viris Illustribus, ubi inter ejus opera Libellum Carminum recenset. Is igitur in Hymno de Sancto Dionysio, quem ei tribuit Hugo Menardus, S. Dionysium Areopagitam à Clemente Romano Pontifice in Gallias missum ita testatur.

Cœli cives applaudite
Mundi jucundo lumini
Quo illustratur cœlitùs
Hujus diei gratia &c.
Areopago Athenæ
Regis sumsit diadema
Cœlestis gemmam fulgidam
Dionysium Sophistam &c.
Clemente Romæ Præsule
Jubente venit Galliam &c.

Acta quoque S. Genevefæ Virginis Parisiensis, quæ obiit paulò post annum 484. regnante Clodoveo Francorum Rege, S. Dionysium Areopagitam à S. Clemente in Gallias missum testantur apud Surium ad diem 3. Januarii. Quod expressit etiam Venantius Fortunatus in suo Hymno anno 565. Cùm igitur talis extaret Traditio, Dagobertus Galliarum Rex, qui anno 629. regnare cœpit, magnificum in memoriam S. Dionysii construxit Templum, in quo sibi sepulcrum elegit. Templum illud, eique annexum Monasterium multis auxit privilegiis anno 662. ac sui Regni 16., Clodoveus II., ut ex ejus diplomate edito in Concilio Clypiacensi; quod refert Bail Tom. 2. Concil., in quo hæc habentur: *Nostra itaque devotio hæc extat animi, ut Monasterium Patroni nostri Dionysii, in quo ipse cum consortibus testimonii veritatis requiescit humatus* &c. Quibus alia addidit Pipinus anno 757. Regni verò 17. & ultimo, cujus diploma in Archivo dicti Monasterii custoditur, in quo hæc leguntur: *Dionysius & sæpè jam dictus Rusticus & Eleutherius, qui primi post Apostolos, sub ordi-*

ordinatione Clementis Petri Apostoli Successoris, in hanc Galliarum Provinciam advenerunt.

X. Ex dictis apparet, adventum S. Dionysii in Gallias ab exordio Ecclesiæ, nemine reclamante, imò Ecclesiis Græca, Romana, Gallicana, & Hispana uno consensu attestantibus, tanquam indubitatam Traditionem habitum fuisse. Et licèt seculo nono cœptum fuerit dubitari, an Dionysius, qui in Gallias advenit, fuerit Areopagita, an alter: attamen à Scriptoribus illius seculi Methodio, Hincmaro, Hilduino ex præfatis Ecclesiarum antiquis attestationibus omnis dubitandi ratio sublata est: & in hac fide omnes perseverarunt; donec novissimis temporibus contra hanc Traditionem Sirmondus & Launojus vexillum iterùm erexerunt: adeò ut divisos inveniam Modernos, aliis pro antiqua Traditione stantibus, inter quos Natalis Alexand. Tom. 1. hist. Eccles. dissert. 16. proposit. 2. Chifletius & alii, aliis eam rejicientibus, aliis in dubio relinquentibus.

XI. Rationes, quibus Auctores oppositi moventur, ut negent, Dionysium Parisiensem fuisse eundem ac Areopagitam, videri possunt apud Natalem Alexandrum citato loco, qui eas solvit, cui tamen novissimè refragatur Roncaglia animadversione 2. in dictam dissert. 16. ejusdem Alexandri. Is enim animadvers. 1. adhæret Alexandro dicenti sub Clemente I. Pontifice Fidem in Gallia prædicatam fuisse, & animadv. 2. ab eo recedit, dicens, Dionysium missum in Gallias non fuisse Areopagitam. At quæso: Si inter primos ex Apostolorum Discipulis, qui à S. Clemente in Gallias missi sunt, unus fuit Dionysius nomine: & hic non fuit Areopagita, dicat, quis alius Dionysius fuit? Certè inter Apostolorum Discipulos nullum alium Dionysium nisi Areopagitam invenio, nisi ipse alterum exhibeat. Dionysius ille, de quo Gregorius Turonensis L. 1. hist. Franc. cap. 30. dicit, quòd sub Decio unà cum aliis sex Episcopis in Gallias missus fuit, non potuit à S. Clemente mitti, nec unus ex Apostolorum Discipulis esse, cùm hæc missio anno Christi 250. contigerit, quo certè tempore non poterat à S. Clemente mitti, qui post annum centesimum Martyrium consummavit. Quis igitur est iste alter Dionysius Parisiensis, si Areopagita non est? Dionysium hunc à S. Clemente fuisse missum creditur; quia antiqua Monumenta hoc testantur: at cùm eadem, saltem pleraque testentur etiam fuisse Areopagitam, cur fidem in hoc non merentur? Adsunt Acta S. Dionysii à Visbio teste oculato illius Martyrii conscripta, quæ vetustate penè absumptâ Hilduinus ab interitu vindicavit, & Ludovico Pio Regi ac Imperatori

ratori obtulit. Hæc testabantur, Dionysium Areopagitam à Paulo Apostolo ad Fidem Christi conversum, à S. Clemente missum in Gallias, Parisiensem fundasse Ecclesiam, & sanguine suo irrigasse. At hæc, inquies, fuere ab Hilduino conficta. Et tamen, dicam ego, hæc alia similia fidem indubiam per tot secula in Ecclesiis Græca, Romana, Gallicana, Hispana, ut supra notavi, obtinuere.

XII. Relictâ igitur cuique aliter opinandi potestate, claudam cum Tertulliano lib. de præscript. cap. 28. *Et quid verisimile est, ut tot ac tantæ Ecclesiæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus est unus exitus. Variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum*: & infra cap. 31. *Ex ipso ordine manifestatur, id esse Dominicum & verum, quod sit priùs traditum; id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum.* Cùm igitur assertio, quæ Dionysium missum in Gallias à S. Clemente fuisse Areopagitam testatur, sit priùs tradita; quæ verò duos Dionysios ponens vult alterum ab Areopagita venisse in Gallias, sit posteriùs immissa, quænam sit ut vera amplectenda, æquo judici statuendum relinquo. Qui plura de hac re optaverit adeat inter cæteros Natalem Alexandrum tom. 1. Hist. Eccl. secul. 1. dissert. 16. propos. 2., ubi Recentiorum aliter opinantium momenta soluta reperiet; & Baronium etiam in Notis Martyrol. ad diem 9. Octobris.

CAPUT VII.

De S. Simeone Jerosolymitano.

§. I.

Genus & Electio ad Episcopatum.

I. EX Veterum Traditione Sanctus iste Simeon Cleophæ filius fuit, & Mariæ dictæ Mariæ Cleophæ, ac sororis Beatæ Virginis; nepos S. Joseph, & frater Jesu Christi consobrinus. Frater quoque germanus S. Jacobi Minoris, Judæ & Joseph seu Jose: aliàs dictus etiam *Simon*. Unde creditur fuisse ille, qui apud Marcum cap. 6. v. 3. inter fratres Domini à Judæis recensetur: *Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, & Joseph, & Judæ, & Simonis?* Legitur etiam Matth. 13. v. 53. *Simon* enim & *Simeon* in idem redibant: unde ob-

observant aliqui, quòd Petrus regulariter dictus *Simon*, in textu originali vocatur *Simeon*. Et hunc Simonis nomine appellat etiam S. Hieronymus in cap. 2. ad Galat. dicens de Jacobo Minori: *Qui & ipse postea de Templo præcipitatus, successorem habuit Simonem*. Hunc Simeonem facit filium Cleophæ, & patruelem Christi Eusebius lib. 3. hist. cap. 11., & cap. 32. infra referendus.

II. Simeonem fuisse unum ex Discipulis Domini, censet idem Eusebius dicto cap. 32. *Porrò*, inquit, *hunc Simeonem non absurdè quis dixerit, & spectatorem & adjutorem Domini fuisse: cùm & diuturnitas vitæ ipsius & Evangeliorum Fides adstruere videatur, in quibus Maria quædam commemoratur Cleopæ filia* (vel ut alii volunt uxor) *cujus Simeonem filium fuisse supra docuimus* (cap. 11.) Cùm ergo Simeon inter fratres & discipulos Domini fuerit, credibile fit, eum fuisse de numero illorum, qui serò, ideft paulò ante passionem crediderunt, & de quibus S. Joann. cap. 7. v. 5. dicit: *Neque enim fratres ejus credebant in eum*: ubi S. Augusṫ. tract. 28. in Joan. *Quare*, inquit, *in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant. Nam & quòd eum videntur monere fratres, gloriæ ipsius consulunt: facis mirabilia, innotesce, ideſt appare omnibus, ut laudari possis ab omnibus. Loquebatur caro carni; sed caro sine Deo, carni cum Deo: loquebatur enim prudentia carnis Verbo, quod caro factum est, & habitavit in nobis.* Fundamentum autem hoc asserendi accipit Augustinus ex v. 3., ubi habetur: *Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, & vade in Judæam, ut & Discipuli tui videant opera tua, quæ facis* &c. Et ideò jure subditur: *Et fratres ejus non credebant in eum*, qui gloriam suam non quærebat: unde Joan. 8. v. 50. dicit: *Ego autem non quæro gloriam meam*. Cùm Lucas Act. 1. v. 13. & 14. inter eos, qui post Christi ascensum erant unitim perseverantes in oratione, recenseat etiam fratres Domini, tacitè indicat, inter eos fuisse etiam Simeonem.

III. Dum Judæi in S. Jacobum Episcopum Jerosolymitanum irruebant, necem ei parantes, refert S. Epiphanius hæresi 78. cap. 14., Simeonem ejus fratrem liberrimè ipsos increpasse. Eusebius tamen lib. 2. hist. cap. 23. ex Hegesippo putat, hunc qui Judæos increpavit, fuisse unum è Sacerdotibus Rechabitam, ait enim: *Cùmque hominem saxis obruerent, unus è Sacerdotibus ex filiis Rechab filii Rechabim, qui Hieremiæ suffragio commendati sunt, contentâ voce: Parcite, inquit, quid facitis? Justus orat pro vobis.* Cùm ergo Simeon Jacobi frater, nec Sacerdos fuisse legatur, nec de stirpe Rechabitarum, alius ab ipso fuisse qui incre-

crepavit credendus est: nisi fortè dicamus duos fuisse qui Judæos à tanto scelere deterrere conati sint, nempe & Simeonem, ut dicit Epiphanius, & hunc Rechabitam, ut sentit Hegesippus. Si tamen verum esset quod supra cap.7. de S. Jacobo Minore §.3. num. 7. admisi, nempe S. Jacobum Minorem potuisse de numero Sacerdotum esse, cùm ingressus in Templum ei quotidie, imo & in Sancta permitteretur, idem de Simeone ejus fratre existimari posset. Sed hoc assertivè nec ibi dixi, nec modò dicam.

IV. Hoc certum est, quòd cùm Jacobi Minoris Martyrio ac morte Jerosolymorum Ecclesia suo viduata mansisset Pastore, anno Christi 62. vel 63. communi Apostolorum & Discipulorum Domini suffragio, Simeon defuncto fratri ei in Successorem datus fuit. Ita refert Eusebius L.3. hist. cap.11.: *Post Martyrium Jacobi & continuò subsecutam Jerosolymorum expugnationem, fama est, Apostolos cæterosque Domini Discipulos, qui adhuc superstites agebant, ex variis locis in unum convenisse, & unà cum iis, qui Dominum secundùm carnem propinquitate generis contingebant (plerique enim eorum adhuc in vivis supererant) in commune consuluisse, quis in Jacobi locum succedere mereretur. Omnes utique uno consensu Simeonem filium Cleopæ, illius, cujus in Evangeliis fit mentio, Episcopali Sede dignum judicaverunt.* In hac tamen Eusebii narratione observationem meretur, quòd Simeonis electionem in Episcopum videtur differre ad tempus post expugnatam Jerosolymam, hoc est ad annum Christi 70. vel 71.; quasi octo vel novem annis Ecclesia illa sine Pastore manserit: quod est contrarium iis, quæ scripsit in Chronico, ubi dicit, quod statim post Jacobi mortem Simeon electus fuit anno Neronis septimo. Et hoc quidem veritati magis consonum est; quis enim credat, Apostolos aliosque Discipulos adeò neglexisse Ecclesiam principalem, ut eam octo annis sine Pastore reliquerint, quo tempore Fideles maximè indigebant Viro, qui eos regeret & in Fide confirmaret? Vix quatuor à nece Jacobi effluxerant anni, cùm bellum Jerosolymis exitiale exortum fuit, unde Fideles qui ibi erant ad cladem declinandam in Urbem trans Jordanem nomine Pellam Divino monitu transfugerunt. Rem narrat Eusebius L.3. cap.5. his verbis: *Sed & cùm universa Plebs Fidelium Ecclesiæ Jerosolymitanæ ex Oraculo, quod Viris quibusdam Sanctissimis divinitùs editum fuerat, ante initium belli ex Civitate migrare, & Oppidum quoddam trans Jordanem Pellam nomine incolere jussa fuisset, jamque omnes, qui in Christum crediderant, relictis Jerosolymis sedes suas Pellam transtulissent: ita & Re-*

& Regiâ Urbe, quæ totius Gentis caput est, & universâ Judæâ Viris Sanctis destitutâ, tum demum Divina illos ultio ob tot admissa tum in Christum tum in ejus Apostolos scelera corripuit, totamque illam impiorum sobolem funditùs delevit. Numquid in hac transmigratione & mora Pellæ nullus aderat Fidelibus Dux aut Pastor, qui eos regeret? nullus certè adfuisset, si nonnisi post expugnatam Jerosolymam Simeon electus fuisset: jam ergo ante fuerat electus. In hanc sententiam venio, quamvis supra oppositum admiserim.

§. II.

Gesta in Episcopatu, Martyrium &c.

I. Electus Jerosolymorum Episcopus Simeon sub initiis belli Judæorum cum Romanis, Jerosolymâ relictâ unà cum suis Fidelibus Pellam transmigrasse, ibique mansisse creditur, donec expugnatâ à Romanis Jerosolymâ anno 70. illuc cum suo Grege reversus est. Post excidium Jerosolymitanum Ecclesiam signis & prodigiis ibi refloruisse, auctumque credentium etiam ex Judæis numerum, refert S. Epiphanius L. de Mensuris cap. 15.: unde Eusebius L. 3. demonstr. Evang. cap. 5. ex quo Jerosolymis florens Ecclesia fuerit ex ipsis Judæis comparata, & qui primi ejus Episcopi eam gubernarunt, ex Judæis fuerint, infert, omnem contra Discipulos calumniam dilui, quando & illis testificantibus, & illis non testificantibus, ex ipsa tum Gentium tum Judæorum confessione Jesum esse Christum Dei comprobatur.

II. *Fama est* (inquit Eusebius L. 3. hist. cap. 12.) *Vespasianum post expugnatam Jerosolymorum Civitatem, eos qui à Davide genus ducerent, perquiri jussisse, ne quisquam apud Judæos ex Regia Stirpe superesset: eaque ex causa gravissimam rursùs persecutionem Judæis illatam fuisse.* Hanc quibusdam Hæreticis occultè instigantibus à Domitiano excitatam fuisse, refert cap. 19. & 20., coram quo delati etiam fuerunt illi, qui cognatione Christum secundùm carnem quoquo modo contingebant, tanquam suspecti quòd de Familia David essent oriundi. Sed cùm interrogati respondissent, se quidem ex Familia David esse oriundos & Christo cognatione junctos, sed nullas possessiones habentes victum sibi terram exercendo propriis laboribus quæritare, manusque callis obduratas ostenderent, Domitianus illos despiciens, liberos abire permisit. Cùm ergo Simeonis Episcopi Jeroso-

rosolymitani in neutra harum persecutionum fiat mentio, quamvis & ipse Christo secundùm carnem proximè jungeretur, argumento est, ipsum nihil in utraque fuisse passum.

III. Trajano tamen inquisitionem & persecutionem iterum acriùsque excitante, Simeon ad Atticum Consularem delatus fuit, coram quo de propinquitate generis cum Christo, & de Christianæ Fidei professione ac propagatione accusatus ab Hæreticis quibusdam sectâ Cerinthianis seu Nicolaitis (si Chronico Alexandrino fides est) sive ex aliqua Judæorum secta, quæ tunc in Judæa regnabat, diversa ac atrocia tormenta per plures dies sustinuit, cunctis ipsoque Attico stupentibus: tandem annos agens centum viginti, supplicio Crucis damnatus, eodem mortis genere, quo Christus ipse, vitam gloriosè coronavit, & ad conregnandum immortali vitâ ejusque æternâ gloriâ transivit. Multis historiam ejus Martyrii ex Hegesippo celebrat Eusebius lib. 3. hist. cap. 32., ubi concludit, quòd *Agnati Christi profundâ pace Ecclesiæ restitutâ ad Trajani usque tempora superstites fuerunt; donec Simeon supradictus Cleopæ filius, ejus qui patruus erat Domini, accusatus similiter ab Hæreticis, & ob eandem causam in Jus vocatus est coram Attico Consulari* (Legato Syriam administrante) *& per multos dies acerbissimis tormentis excruciatus Fidem Christi constantissimè professus est: adeò ut & Consularis ipse, & omnes qui aderant, magnoperè mirarentur, quâ ratione vir centum ac viginti annos natus tot tormenta perferre potuisset. Tandem verò sententiâ Judicis Cruci suffixus est.*

IV. In qualitate martyrii, nec non in ætate, quâ illud S. Simeon passus est, conveniunt tum Latini in Martyrol. die 18. Februarii, tum Græci in Menol. Basilii die 18. Septembris, ubi inter cætera hæc habent: *Simeon autem accusatus a Judæis, quòd Christum prædicaret, comprehensus à Græcorum Præfectis, gravissimè cæditur. Deinde multis tormentis subjectus in carcerem conjicitur, ut fame & squallore conficeretur. Inde eductus cùm nulla ratione adduci posset, ut Christum abnegaret, cruci clavis affixus, mortem occubuit annos natus centum & viginti.* Ejus martyrium juxta Eusebii Chronicum figitur anno 107., secundum alios 109.; cùmque obierit annum agens 120., credi debet natus novem aut decem annis ante Nativitatem Christi. Creditur autem, Ecclesiam Jerosolymitanam 43. annis & ultra gubernasse. Refert insuper idem Eusebius citato loco, *Eos ipsos Simeonis accusatores, cùm tunc temporis omnes ex Regia Judæorum Tribu oriundi sollicitè investigarentur, convictos esse, quòd ex ea stirpe originem ducerent;* & sic debitas pœnas luisse.

Qqq 2 V. Ad-

V. Addit idem Eusebius lib. 3. cap. 35., quòd Simeone vitâ functo, *Jerosolymitani Episcopatus sedem Justus quidam Judæus capessit. Quippe eâ tempestate innumerabiles ex Circumcisione ad Christi Fidem transierant.* Hunc Justum Chronicon Alexandrinum vult fuisse Joseph Barsabam cognominatum *Justum*, qui unà cum Matthiâ propositus fuit, ut locum Judæ proditoris impleret. Sed huic existimationi post Hegesippum resistit Eusebius lib. 3. cap. 32., ubi dicit, in morte Simeonis tempus Apostolicum terminasse: eorum scilicet, qui sortem habuerant ex ore ipsius Christi veritatem audiendi. Quo posito Barsabas Justus, qui ex horum numero erat, jam excesserat, nec Episcopatum capessere poterat. Sed de hoc statim dicam.

VI. Refert ergo Eusebius lib. 3. cap. 32. ex Hegesippo, usque ad tempora Simeonis, *Ecclesiam instar cujusdam Virginis integram atque incorruptam permansisse, adhuc in obscuro recessu delitescentibus quicumque rectam prædicationis Evangelicæ regulam depravare niterentur. Sed postquam sacer Apostolorum cœtus vario mortis genere extinctus est, effluxeratque jam ætas hominum illorum, qui Divinam ipsam sapientiam suis auribus auscultare meruerant; tunc demum exorta est impii erroris conspiratio fraude & malitiâ falsorum Doctorum. Qui utpotè nullo ampliùs ex Apostolis superstite, post hæc nudo, ut ajunt, capite adversùs prædicationem veritatis adulterinam doctrinam obtrudere conati sunt.* Occasionem autem, quâ hæc corruptio in apertum prodiit, narrat ex eodem Hegesippo Eusebius lib. 4. cap. 22. fuisse repulsam cujusdam Thebutis ab Episcopatu, quem ambiebat: *Primus*, inquit, *Thebutis indignè ferens, quòd minimè creatus esset Episcopus, eam occultè vitiare est aggressus. Fuit hic è septem illis Sectis in Judaico Populo proseminatis; ex quibus fuit etiam Simon, à quo Simoniani fluxerunt, & Cleobius à quo Cleobiani, & Dosithæus à quo & Dosithæani, & Gortheus à quo Gortheni, & Masbotheus à quo Masbothei sunt cognominati. Ex his etiam manarunt Menandriani & Marcionistæ, & Carpocratiani, & Valentiniani, & Basilidiani & Saturniani, aliique, qui seorsùm singuli proprias opiniones induxerunt. Ex iis orti sunt Pseudo-Christi, Pseudo-Prophetæ, Pseudo-Apostoli, qui adulterinam invehentes doctrinam adversùs Deum & adversùs Christum ejus, unitatem Ecclesiæ disciderunt.* Deinde recensens Sectas, quæ erant apud Judæos: *Erant*, inquit, *diversæ sectæ, atque sententiæ in Circumcisione inter filios Israel adversùs Tribum Judæ, & adversùs Christum: Essæi scilicet, Galilæi, Hemerobaptistæ, Masbothæi, Sammaritæ, Sadducæi, Pharisæi.* Hactenùs Eusebius ex Hesippo.

VII. Ve-

VII. Verùm dictæ narrationi ea in parte, quâ afserit, Ecclesiam mansisse virginem & incorruptam toto tempore, quo Apostoli & alii, qui Christi vocem propriis auribus audierant, superstites fuerant, & solùm post eorum excessum cœpisse in doctrina corrumpi; obstare videtur, quòd etiam viventibus Apostolis non defuerunt, qui Ecclesiam corrumpere falsis doctrinis tentarint. Fuit enim Simon Magus, qui S. Petro se opposuit: fuerunt Nicolaitæ, de quibus S. Joannes in Apocalypsi cap.2.v.6. & 15.: fuerunt Ebionitæ, contra quos negantes Christi Divinitatem suum Evangelium idem S. Joannes scripsisse fertur. Sed hoc non obstare dicunt plures, quia Hegesippus & Eusebius non loquuntur de Ecclesia universa, sed de sola Ecclesia Jerosolymorum, de quo sermo erat: hæc enim quousque Apostoli & alii, qui viderant Dominum, superstites fuerunt, incorruptam servavit doctrinam, quam ab eis acceperat. Si autem in ea erant aliqui errorum semina habentes, ea tamen spargere & sectam facere, nisi post obitum eorum, qui Dominum suis auribus audierant, ausi non sunt. Quod si quis velit, Hegesippum & Eusebium de universa Ecclesia fuisse locutos, dici poterit, eam adhuc mansisse virginem & incorruptam, quia licèt Sectæ & hæreses essent, ejus tamen unitatem schismate corrumpere non audebant, quamvis de Simonianis & Nicolaitis hoc ægrè possit sustineri.

VIII. Ex dictis colligitur Jerosolymitanam Ecclesiam spatio 70. annorum, & fortè ultra, duos tantùm habuisse Episcopos, nimirùm Jacobum Fratrem Domini ab anno Christi 34. usque ad 62. vel 63., & Simeonem ejus germanum usque ad annum 107. vel 109. Qui tamen his duobus in Episcopatu successere (omnes tamen ex Circumcisione fuere) usque ad annum 136., quo ab Hadriano omnes Judæi Jerosolymis pulsi sunt, brevi admodùm tempore Ecclesiam illam rexerunt. Ita Eusebius L.4. hist. cap.5. dicens: *Omnes quippe brevi admodùm tempore sedisse perhibentur. Illud tantùm ex Veterum Scriptorum monumentis didici, ad illam usque obsessionem Judæorum, quæ imperante Hadriano contigit, quindecim Episcopos continuâ successione illi Ecclesiæ præfuisse, quos omnes origine Hebræos fuisse memorant, & Fidem Christi sincerè atque ex animo suscepisse: adeò ut ab illis, qui de hujusmodi rebus judicium ferre poterant, Episcopali Officio dignissimi censerentur. Quippè tunc temporis universa Jerosolymorum Ecclesia conflata erat ex Hebræis fidelibus, qui jam inde ab Apostolorum ætate ad illam usque obsidionem permanserant, quâ Judæi iterùm à Romanis deficientes maximis præliis domiti atque expugnati sunt.*

IX. Epi-

IX. Episcopi autem, qui usque ad illud tempus ab Eusebio recensentur, sunt Jacobus Frater Domini, Simeon, Justus, Zacchæus, Tobias, Beniamin, Joannes, Matthias, Philippus, Seneca, Justus II., Levi, Ephres, Joseph, tandem Judas: *Ex eo deinceps tempore* (prosequitur Eusebius ibidem cap.*6.*) *universa Judæorum Gens in Regionem circum Jerosolymam sitam pedem inferre prohibita est lege & constitutione Imperatoris Hadriani, adeò ut ne prospicere quidem è longinquo patrium solum ipsis liceret, ut scribit Aristo Pellæus. In hunc igitur modum cùm Civitas Judæorum Gente nudata esset, & veteribus Incolis penitùs vacuefacta, post hæc alienigenis eò confluentibus, Urbs & Colonia Civium Romanorum effecta in honorem Ælii Hadriani Imperatoris Ælia nuncupata est. Et cùm Ecclesia ejusdem loci ex Gentibus coaluisset, primus post Episcopos ex Circumcisione Sacerdotium illius Civitatis suscepit Marcus.* Hactenus Eusebius, quæ contigisse asserit anno 18. Imperii Hadriani, seu anno Christi 137.

CAPUT VIII.

De Sancto Ignatio Martyre.

§. I.

Ejus Patria Nomen Episcopatus.

I. S. Ignatium fuisse genere Syrum potiùs quàm Græcum, putant aliqui, fortè moti, quòd, ut infra dicetur, Episcopatum Antiochiæ Syriæ gesserit, & quia ipsum usum fuisse Evangelio Hebraico Matthæi dicit S. Hieronymus L. de Script. Eccles. cap.*16.*, ut infra dicam.

Præter Ignatii, nomen etiam *Theophori* gessisse indicat ipse suis Epistolis, hunc titulum præfigens: *Ignatius, qui & Theophorus;* Theophorus autem Græcè, idem Latinè reddit ac *Deum ferens*, seu *Deifer*: quo nomine ab aliquibus Patribus etiam Christus appellatus fuit. Attamen vox ista quibusdam præcipuè Nestorianis ansam præbebat dicendi, quòd Christus non esset verè & suppositaliter Deus, sed solùm Persona creata ferens Divinitatem in se inhabitantem. Unde Baronius ad annum 48. num.22. dicit, quòd licèt ab aliquibus Patribus Christus Theophorus seu Deifer dictus fuerit; Nestorius tamen, qui eo nomine ad suam Hæresim tuendam abutebatur, in causa fuit, ut ab Ecclesia in Concilio Ephesino in quinto Anathematismo Cyrilli sta-

statueretur: *Si quis Christum Deiferum hominem audet dicere, & non potiùs Deum secundùm veritatem, anathema sit.* Hoc tamen omisso, quia præsentis instituti non est; nomen Theophori esse nomen seu cognomen proprium, non autem titulum honoris, indicantem specialem ejus pietatem, ex eo colligitur, quòd, ut dixi, eum sibi ipse arrogat in suis Epistolis; quod ejus humilitas passa non fuisset, si titulus honoris extitisset.

II. Volunt alii, quòd nomen Theophorus aliter pronuntiatum idem sit *à Deo latus* seu *portatus*: & inde putant S. Ignatium fuisse puerum, quem manibus apprehensum statuit Jesus in medio Discipulorum proponens illum in humilitatis exemplum Matth. 18. v.2., Marci 9. v.35., & Lucæ 9. v.37. Sed hoc in antiquitate nullum fundamentum habet. Attamen S. Chrysostomus Orat. in S. Ignatium videtur dicere, eum audivisse Christum & cum Apostolis versatum esse his verbis: *Cùm Christum audivisset dicentem*: „ Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus „ *omni fortitudine eam pro ovibus profudit. Cum Apostolis strenuè versatus est, & fluenta hausit spiritualia. Qualem igitur eum esse par fuit, qui cum illis educatus est* &c.? dicens autem *cum illis* non ab *illis*, educatus est, indicat S. Ignatium ab eodem, quo Apostoli, nempè Christo educatum fuisse. Hieronymus etiam Christum eum vidisse asserit L. de Script. Eccles. cap. 16., ubi ait, quòd in Epistola ad Polycarpum de Evangelio nuper à se ex Hebraico translato Ignatius Christi ponit testimonium dicens: *Ego verò & post Resurrectionem in carne eum vidi, & credo quia sit*: quibus probabile fit, eum Christum secutum fuisse. S. Gregorius verò L.5. Epist.39., aliàs 37., facit S. Ignatium S. Petri Discipulum. Res in ambiguo est. De eo in Scripturis nulla mentio fit.

III. Quòd S. Ignatius fuerit Episcopus Antiochenus, certum est. Quo autem tempore, & à quibus fuerit ordinatus, & cui in Episcopatu successerit, contentio non modica est. Apostolorum manibus eum fuisse ordinatum, Veteres sentiunt. Ita Sanctus Chrysostomus Orat. supra laudatâ, Chronicon Alexandrinum; sive à S. Paulo secundum Constitutiones L.7. cap.46., sive à S. Petro secundùm Theodoritum Dialog. 1., & ut locum S. Petri impleret, ut ait Chrysostomus laudato loco, eique immediatè succederet: *Nam ut si quis è fundamento magnum lapidem eruat, alterum omninò parem in ejus loco conatur constituere, nisi velit totum ædificium concutere, ac debilius reddere: ita cùm Petrus Antiochiâ esset discessurus, alterum Petro parem* (Ignatium scilicet) *præceptorem gratiâ Spiritus substituit.* Idem sentiunt San-

Sanctus Maximus Abbas, Joaunes Antiochenus in Epist. anno 440. data, Felix III. Papa dicens, Ignatium manibus Petri ordinatum. Quibus præivisse videtur Athanasius, dum Lib. de Synodis num.47. dicit: *Ignatius, qui post Apostolos Antiochiæ Episcopus constitutus est.*

IV. Contra omnes tamen insurgit Eusebius L.3. cap.22. ponens primum Antiochiæ Episcopum post Petrum Evodium, cui successit Ignatius dicens: *Apud Antiochiam verò defuncto Evodio, qui primus ejus loci constitutus fuerat Episcopus, secundus tum maximè florebat Ignatius.* Et Lib.3. cap.36. *Ignatius*, inquit, ... *secundus post Petrum Antiochensem Ecclesiam sortitus est.* Et in Chronico initia Episcopatus S. Evodii in anno Christi 43. statuit, initia verò Episcopatus S. Ignatii anno 68. quo anno SS. Petrus & Paulus Martyrium Romæ passi fuerant, nec proinde poterant illum Antiochenæ Ecclesiæ præficere. Sanctus Hieronymus L. de Script. Eccles. cap.16. Eusebium secutus vocat S. Ignatium tertium Antiochiæ Episcopum: *Ignatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus.* In hoc consentiunt quotquot Martyrologia apud Latinos ediderunt, Romanum die 1. Februarii: Græci tamen in Menologio Basilii die 20. Decembris ajunt: *Fuit Ignatius Sanctorum Apostolorum Successor & S. Joannis Theologi Discipulus.* Stante ergo hoc inter Veteres dissidio, volentibus aliquibus, & præcipuè Chrysostomo, qui Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus fuit, Ignatium in locum Petri successisse, & fuisse ei secundum, aliis verò in locum Evodii, & fuisse à Petro tertium, excogitanda est via utrosque conciliandi.

V. Joannes Malela antiquus Chronologus apud Tilmontium Notâ 1. in S. Ignat. dicit, Evodium quidem primum fuisse ab Apostolis Ecclesiæ Antiochenæ post Petrum Præfectum: sed eo defuncto, S.Petrum, dum Romam ad Martyrium rediret, & Antiochiâ pertransiret, S. Ignatio ordinationem & regimen illius Ecclesiæ contulisse. Verùm hâc viâ primò contradicitur Eusebio volenti in Chronico, ut dixi, Evodium post Martyrium Petri obiisse, & proinde non potuisse manibus Petri Ignatium in ejus locum ordinari: deinde salvatur quidem, S. Ignatium manibus Petri fuisse ordinatum, non tamen Petro immediatè successisse, ut vult Chrysostomus, sed mediatè nempe post Evodium.

VI. Aliam propterea viam excogitavit Baronius ad annum 45. num.14., & in Notis Martyrol. die 1. Februarii, quam tenet etiam Natalis Alexandr. Tom.1. hist. seculi 1. dissert. 14. pro-

proposit.1.: nimirùm S.Ignatium fuisse quidem Antiochiæ Episcopum ordinatum, sed simul etiam S. Evodium, & utrumque ab Apostolis Petro & Paulo: quæ conjectura ex Lib.7. Constit. cap.46. eruitur; ibi enim legitur Antiochenæ Ecclesiæ à S.Petro Evodium, & à S. Paulo Ignatium esse creatos Episcopos, non sanè unum post alium, sed simul: cui credi potest occasionem dedisse discordiam, quæ tunc ibi maximè vigebat inter Fideles, qui ex Circumcisione, & eos qui ex Gentibus ad Fidem venerant, circa Legalium observantiam. Tunc enim prudens remedium judicarunt Apostoli, ut quamdiù perduraret dissensio; uterque Antiochiæ sederet, ac unus præesset iis, qui ex Circumcisione, alter verò iis, qui ex Gentibus ad Ecclesiam venissent: quod hodiernis quoque temporibus Ecclesia permittit; ubi enim in eadem Civitate adsunt cum Latinis permixti Græci etiam Catholici, unus Episcopus adest qui Latinis, alter qui Græcis præsit, & hoc ob Rituum diversitatem. Cæterùm sublato inter Antiochiæ Fideles dissensionis pariete, ac utrâque parte in unum cœtum adunatâ, cùm non duobus Episcopis ampliùs opus esset, sed unus sufficeret, Ignatius libenter cessit Evodio, ut Clemens Lino in Ecclesia Romana. Non desunt tamen, qui velint, etiam sublato dissidio circa Legalia, S.Ignatium unâ cum Evodio in regimine illius Ecclesiæ continuasse, quia ob diversitatem morum inter venientes ex Gentibus, & venientes ex Circumcisione, unus non sufficiebat ad unos regendos, & alios convertendos, donec Evodio defuncto, solus Ignatius Ecclesiæ illius regimini remansit.

VII. De Evodio præter Episcopatum Antiochenum vix quidquam aliud apud Veteres invenitur. Fuerunt aliqui existimantes, de hoc locutum fuisse S.Paulum ad Philipp.cap.4.v.2., dum ait: *Evodium rogo, & Syntichen deprecor, idipsum sapere* in Domino. Sed non adverterunt isti, Paulum non dicere *Evodium*, sed *Evodiam*. Nomen ergo feminæ erat, non viri, quam hortatur Paulus ut concorditer cum Syntiche alia femina laboret in Evangelio. Scio, quædam Manuscripta Græca legere *Evodio* pro *Evodian*: sed quamvis hoc esset, cùm Paulus loquatur de Evodia, sive Evodio existente Philippis in Macedonia, non potest loqui de Evodio Episcopo Antiochiæ, qui erat in Syria. Evodium inter 72. Discipulos recenset Hippolytus. Latini ejus Festum agunt die 6. Maii. S. Ignatius in Epist. ad Philadelphios ipsi tributâ eum inter illos Sanctos recenset, qui virgines permanserunt. Scripsisse videtur nonnulla, quæ exciderunt; ex quibus Nicephorus fragmenta recitat L.2. cap.3. Ita

ex Baronio in Notis Martyrol. die 6. Maii, ubi dicitur, quòd *glorioso Martyrio vitam finivit*. Græci tamen in Menologio Canisii dicunt quidem, quòd *post multos cruciatus & plurimos ad Christi Fidem conversos ad desideratum Dominum pervenit*, sed in cruciatibus eum mortuum fuisse non dicunt.

VIII. Ducenta hominum millia Antiochiam tunc incolebant, ait Chrysostomus Orat. in S. Ignatium: ex quo infert, quàm difficile regimen assumserit Ignatius, iis maximè temporibus Apostolicis, quibus non sine gravibus ærumnis ac periculis Verbum pietatis seminari poterat, & cum Judæis & Gentibus contendendum erat: nec Antiochena tantùm Civitas, sed tota Syria ejus curæ demandata erat. Quarè ipse in Epist. ad Romanos Episcopum Syriæ se appellat, quia totius Syriæ Caput: unde postea Episcopus Antiochenus Patriarchæ titulo auctus fuit. Ut tempestates ac persecutiones sub Domitiano excitatas sedaret, boni Pastoris partes egit; animam tamen pro ovibus non dedit, quia tempus à Deo præordinatum nondum advenerat. Pro Ecclesiæ unitate tuenda & Schismatibus ab ea avertendis maximè laboravit. Ideòque in Epist. ad Philadelphios altâ voce clamabat: *Sequimini Episcopos, sequimini Presbyteros, sequimini Diaconos*, idest eorum doctrinam concordes tenete. Unitatem diligite.

§. II.

S. Ignatii Gesta ante Martyrium.

I. Aliquot annis post Domitianum Ecclesiam Antiochenam S. Ignatius administraverat, cùm translato in Trajanum Imperio, Martyrii pro Christo, quod diù optaverat, certa spes Sancto Præsuli affulgere cœpit. Nonum Regni sui jam Trajanus agebat (qui centesimus sextus Christi erat) cùm inflatus victoriis, quas contra Dacos & Scythas aliosque Barbaros præcedente anno reportaverat; nec considerans, omnia hæc ad Deum Exercituum Christianorum se referre debere, putans nil aliud deesse quod suæ potentiæ subjugaret, quàm ut Idolis suis etiam Fideles Christi subderet, minatus eis fuit, ut vel Diis sacrificarent, vel mortem obirent. Hoc ergo animo mense Octobri Româ discedens, ut pertransitâ Armeniâ, bellum Parthis inferret, mense Decembri Seleuciam devenit, & septimâ Januarii (anni 107.) Antiochiam ingressus est. Hæc ex Actis Martyrii ejus sumta sunt; ex quibus sequentia colligam.

II. Igna-

II. Ignatius tunc bonus Pastor pro ovibus suis animam ponere paratus, se ad Trajanum duci intrepidè sustinuit. Cùmque coram eo sisteretur: Tu ne es, inquit Trajanus, perfidus ille Dæmon, qui nostra mandata contemnere, aliosque tuâ suasione ad exitium pertrahere gloriaris? Cui placido ac sereno vultu Ignatius: Ecquis unquam perfidum Dæmonem vocavit Theophorum, cùm potiùs à Servis Dei Dæmones fugiant? Quod si tu vocas me Dæmonem, quia Dæmonibus infestus sum, verùm dicis: nam ferens in me Jesum Christum, omnes Dæmonum artes & conatus virtute ejus, qui Rex Cœli est, dissipare contendo. Tunc Trajanus. Et quis, ait, est Theophorus? Qui Jesum Christum fert in corde suo, reposuit Ignatius. Cui Trajanus iterùm: Vos ergo non creditis, ferre nos in cordibus nostris nostros Deos, quorum ope inimicos nostros prosternimus? Respondit Ignatius: Iste vester error est, qui Dæmones, quos colitis, appellatis Deos. Deus alius non est, nisi unus qui fecit Cœlum, terram, Mare, & omnia quæ in eis sunt: & unus Jesus Christus Filius ejus unicus, ad cujus Regnum admitti toto studio contendo. Tunc Trajanus: An nescitis, hunc Jesum fuisse sub Pontio Pilato crucifixum? Scimus, ait Ignatius, sed scimus etiam, Jesum unà cum Dæmone crucifixisse peccatum, Dæmonum vires contrivisse, eosque pedibus eorum, qui ipsum in corde gerunt, substravisse. Tu ergo, inquit Trajanus, Crucifixum in corde tuo portas? Ita, respondit Ignatius; ipse enim dixit: „*Qui manet in me, & ego in eo*. Indignatus Trajanus hanc sententiam protulit: Mandamus, ut Ignatius, qui dicit, in se ferre Crucifixum, alligatus Romam à militibus deportetur, ut sit bestiarum cibus & spectaculum Populi. Hactenùs ex Actis.

III. Sed cur Trajanus Ignatium à feris devorandum Romam traduci jussit, nec potiùs hoc Antiochiæ peregit, ut oves Christi videntes suum Pastorem percussum conterritæ dispergerentur? Hoc Dæmonis consilium fuit; sed aliud erat consilium Dei. Dæmonis consilium fuit, ut laboribus & angustiis, quibus in itineribus premebantur, imbecilliores fierent, & tandem eorum constantia frangeretur. Dei autem consilium erat, ut ipso eos comitante ac fortiores reddente, exemplum Regionibus, quas pertransibant, relinquerent, ac fideles in eis existentes redderent alacriores. Ita S. Chrysostomus Orat. citatâ in S. Ignatium his verbis: *Versutus enim Diabolus & ad struendas aptus insidias sperabat, si Pastores sustulisset, ovilia se facilè direpturum. Sed qui comprehendit astutos in eorum astutia, ostendens Ecclesias suas non ab hominibus gubernari, sed eos qui in ipsum credunt, semper à se*

 regi,

regi, id fieri permittebat, ut cùm cerneret, Rectoribus sublatis, non tamen Religionem imminui, nec veritatis prædicationem extingui, sed potiùs augeri, ex rebus ipsis & ipse, & qui ei inserviebant, omnes intelligerent, Christianorum disciplinam non ab hominibus pendere, sed in Cœlis radices agere, Deumque esse, qui ubique Ecclesias tueretur, & qui cum Deo bellum gererent, numquam posse discedere superiores.

Neque verò id solum Diabolus, sed aliud non minùs grave machinabatur. Non enim in Urbibus, quibus præerant, trucidari Episcopos sinebat, sed operam dabat, ut in externas Civitates abstracti è medio tollerentur. Id autem agebat, simul ut necessariis rebus spoliarentur, simul ut itineris labore confecti redderentur imbecilliores: quod in hoc etiam beato viro (Ignatio) *fecit. Ex nostra enim Civitate* (Antiochena) *Romam abducendum curavit, longiora ipsi cursus spatia proponens, ut ex itineris & temporis longitudine Viri constantiam labefactaret, ignarus quòd tam longæ viæ Jesum comitem cùm haberet, quòdque fortior evaderet, & virtutis quæ secum esset majus argumentum præberet, & Ecclesias magis confirmaret. Civitates enim, quæ in ea via erant, undique concurrentes, pugilem excitabant, & cum magno commeatu dimittebant, precibus & supplicationibus cum ipso certantes. Et ipsæ consolationem non vulgarem ex ipso percipiebant, cernentes Martyrem tanta cum alacritate ad mortem currere, quanta par erat, eum qui ad Regna Cœlorum proficisceretur. Ac re quidem ipsâ, ex promto illius animo discebant, eam non esse mortem, ad quam properabat, sed peregrinationem quamdam & transitum atque ascensum in Cœlum. Hæc autem tum dictis tum factis in omni Civitate docens, discessit. Et sicut Judæi cùm Paulum vinctum Romam mittendum curarunt, opinati sunt, se illum ad mortem mittere; attamen Judæis illic habitantibus miserunt Præceptorem: sic etiam abundiùs in Ignatio factum est. Neque enim solis Romæ habitantibus, verùm etiam omnibus in toto illo itineris spatio Civitatibus interjectis admirabilis Magister extitit* &c. Ignoscat Lector, si eum in Chrysostomo diù detinui; hæc enim nedum Ignatii laudes promovent, sed mirè confirmant, Religionis Christianæ Deum esse Auctorem, quod est totius præsentis Operis scopus & argumentum.

IV. Ecclesiis igitur Syriæ Jesu Christo ut Episcopo commendatis, alacri animo ad Romanos, ut sæpè optaverat, invisendos contendens, Antiochiâ Seleuciam Ignatius devenit, ubi navi impositus Asiæ oras circumlegendo iter inchoavit, interea ex Fidelibus Antiochenis non paucis breviori viâ ipsum Romam prævenientibus. Ipsum in itinere comitati fuere Philo Tar-

Tarsensis Ecclesiæ, & Agathopos Antiochenæ Diaconi, quorum cum laude meminit scribens ad Tarsenses, ad Philadelphos, & ad Antiochenos, quorum memoria colitur in Maryrol. Rom. die 25. Aprilis. Hi in itinere Romam usque aderant ei in ministerio Verbi, quod quòcumque perveniebat prædicabat: etsi enim terrâ marique à decem militibus, quos in Epist. ad Romanos *Leopardos* ob feritatem vocat, custodiretur; nihilominùs Ecclesias, quas pertransibat, quarum Fideles ad eum accurrebant, in Fide confirmare non cessabat, salubria eis monita inserens, ut unitatem sartam tectam servarent, hæreticos præsertim Cerinthianos, & Ebionitas tunc insurgentes vitarent, Traditiones Apostolorum custodirent, ac demum vitam præsentem contemnerent. Ita Eusebius L.3. hist. cap.36.: *Cùm*, inquit, *per Asiam sub accuratissima satellitum custodia ductaretur, singularum nihilominùs Civitatum, quas ingrederetur, Ecclesias sermonibus & cobortationibus suis confirmaus, monebat in primis, ut sibi a pravis Hæreticorum opinionibus suis caverent, quæ tunc primùm in lucem emergere cùm cæpissent, copiosiùs pullulabant. Hortatusque est ut Apostolorum Traditionibus tenaciter inhærerent* &c.

V. Cùm Smyrnam pervenisset, S. Polycarpum allocutus fuit; ambo enim S. Joannis Evangelistæ olim Discipuli fuerant, & coram eo, totaque Smyrnensi Ecclesia, quæ ad eum invisendum accurrerat, suorum vinculorum gloriam testatus, rogavit omnes, ut communia vota suis conjungentes, Deum precarentur, ut ab oculis hominum quantociùs ereptus, oculis Dei in Cœlis præsentaretur. A Smyrnensibus Fidelibus summo se amore exceptum scribit ipse in Epist. ad eosdem. Ephesii quoque per Onesimum eorum Episcopum, Burrhum Diaconum, Crocum, Egen, ac Frontonem eum visitarunt (Epist. ad Ephes.). Magnesii similiter per Damam Episcopum, Bassum, Apollon Presbyteros, & Sotionem Diaconum (Epist. ad Magnes.). Tralliani quoque per Polybium Episcopum (Epist. ad Trallianos). Præ cæteris tamen Ephesios fideles, eorumque Episcopum Onesimum, ejusque caritatem celebrat (Epist. ad Magnes. & ad Ephes.). Hunc Onesimum eundem fuisse, de quo S. Paulus in Epist. ad Philemonem, aliqui volunt; hic enim Episcopus Ephesi fuisse dicitur: alii tamen diversum esse volunt; tum quia Onesimum, de quo S. Paulus, Berœæ in Macedonia Episcopum faciunt, non Ephesi, tum quia anno 107., quo Ignatius Romam traducebatur, vel è vivis excesserat, vel ad extremam senectutem perductus: de quo supra dixi cap.2. de S. Paulo §.21.n.7.

VI. Hoc

VI. Hoc modo Ignatio, quemadmodùm Paulo, vincula in honorem convertebantur, dum & ipse, qui ducebatur Romam ad Martyrium, sicubique à Fidelibus excipiebatur, ac si pergeret ad triumphum. Smyrnæ præter tres ad Ephesios, Magnesianos, & Trallianos, quartam ad Romanos scripsit Epistolam. De his Eusebius cap. 36. citato ait: *Itaque cùm Smyrnam venisset, in qua tum erat Polycarpus, unam quidem Epistolam scripsit ad Ecclesiam Ephesiorum, in qua Onesimi ipsorum Pastoris mentionem facit: alteram quoque dedit ad Ecclesiam Magnesiæ Civitatis, quæ ad Meandrum sita est, in qua etiam Damam Episcopum nominat: aliam etiam ad Ecclesiam Trallianorum, cujus Antistitem tunc fuisse memorat Polybium. Præter has est & alia ejus Epistola ad Ecclesiam Urbis Romæ, in qua orat atque hortatur Romanos, ne Martyrium à se depellentes, ac deprecantes, spe ac voto se fraudare velint.*

Sed operæ pretium fuerit ad confirmationem eorum, quæ diximus, nonnulla ex iis litteris hìc adscribere, scribit igitur in hunc modum: „ A Syria Romam usque cum bestiis depugno, terra „ marique, noctu & interdiù, colligatus decem Leopardis, „ hoc est manipulo militum, qui beneficiis à me affecti sæviores fiunt. Verùm ego injuriis quidem illorum erudior, non „ idcircò tamen justificatus sum. Utinam fruar bestiis illis, „ quæ mihi paratæ sunt; quas equidem opto, ut quamprimùm „ inveniam. Palpaturus sum eas, ut me celeriter devorent, „ nec metu absterritæ mihi parcant, quemadmodùm aliquibus „ pepercerunt. Quòd si fortè recusabunt, ego eas vi adigam. „ Veniam mihi date. Novi quidnam mihi conducat. Nunc „ tandem incipio esse Discipulus Christi. Nulla res tam earum, „ quæ aspectabiles sunt, quàm earum, quæ sub oculos non cadunt, animum meum capiat, ut Jesu Christo possim potiri. „ Ignis, Crux, bestiarum impetus, ossium distractio, confractio membrorum, ac totius corporis contusio, Diaboli denique supplicia in me unum incurrent, dummodò Christo „ frui mihi liceat „. *Et hæc quidem ille ex Asia ad Ecclesias superiùs memoratas perscripsit*. Verba sanè Divino Spiritu & heroico amore Christi plena! Timebat vir intrepidus, ne Fideles Romæ existentes pietate erga ipsum moti, aliquà viâ Trajani sententiam emollire tentarent, vel saltem Deum precibus exorarent, ne bestiæ ei nocerent, & sic Martyrii gloriam ei eriperent.

VII. Cùm aliquandiù Smyrnæ moram traxisset sub militum custodia, Troadem (ex antiquæ Trojæ ruinis urbem) pervenit. Inde

Inde scripsit ad Philadelphiensem & Smyrnensem Ecclesiam, & ad Polycarpum, ei Ecclesiam suam Antiochenam commendans. Ita Eusebius laudato loco: *Postea*, inquit, *à Smyrna ulteriùs progressus, cùm Troadem venisset, inde ad Philadelphensis litteras dedit, & ad Smyrnaeorum Ecclesiam, privatimque ad Polycarpum eorum Episcopum. Quem cùm Apostolicum virum esse plenè cognosceret, ipsi tamquam bonus ac fidelis Pastor gregem Antiochenae Ecclesiae commendavit, rogans, ut omni curâ ac diligentiâ illum fovere vellet*. Smyrnâ Troadem usque Burrhus Diaconus Ephesi eum comitatus fuit, quem Smyrnae & Ephesi Fideles, honoris causâ ad hoc delegaverant.

Nil aliud ardentiori studio Ignatius à Deo postulaverat, quàm ut suam Antiochenam Ecclesiam à Trajani persecutione in Fide constantem servaret. Preces servi sui exaudivit Deus; vix enim Troadem pervenerat, cùm laetum nuntium de pace suae Ecclesiae reddita accepit, quo hilarior ad Martyrium properavit.

§. III.

S. Ignatii Adventus Romam & Martyrium.

I. Troade igitur solvens, & Neapolim Civitatem Macedoniae pertransiens Philippos pervenit, ubi à Fidelibus peramanter exceptus fuit. Comites tunc habebat Zozimum & Rufum, qui unà cum eo Civitatem ingredientes, inter vincula, quibus constringebantur, verae caritatis & admirabilis patientiae illustre exemplum reliquerunt. De Zozimo & Rufo memoriam celebrat Martyrol. Romanum die 18. Decembris his verbis: *Philippis in Macedonia natalis Sanctorum Martyrum Rufi & Zozimi, qui ex eo numero Discipulorum fuerunt, per quos primitiva Ecclesia in Judaeis & Graecis fundata est, de quorum felici agone scribit S. Polycarpus in Epistola ad Philippenses*. De his Beda, Usuardus, Ado, & alii. Et S. Polycarpus Epist. citatâ apud Eusebium L.3. cap.36.: *Obsecro*, inquit, *vos omnes, ut pareatis Praepositis vestris, omnemque patientiam exerceatis, quam spectastis non solùm in Ignatio Rufo & Zosimo viris beatissimis, sed etiam in aliis Civibus, & inquilinis vestris* &c. Passi autem feruntur & ipsi sub Trajano.

II. Philippis excedens Macedoniam, atque Epirum Epidamnum, seu Dyrrachium (vulgò *Durazzo*) usque pertransit. ibi navem conscendit, atque mare Adriaticum enavigans in Tyr-

Tyrrhenum pervenit: inde diversas Insulas Urbesque prætergressus, demum Puteolos appropinquavit. Optasset ibi descendere, ac Pauli exemplum, qui Puteolis terrestre iter Romam suscepit, imitari; verùm violentus ventus terram prohibuit attingere: paulò tamen post, vento in propitium converso, unius diei ac noctis spatio ad Portum Romanum appulerunt. In Portuensi Urbe aliquantulùm subsistere Ignatius voluisset, sed militibus, quibus videbatur, se in itinere nimium temporis insumsisse, renitentibus, humiliter paruit: cùmque Portum jam reliquissent (ferunt Acta) & adventus Sancti Martyris fama jam præcurrisset, obvios habuerunt Fratres, qui pleni gaudio & mœrore simul undique accurrebant. Gaudebant, cum tam Sancto Viro Theophoro conversari posse; mœrebant autem, quòd illum Romam trahi ad mortem scirent. Fervidiores aliqui dicebant, captandum esse Populi animum, ne mortem Viri justi pateretur, sed ejus vitam communibus precibus postularet. At Ignatius ardore S. Spiritus accensus, quos ab hoc proposito Epistolis suis fuerat ante dehortatus, tanto ardore pro sui Martyrio peroravit, ut ad pedes ejus provoluti promiserint, se non impedituros, quin promtè ad Deum convolaret.

III. Post hæc ad Amphiteatrum ductus fuit, quò Pagani convenerunt, ut ferali spectaculo delectarentur. Celebrabant tunc quædam profana eorum festa *Sigillaria* nuncupata, quæ vel Gladiatorum pugnâ, vel ferarum conflictu claudi solebant die 20. Decembris. Hoc spectaculum, ut Imperatoris jussa exequerentur, Sancto Seni reservarunt. Bestiis itaque expositus cùm audiret præ fame rugientes Leones, hæc verba, quæ jam ad Romanos scripserat, protulit: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Sic gaudio incredibili totâ spectante Româ sanguinem suum pro Christo fudit: immissæ enim bestiæ eum, ut optaverat, in momento voraverunt, nihil de ejus corpore præter asperiora ossa relinquentes. Ejus Martyrium die 20. Decembris asseritur contigisse, quâ die Græci in Menologiis illud solemniter celebrant, anno autem Christi 107. Trajani undecimo, secundùm Eusebium in Chronico, quem sequitur S. Hieronymus L. de Script. Eccles. cap. 16. Latini tamen ejus festum colunt die 1. Februarii. Cur autem hoc acciderit, hactenùs ignoratur.

IV. S. Ignatii socii, qui Acta ejus Martyrii conscripsisse feruntur hanc ejus post mortem apparitionem narrant his verbis: *Horum nos ipsi spectatores facti, cum lacrymis domi vigilem noctem duximus, & genibus flexis multis precibus Deum orabamus,*

ut

ut nos infirmos de iis quæ facta fuerant certos faceret. Postea cùm paululùm obdormissemus, alii quidem illum subitò adstantem nosque complectentem videbamus, alii rursùs nobis orantem beatum Ignatium cernebamus, alii verò sudore stillantem tanquam ex multo labore advenientem & Domino assistentem intuebamur. Cùm ergò multo cum gaudio ista vidissemus, & somniorum visa contulissemus, Deum datorem bonorum laudavimus, & Sanctum beatum diximus, vobisque diem & tempus indicavimus, ut tempore ejus Martyrii convenientes, Athletæ & generoso Christi Martyri communicemus, qui Diabolum conculcavit, & pii sui desiderii cursum perfecit in Christo Jesu Domino nostro. Hæc Acta.

V. S. Ignatii Reliquiæ, Ossa videlicet, quæ bestiarum voracitas intacta reliquerat, subitò in capsula quadam reposita, paulò post ab iis eisdem, qui S. Martyris comites fuerant, velut inæstimabilis thesaurus reportata fuerunt, omnibus Fidelibus Civitatum, per quas transibant, eas humeris suis gestare sanctâ contentione certantibus. Reliquiæ præfatæ Antiochiam delatæ in cœmeterio extra portam Daphniticam depositæ fuerunt. Hujus Translationis memoriam die 17. Decembris Latini celebrant; Græci verò die 29. Januarii; ubi in Menologio Basilii hæc habent: *Beatus Ignatius Theophorus à Trajano Imperatore Antiochiâ Romam missus propter Christi confessionem cum bestiis pugnavit, à Leonibus, Senatu universo in Theatro consistente & spectante, suffocatus; id quod Sanctus precibus à Deo impetraverat: dicebat enim: Etsi optarent me à bestiis consumi, non tamen Christum meum abnegabo; sed cupio dentibus bestiarum moli, ut mundus panis Deo meo inveniar: Cùm igitur immissis in eum Leonibus suffocatus est, elatæ à Christianis ipsius Reliquiæ, & cum pompa atque honore Româ Antiochiam translatæ, totâ Urbe obviàm prodeunte cum cereis, Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, in eadem Urbe honorifico & magnificentissimo sepulcro conditæ fuerunt in ejusdem tutelam & præsidium.* De hac translatione magnificè loquitur Chrysostomus Orat. in S. Ignatium aliàs 42., hortaturque omnes, ut ad monumentum Martyris cum fiducia accedant.

Solùm difficultatem faciunt ultima verba ex Menologio relata, nempè, quòd S. Ignatii Reliquiæ Antiochiæ *in honorifico & magnificentissimo sepulcro conditæ fuerunt*: Hæc primæ translationi non congruunt, de qua etiam Evagrius L. 1. hist. cap. 16. dicit, quòd in cœmeterio collocatæ fuerunt, & quidem extra Urbem: sed potiùs secundæ quàm multis post annis, nimirùm anno 438. ut Baronius, vel 450. ut alii putant, Theodosius Junior fecit, dum è cœmeterio, in quo jacebant, in Templum

antea falso Numini sacrum intra Urbem deportavit: sic enim de ea Evagrius dicit: Divinus Ignatius *multis post annis translatus est: cùm Deus Opt. Max. Theodosio id suggessisset, ut Deiferum Martyrem majori honore afficeret, utque Templum jampridem Dæmoniis consecratum, quod Incolæ Tychæum nominabant, fortissimo victori ac Martyri dedicaret. Itaque quod olim delubrum Genii publici fuerat, factum est Templum & sacra Ædes Beati Ignatii, cùm sacræ ejus Reliquiæ ingenti pompâ curru in Urbem invectæ, & in Templo repositæ essent: quam ob causam publica festivitas quotannis ad nostra usque tempora communi totius Populi lætitiâ celebratur, quam Gregorius ejusdem Loci Episcopus longè adhuc magnificentiorem reddidit. Hæc idcircò illic facta sunt, quòd Deus Sanctorum Reliquias jam ex hinc honore afficiat.* Quid ad hæc Protestantes, qui Sanctorum Reliquias contemnunt, nec ullo in honore haberi volunt?

VI. Tertiam earumdem Sacrarum Reliquiarum Antiochiâ Romam translationem memorat Martyr. Rom. die 17. Decembris, dicens: *Postmodùm verò ejus Reliquiæ rursùs Romam translatæ sunt, & in Ecclesia S. Clementis unà cum corpore ejusdem Beatissimi Papæ & Martyris summâ veneratione reconditæ.* De hac tamen tertia Translatione Romam, quando fuerit facta, Baronius ipse in Notis hactenùs compertum non haberi dicit: opinatur tamen, tunc Antiochiâ ablatas Sanctissimi Martyris Reliquias, cùm Justiniano imperante Civitas illa à Cosrhoe Persarum Rege anno 528. igne ferroque vastata est, de quo Procopius L. 2. de Bello Persico.

CAPUT IX.

De Sancto Polycarpo Martyre.

§. I.

Incerta de S. Polycarpo.

I. CUm de S. Polycarpo aliqua Cap. præcedente dixerim, lubet hìc de eo pro dignitate sermonem instituere: cùm enim & ipse fuerit Joannis Apostoli Discipulus, inter Apostolorum Discipulos locum meritò habet. De exordiis vitæ S. Polycarpi nil habemus, nisi ad incerta quædam & apocrypha Acta recurramus, de quibus 26. Januarii Bollandus. Referunt ergo ista, quamdam Feminam Callisto nomine ab An-

Angelo in somnis monitam fuisse, ut sibi quocumque pretio acquireret puerum quemdam nomine Polycarpum Orientalem origine, quem duo homines Smyrnam ducebant. Paruit Callisto, & sibi comparatum puerum cùm velut filium nutrisset ac educasset, super omnia sua bona constituit, ei curam suæ domus confidens, & occasione cujusdam itineris horrei ac promptuarii sui custodiam ei concredidit. Absente ergo Dominâ, Polycarpus susceptâ curâ, omnia, quæ in horreis & alibi reperit, pauperibus distribuit. Reversa Callisto, statim horrea & promptuaria sua invisere voluit, dixerat enim Polycarpus ea esse vacua, sed illo à Deo gratiam postulante, omnia plena reperta sunt. Quid tamen fuisset, heræ suæ Polycarpus sincerè confessus est, quem ipsa nedum laudavit, sed adoptavit in filium, & suum hæredem universalem instituit.

II. Prosequuntur præfata Acta in enarrandis S. Polycarpi vitæ instituto in pauperes largitate & causis, quibus virginitatem amplexus fuit, cujus propositum exactè custodivit, intuitu maximè Bucoli Episcopi sui, à quo tandem Diaconus ordinatus, curam non solùm in fide Catechumenos instruendi, sed etiam Paganos, Judæos, atque Hæreticos revincendi munus suscepit, & summo zelo & prudentiâ administravit. Addunt fuisse postea ad Sacerdotium assumtum, quem honorem licèt præ humilitate refugeret, suscepit tamen victus precibus Populi, & maximè obsecutus præcepto Dei, qui per visum hoc illi mandaverat. Sed quòd hanc narrationem magis suspectam reddit est, quòd dicit, eum non fuisse Presbyterio initiatum, nisi cùm capilli senio albescere inciperent: nam ut infra dicam, 60. & ultra annis in Episcopatu vixit: quod contingere non potuisset, si jam senex Sacerdotio initiatus fuisset.

III. Bucolo Episcopo defuncto (ferunt Acta) Episcopi vicini convenientes, successorem Polycarpum Populi totius & Cleri promovente suffragio, necnon visionibus voluntatem Dei testificantibus constituerunt: ac subinde aliqua ab hoc Sancto Viro miracula patrata narrant.

IV. Quæ de Bucolo hæc historia narrat, nempè quod Smyrnensis Episcopus fuerit ante S. Polycarpum, suscipiuntur à Græcis, volentibus, Bucolum ante mortem S. Polycarpum ordinasse in successorem. Sic enim habent in Menol. Basilii die 6. Februarii, *Sanctus Pater noster Bucolus ab ineunte ætate omnem suam operam in id contulit, ut pius esset, Deumque timeret: cujus studium ubi cognovit Sanctus Joannes Theologus, suscepit eum fecitque suum Discipulum, & unà cum illo versatus est dum Ephesi fuit. Videns*

autem illum virtute præditum, omnibusque spiritualibus operibus refulgentem atque perfectum, Smyrnæ Episcopum creavit: qui Sancto Spiritu duce multos Infidelium ab errore conversos & ad unum Deum adductos baptizavit. Sic autem excelluit, ut & futura prædiceret. Quare Sanctum Polycarpum sibi successurum prophetico spiritu prænoscens, adhuc vivens illum ordinavit, & Episcopum in suum locum Pastoremque constituit. Mortuus verò & sepultus plantam è tumulo suo germinare fecit, quæ multas curationes efficit.

V. Idem quoad Ordinationem à Bucolo dicunt die 23. Februarii de S. Polycarpo his verbis: *Polycarpus Sanctissimus Joannis Theologi Apostoli & Evangelistæ Discipulus Smyrnæ Episcoscopus in demortui sacratissimi Bucoli Episcopi locum ordinatus est: etenim Bucolus dum adhuc viveret, de eo prædixerat, fore ut esset alter Smyrnæ Episcopus. Commotâ autem à Decio Imperatore adversùs Christianos persecutione, comprehensus & ad Proconsulem adductus, post multos cruciatus occubuit. Plurima verò miracula edidit: etenim priusquam ordinaretur exhaustum Nutricis suæ penu bonorum omnium copiâ, ad egentium utilitatem, fusis ad Deum precibus replevit. Postquam autem ordinatus est, magnum incendium oratione extinxit, & siccitatis tempore imbrem impetravit. Cùmque alia plurima portenta Dei gratiâ fecisset, obdormivit, miraculorum dono ad hunc diem illustratus.*

VI. Hæc Græci partim excerpta ex prænarrata historia, quæ valdè dubia sunt, utpotè ex authenticis monumentis non prolata (ut infra), præsertim verò de Bucolo ejus prædecessore; nam Svidas ponit Bucolum primum Smyrnæ Episcopum, & S. Polycarpum secundum. Vita S. Polycarpi apud Bollandum 26. Januarii ante Bucolum videtur ponere Strateam filium Loidis (de qua 2. ad Timoth. 1. v. 5.) & S. Timothei fratrem consobrinum. Constit. tamen Apost. L. 7. cap. 46. Aristonem primum Episcopum Smyrnæ ponunt, post quem Strateam Loidis filium, & deinde alium Aristonem. Tutius ergo est his parum fidere. Minùs recipienda sunt, quæ dicunt de ejus Ordinatione factâ à Bucolo, cùm constet, eum ab Apostolis, qui tunc supererant, & maximè à Joanne, fuisse Smyrnensi Ecclesiæ præfectum; sic enim Irenæus L. 3. adv. hæres. cap. 3. ait: *Polycarpus autem non solùm ab Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra ætate: multum enim perseveravit, & valdè senex gloriosissimè & nobilissimè Martyrium faciens exivit de vita.*

Cùm

Cùm ergo Irenæus, qui S. Polycarpo fuit coævus & ipsum vidit, testetur, eum ab Apostolis constitutum fuisse Episcopum, non à Bucolo vel alio; ejus testimonio standum est.

§. II.

Certa de ejusdem Gestis ac Martyrio.

I. S. Polycarpus tanto studio ardebat, pro retentione dogmatum, quæ ipse ab Apostolis Ecclesiæ tradita audierat, ut Hæreticos suo tempore nova, eaque contraria spargentes ferre non posset. Quare Irenæus in Epistola ad Florinum quemdam, qui ad hæresim Valentini transierat, apud Eusebium L.5. hist. cap.20. (quæ in operibus Irenæi extat) postquam Florino ostendit, ea, quæ ex Valentino tenebat, esse contraria iis, quæ à Beato Polycarpo simul didicerant, ait: *Et in conspectu Dei affirmare possum, Beatum illum & Apostolicum Presbyterum, si quid ejusmodi unquam audiisset, exclamaturum continuò, & obturatis auribus suis, dicturum fuisse, prout ipsi moris erat* ,, Deus bone, quæ me in tempora reservasti, ut hæc sustinerem! ,, *atque ex loco ipso aufugiturum, in quo seu stans seu sedens ejusmodi sermones audiisset*. Idemque Irenæus L.3. cap.3. dicit, quòd cùm S. Polycarpus Romam sub Aniceto venisset, *Sunt qui audierunt eum dicentem, quoniam Joannes Domini Discipulus in Ephesio iens lavari, cùm vidisset intùs Cerinthum, exilierit de balneo non lotus, dicens, quòd timeat, ne balneum concidat, cùm intùs esset Cerinthus inimicus veritatis. Et ipse autem Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti sibi & dicenti*: Cognoscis nos? *Respondit*: Cognosco te primogenitum Satanæ. Quod refert etiam Hieronymus L. de Script. Eccles. cap.17.

II. Ne putes tamen, S. Polycarpum in Hæreticos ita affectum fuisse, ut illos si converti vellent dedignaretur. Oderat errorem, sed homines diligebat, abhorrebat contumaces, sed pœnitentes amplectebatur: ideòque S. Irenæus citato cap.3. refert, quòd cùm Romæ multos à Marcione deceptos invenisset, eos ab errore avertit, & ad Ecclesiam reduxit, constanter docens doctrinam, quàm Ecclesiæ tradebat, esse illam, quam ab Apostolis ipse acceperat, & Apostoli à Christo. Ita Irenæus: *Cùm*, inquit, *advenisset in Urbem* (Polycarpus) *multos ex his, quos prædiximus* (Valentinianos, & Marcionitas) *hæreticos convertit in Ecclesiam Dei, unam & solam hanc veritatem annuntians, ab Apostolis percepisse se, quam & Ecclesiæ tradidit*. Hinc ibi tanto

to in honore habitus est, ut Anicetus, teste eodem Irenæo apud Eusebium L.5. cap.24. ei *in Ecclesia consecrandi munus, honoris causâ, concesserit*, idest in publico omnium Fidelium conventu loco sui Pontificalia munia obeundi. Nec controversia de Paschatis celebrandi die, quæ inter illos versabatur, communionem disrupit, aut aliquatenùs imminuit caritatem; nam etsi alter alterum in suam trahere sententiam non valuisset, nihilominùs *cum pace à se invicem discesserunt*.

III. Meritò igitur S. Hieronymus L. de Script. Eccles. c.17. totius Asiæ principem illum vocat, dicens: *Polycarpus Joannis Apostoli Discipulus, & ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit*. Et Ignatius Martyr, quem, ut dixi, Polycarpus Romam adeuntem susceperat, cuique moriturus Ecclesiæ Antiochenæ curam commiserat, in Epist. ad Smyrnenses *Dignum Deo Episcopum* appellat. Et Polycrates apud Eusebium L.5. cap.24. in Epist., quam ad Victorem Papam scribit, post Joannem Apostolum inter illustriores Asiæ Episcopos primum locum Polycarpo concessit.

IV. Postquam S. Polycarpum in Ecclesiæ suæ utilitatem ac decus super terram diuturno tempore Deus servavit, tandem statuit illum ad se trahere & glorioso Martyrio coronare. Contigit istud excitatâ ferâ persecutione in Asia contra Christianos, Quadrato illius Provinciæ Proconsule, sexto anno Imperii Marci Aurelii & Lucii Veri, anno probabiliter Christi 166. Historia Martyrii S. Polycarpi eruitur ex Epistola ab Ecclesia Smyrnensi paulò post ejus mortem conscripta, cujus maximam partem suæ Historiæ inseruit Eusebius L.4. cap.15., quam integram exhibet P.Ruinart ex Usserio & Cotelerio, ex quibus quæ præcipua sunt colligam. Ex dicta tamen Epistola, ut ab Eusebio & aliis relata, S. Polycarpi Martyrium fuit velut quoddam signaculum, quod persecutioni finem imposuit: antea enim gloriosum agonem plures passi fuerant, quorum aliqui flagris ad intimas usque venas & viscera laniati, adeò ut corporis membra penitùs recondita, & viscera ipsa conspectui paterent: aliqui concharum testis & præacutis quibusdam spiculis humi constratis superpositi, & omni suppliciorum ac tormentorum genere excruciati; alii bestiis, ut ab eisdem laniarentur, objecti.

V. Duo tamen facta narrantur, unum celebrandum, lugendum alterum. Celebrandum, quòd quidam Germanicus nomine ætate adolescens feris objectus, *cùm Proconsulis in se miserationem cerneret & ab eo persuaderetur, ut saltem vel ætatem suam cogitaret, si alia fortè in se contemneret omnia, dolentem pro se inimicum*

cum aspernatus est & dedignatus est veniam, quam persuaderet injustus. Quare ipse ad se feram bestiam vocabat festinans maturè Mundi hujus labe exui, vel iniquitate privari. His visis vulgus universum stupore confectum, Christianorum animum mirabatur intentiùs, & clamatum est „Torqueantur nocentes, quæratur Polycarpus„.

VI. Alterum lugendum factum tale fuit. Quidam nomine Quintus natione Phrygius superveniens, fortè de Patria, subitâ voluntate patiendi cruento Judici se præsentavit; sed voluntatem vicit infirmitas. Nam missis ad se feris, & ipso aspectu timore perculsus, cœpit nolle quod voluit, & conversus ad Diaboli voluntatem probare illud, ad quod venerat destruendum. Itaque Proconsulis suasionibus victus, ejurato Christo, Idolis sacrificavit: relinquens documentum, ne præcipiti audaciâ nostræ infirmitatis obliti temerè periculis nos objiciamus. Non enim *laudare debemus eos, qui ultrò se offerunt, sed qui inventi latentes in passione potiùs perseverant. Sic nos namque Evangelicus sermo confirmat, & hoc hortatur exemplo, quo videmus cessisse ultroneum, & vicisse compulsum.*

VII. His auditis Polycarpus vir eximiæ prudentiæ, familiaribus hortantibus, non fugiens sed differens Martyrium, in agrum Civitati proximum secessit, die noctuque Deum orans, ut fortior esset in pœna. Signum tamen ante triduum quàm comprehenderetur revelationis accepit. Intuebatur, cervical capitis sui flammâ ambiente consumi, quo se igne fore cremandum intellexit, remque iis, qui cum eo erant, communicavit. Vix amicorum hortatu in alium agrum secesserat, cùm qui eum ad necem quærebant, adfuerunt. Sed cùm ubi ille esset investigare non possent, correptis duobus quos ibi invenerant pueris, cùm eorum alterum verberibus cæcidissent, perducti sunt ab illo ad diversorium Polycarpi; ingressique sub vesperam invenerunt eum in superiori parte domus quiescentem. Potuisset quidem eorum audito adventu aliò divertere, id tamen neglexit dicens: *Compleatur voluntas Dei: quamdiù voluit ille, distuli, & quamdiù jussit, optavi.*

Visis ergo illis statim descendit, & tantâ pedum velocitate & membrorum habitudine in ea ætate adeò provecta, ut omnes mirarentur. Ad eos cùm pervenisset, placido ac hilari vultu illos compellans, lautam mensam parari eis jussit, rogans ut interim sibi tempus orandi Deum indulgerent: quod obtinuit & duabus horis Orationem protraxit. Quâ completâ impositus asino cùm appropinquaret Civitati, obvios habuit Irenarcham Herodem & patrem ejus Nicetam, qui cùm vehiculo suo illum acce-

accepissent, eum hortari cœperunt dicentes: Quid mali est dicere, Domine Cæsar, & sacrificare, atque ita incolumem evadere? Frænato ille parumper ore, eisque urgentibus, tandem iratus respondit. Numquam faciam quod suadetis, nec minis, nec flagellis, nec morte ipsâ deterritus. Commoti tunc illi Polycarpum è vehiculo summâ velocitate currente dejecerunt, ita ut tibia impetu magna ex parte læderetur. Verùm ille, ac si nihil mali passus esset, alacri animo properans pergebat ad stadium, deducentibus eum satellitibus.

VIII. Verùm cùm arenam fuisset ingressus, statim è Cœlo vox sonuit clamans: *Polycarpe fortis esto, & viriliter age*. Et eum quidem, qui vocem emisit, vidit nemo; vocem autem, qui præsentes erant, audierunt. Tunc ad Proconsulem adductus ab eo interrogatur, num esset Polycarpus? ipsumque fatentem Proconsul hortari cœpit, ut negaret, dicens: *Miserere ætati tuæ: Jura per genium Cæsaris: resipisce: dic Tolle impios*. Tunc Polycarpus gravi ac severo vultu conversus ad Infideles & turbam Sceleratorum, qui ibi erant, manumque in eos intentans simulque gemens, ac Cœlum suspiciens dixit: *Tolle impios*. Insistente verò Proconsule atque dicente: *Jura, & dimitto te: convicium fac Christo*: Polycarpus respondit: *Octoginta & sex anni sunt, ex quo servio ei, nec me ullâ affecit injuriâ: & quomodò possum convicia dicere adversùs Regem meum, qui salvum me fecit?* Urgente verò Proconsule, ut saltem per genium Cæsaris juraret & persuaderet Populo; Polycarpus intrepidè recusavit. Tunc Proconsul *Bestias*, inquit, *habeo, bis te objiciam, nisi resipueris*. Polycarpo autem spernente bestias, rursùs ait: *Quandoquidem bestias spernis, efficiam, ut igne consumaris, nisi sententiam mutes*. Cui Polycarpus: *Ignem minaris, qui ad horæ spatium ardet, ac paulò post extinguitur; ignoras enim illum futuri Judicii & æternæ pœnæ ignem, qui impiis reservatur. Verùm quid moraris? Profer quodcumque volueris*.

IX. Hæc atque alia plurima cùm diceret, fiduciâ & gaudio replebatur, illiusque vultus plenus gratiæ erat: adeò ut non solùm turbatus ad minas non concideret, sed Proconsul ipse stuperet: qui tamen suum misit præconem, ter in medio stadii proclamaturum: *Polycarpus se esse Christianum confessus est*. Quod ubi pronuntiasset, universa multitudo Gentilium ac Judæorum, qui Smyrnam incolebant, effrænatâ irâ & magnâ voce conclamare cœperunt: *Hic est Asiæ Magister; Pater Christianorum; nostrorum Deorum eversor, qui multos docet, ne sacrificent, neve Deos adorent*. Ista inquientes rogabant Asiarcham Philippum, ut

ut Leonem adversùs Polycarpum emitteret. At eo se excusante, quòd venationes seu spectacula jam explevisset: illi uno consensu inclamare cœperunt, ut Polycarpus vivus combureretur; necesse enim erat, ut visio ei, ut supra, ostensa de cervicali ardente circa ejus caput impleretur.

X. Hæc igitur citiùs peracta sunt, quàm pronuntiata. Cuncta Plebs confestim ligna & sarmenta congregavit, Judæis alacri animo, ut solent, ad ista juvantibus. Rogo autem præparato, Polycarpus sibi detractis omnibus vestimentis, & cingulo soluto, conabatur etiam se excalceare; quod priùs non faciebat, quia singuli Fidelium contendebant, quisnam celeriùs corpus ejus tangeret. Illicò ei circumposita sunt, quæ ad rogum parata fuerant, instrumenta. Cùm verò etiam clavis affigendus esset, dixit: *Sinite me sic; Qui enim mihi dat ignem pati, dabit & sine vestra ex clavis cautione immotum in pyra permanere*. Illi ergo non clavis eum defixerunt, sed ligaverunt. Sic manibus post tergum recinctis, tanquam aries in holocaustum Deo præparatus, Cœlum intuitus oravit Dominum, ut sacrificium sui ipsius acceptaret. Completâ autem Oratione & responso *Amen*, statim Ministri ignis ignem accenderunt.

Cùm verò ingens flamma emicasset, grande miraculum visum est: Ignis enim ad formam arcus in aliquantam latitudinem cornua utraque flectens, velum navis imitatus corpus Martyris molli velabat amplexu, ne aliquid ex sanctis artubus flamma vastaret. Ipsum autem corpus, ut panis grata decoctio, vel ut aurum & argentum in fornace candens videbatur. Odor etiam thuris, aut myrrhæ, aut pretiosi alicujus unguenti, nidorem totius fugabat incendii. Tandem igitur cernentes impii, corpus ipsius non posse ab igne consumi, jusserunt congestorem ignis propiùs accedere, & gladium altè in sanctum corpus adigere. Quod cùm ille fecisset, statim columba egressa est, item tanta vis sanguinis, ut ignem extingueret, utque universa Plebs miraretur.

XI. Diabolus autem justorum inimicus acerrimus videns Polycarpi vitam irreprehensibilem glorioso Martyrio coronatam ac prodigiis illustratam, invidiâ percitus operam dedit, ne Reliquiæ corporis ejus à Christianis auferrentur, quamvis multi eis cuperent communicare. Suggessit ergo Nicetæ Herodis patri, fratri autem Alcos, adire Proconsulem, ne corpus illius ad sepeliendum traderet, ne, inquit, relicto Crucifixo, hunc colere incipiant; & hoc ajebant etiam suggerentibus Judæis, qui observaverant Fideles paratos illud ex igne extrahere: *Stulti* (ajunt

 Smyr-

Smyrnenses in Epist. apud Eusebium L.4. cap.15.) *qui ignorarent, nos nec Christum unquam posse relinquere, qui pro salute omnium, quotquot ex genere humano salvi futuri sunt, mortem pertulerit, nec alium quemquam colere; Illum enim utpotè Filium Dei adoramus; Martyres verò tanquam Discipulos & imitatores Domini merito amore prosequimur, ob eximiam ipsorum benevolentiam, quam erga Regem & Magistrum suum declararunt: quorum nos quoque consortes ac condiscipulos fieri omnibus modis optamus*. Ita secundo seculo credebant: solum Christum ut Filium Dei adorabant; sed Reliquias Martyrum ipsosque Martyres tanto honore prosequebantur, ut Infideles (licèt falsò) existimarent, eos pari cultu ac Christum adorare. Non contemnebant ergo, ut moderni Hæretici faciunt: non adorabant pari cultu ac Christum, ut isti nobis imponunt; sed inferiori honore, ut servos & amicos Christi prosequebantur.

XII. Porrò Centurio Judæorum pertinaciam animadvertens, Polycarpi Corpus in medio ignis positum exussit. *Atque ita* (Smyrnenses concludunt) *nos demum Ossa illius gemmis pretiosissimis cariora colligentes, ubi decebat condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus concedet Deus natalem ejus Martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo erudiendos & confirmandos*. Hæc de Beato Polycarpo, qui cum aliis duodecim Philadelphiensibus Martyrio est coronatus. Qui tamen solus omnium hominum memoriâ ac famâ præcipuè celebratur, adeò ut nomen ipsius ubique terrarum etiam à Gentilibus commemoretur. Passus fuisse dicitur *mensis Xanthici die secundo ante septimum Kalendas Majas Magno Sabbato horâ octavâ. Captus est ab Herode, sub Pontifice Philippo Tralliano, Proconsule Statio Quadrato*. Ita in prælaudata Epistola. Mensis Xanthicus sumitur hic pro Aprili, quem Smyrnenses à 25. Martii inchoasse aliqui volunt. Sed quia hoc non cohæret cum eo, quod dicitur 7. Kalend. Majas, putatur mendum irrepsisse. Die ergo 26. Martii, secundâ mensis Xanthici seu Aprilis, passum fuisse putat Pater Ruinart in Notis ad dictam Epistolam, cùm Magni Sabbati character id evincat. Quamvis ejus festum die 26. Januarii Latini celebrent: Græci verò die 23. Februarii. Ejus passionem anno Christi 166., alii 169. consignant, anno Imperii M. Aurelii Antonini vel sexto vel nono. Sed hæc omittenda censeo. S. Polycarpi Martyrium compendio describit Martyrologium Romanum die 26. Januarii sic: *Smyrnæ Natalis S. Polycarpi, qui Beati Joannis Apostoli Discipulus, & ab eo ejusdem*

dem Civitatis Episcopus ordinatus totius Asiæ princeps fuit: postea sub Marco Antonino & Lucio Aurelio Commodo, sedente Proconsule, & universo Populo in Amphiteatro adversùs eum personante, igni traditus est: sed cum ab eo minimè læderetur, gladio confossus Martyrii coronam accepit: cum quo etiam alii duodecim ex Philadelphia venientes in præfata Urbe Martyrio coronati sunt.

CAPUT X.

De Sancta Maria Magdalena.

NOn solùm Viri, sed & Mulieres testimonium pro Christi ejusque Fidei ac Religionis Veritate perhibuerunt: imò quamvis sexu infirmiores, in fide tamen & dilectione constantiores Viris se præbuerunt. Cùm enim, ut dixi in Passione Domini, Apostoli ac Discipuli in Fide nutaverint, & latebras ne deprehenderentur quæsierint, Mulieres impavidè ipsum nunquam, quando sibi licuit, deseruerunt. Eum comitatæ sunt Crucem ad Calvarium portantem, Cruci affixo ei astiterunt, unguenta, ut demortui corpus ungerent, emerunt, & præcurrentes ad monumentum, Resurrectionis ejus testimonium priores dederunt. Inter omnes fide ac dilectione excelluit Maria Magdalena, de qua in præsens agemus. De ha ergo primò sit

§. I.

Utrùm una & eadem sit mulier Evangelica, quæ Dominum unguento perfudit.

I. COntroversiæ cardo est, utrùm ea, quæ Lucæ 7. Domini pedes unxit & peccatrix appellatur, eadem sit, quæ Matth. 26. & Marci 14. ejusdem Servatoris caput unguento perfudisse narratur: ac rursùs eadem, quæ Joannis 12. pedes dumtaxat significatur unxisse, sororque Lazari Joann. 11. nuncupatur. Sive utrùm etiam illa ipsa mulier, quæ Christum unxisse iis in locis dicitur, sit eadem cum Maria Magdalena, ex qua septem Dæmonia exiisse dicuntur Lucæ 8.. An verò plures Mulieres iis in locis intelligendæ sint. Quæstionem hanc ex Recentioribus fusè tractant Baronius ad annum 32. à num. 18., Natalis Alexandr. tom. 1. hist. ad dissert. 17. Mantissa, Tilmontius tom. 2., aliique. Causa hæc sub judice adhuc est, & propter dissensionem,

tum inter Modernos, tum etiam inter Veteres nondum finita est & fortè numquam finietur.

II. Græci in Menol. Basilii 22. Julii Mariam Magdalenam eandem volunt esse, ex qua septem Dæmonia exierant, eam tamen à Maria sorore Marthæ; de qua die 8. Februarii, distinguunt, quam à muliere peccatrice distinguit Photius Cod. 275., dum eam fuisse Virginem asserit. Hujus opinionis visi sunt esse Patres Græci: his præit Irenæus L.3. adv. hæres. cap.14., ubi ostendens, Lucam nobis multa indicasse, quæ cæteri Evangelistæ tacuerunt, inter alia ponit, quòd *apud Pharisæum recumbente eo peccatrix mulier osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Ex quibus videtur inferri, quòd cùm cæteri Evangelistæ de Maria Magdalene, & Maria sorore Lazari mentionem faciant, hæc mulier peccatrix sit diversa ab illis. Dici posset tamen S. Irenæum solùm velle, Lucam expressisse non personam sed qualitatem personæ, nempe peccatricis, quam cæteri omiserunt.

III. Origenes tum Homil.1. & 2. in Cantica, tùm maximè Tract.35. in Matth., mulierem peccatricem distinguit ab ea, de qua Matthæus & Marcus, & ab ea, de qua Joannes loquuntur: ait enim: *Forsitan ergo quis dicit, quatuor fuisse mulieres, de quibus conscripserunt Evangelistæ: ego autem magis consentio tres fuisse: & unam quidem, de qua conscripserunt Matthæus & Marcus, alteram, de qua scripsit Lucas, aliam autem, de qua scripsit Joannes: quoniam differt ab aliis mulieribus, non solùm in his, quæ scripta sunt de unguento, sed quoniam & diligebat Jesus Mariam & Martham, quamvis & ipsa in Bethania referatur fuisse, sicut & mulier, de qua exponunt Matthæus & Marcus.*

IV. Accedit S. Joannes Chrysostomus tum homil. 81., modò 80. in Matth., ubi ad illa verba cap.26. v.7.: *Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, & effudit super caput ejus*, ait: *Hæc mulier una eademque videtur esse apud omnes Evangelistas; sed verè non est: verùm apud tres Evangelistas una meo judicio eademque est; apud Joannem verò non item; sed alia quædam mirabilis mulier soror Lazari.* Tum hom.61. modò 62. in Joann., ubi ad illa verba Joann.11. v.2.: *Maria autem erat ea, quæ unxit Dominum unguento*: hæc habet: *Hic quidam quæstionem movent, cur Dominus hoc mulierem facere permiserit? Primò itaque discas oportet, non hanc esse meretricem, de qua Matthæus & Lucas, sed aliam honestam mulierem.*

V. Idem Theophylactus in cap.14. Marci (quem refert S. Thomas in Catena aurea) *Quamvis autem*, inquit, *quatuor Evangelistæ unguentum mulieris commemorent, non est tamen una*

sed

sed duæ: una quidem, quæ describitur à Joanne, quæ soror est Lazari, quæ scilicet ante sex dies Paschæ unxit pedes Jesu: alia verò, quæ à reliquis tribus Evangelistis describitur. Adhuc autem si attendas, invenies has tres esse. A Joanne enim una describitur; altera verò à Luca, à duobus verò reliquis altera. Quæ enim à Luca describitur, meretrix esse dicitur, & in medio prædicationis tempore ad Jesum venisse: hæc verò, quæ à Matthæo & Marco describitur, dicitur in tempore Passionis venisse: nec peccatricem eam fuisse fatendum est. Ita ex Græcis alii quoque.

VI. Ex Latinis Patribus visi sunt dubitasse S. Ambrosius ad cap.7. Lucæ de illa muliere, quæ pedes Domini unxit, & peccatrix dicitur apud Lucam, & illa, quæ apud Matthæum caput ejus unxisse memoratur: *Potest ergo*, inquit, *non eadem esse, ne sibi contrarium Evangelistæ dixisse videantur. Potest etiam quæstio meriti & temporis diversitate dissolvi, ut adhuc illa peccatrix sit, ista perfectior. Etsi enim personam non mutat Ecclesia vel anima, tamen mutat profectum*. Et L.10. in cap.24. Lucæ, ex eo quòd Christum noctu surrexisse aliæ mulieres sciunt, aliæ nesciunt, infert eas diversas esse, dicens: *Nescit una Maria Magdalena secundùm Joannem, scit altera Maria Magdalena secundùm Matthæum. Nam eadem ante scire, postea nescire non potuit: ergo si plures Mariæ, plures fortasse etiam Magdalenæ: cùm illud personæ nomen sit, hoc locorum. Denique alteram esse cognosce. Illa permittitur pedes Domini tenere: tangere Dominum ista prohibetur. Illa Angelum videre meruit: hæc primò cùm venit, neminem vidit. Illa Discipulis Dominum resurrexisse nuntiavit: ista raptum esse significat. Illa gaudet; hæc plorat. Illi in gloria sua jam Christus occurrit: hæc adhuc mortuum quærit. Illa Dominum vidit & credidit: hæc non potuit agnoscere cùm videret. Illa fideli adorabat spiritu; hæc dubio mæstificabatur affectu.*

Non fuisse eandem mulierem, quæ Domini pedes unxit, & quæ caput, sentiunt S. Hilarius in psalm.132., S. Hieronymus in cap. 26. Matth. & L.2. adv. Jovin.: & S. Augustinus Tract.49. in Joann. dubitat, an Maria soror Lazari sit ipsa, quæ pedes Domini unxit unguento, & tersit capillis suis.

VII. Rationes insuper afferunt pro hac opinione Recentiores. Prima est, quòd mulier peccatrix, de qua Lucas, morabatur in Galilæa, & fortè in Civitate Naim; illa verò, de qua cæteri tres Evangelistæ, in Bethania.

Secundò: Mulier, quæ pedes Christi unxit Lucæ 7., erat peccatrix in Civitate; quæ verò ipsum unxisse refertur Matth. 26. & Joann.12., sancta erat, & à Joanne Lazari soror dicitur, & Chri-

Christo dilecta: imò ipse Lucas, qui cap.7. Peccatricis historiam narraverat, subinde cap 10. de Maria sorore Marthæ loquitur, quasi de ea nullam unquam mentionem fecerit.

Tertiò: verisimile non videtur, quòd Maria Marthæ & Lazari soror fuerit publica meretrix: id enim generis nobilitati derogasset, nec Lazarus tantum familiæ probrum tolerasset.

Quartò: Peccatrix illa Judæa esse non potuit, sicut Maria Lazari soror, sed Gentilis: Lex enim Mosaica meretrices non ferebat, Deuteron. 23. v. 17.: *Non erit meretrix de filiabus Israel*.

Quintò: verisimile non est, Mariam sororem Lazari Christo adeò familiarem publicam meretricem extitisse. Tum quia Judæi hinc occasionem cœpissent eum calumniandi; tum quia mortuo Lazaro ad ejus dolorem leniendum tantâ frequentiâ usque ad monumentum non confluxissent.

Sextò: de Maria Magdalena dicitur Lucæ 8. v.2. septem Dæmonia exiisse; de Maria sorore Lazari indignum videtur. Magdalena sequebatur cum aliis Dominum per Civitates & Castella, Maria soror Lazari semper proponitur domi suæ manens in Bethania. Demum credibile non est, mulierem arreptitiam fuisse meretricem, & habuisse amasios. Magdalena igitur & à Maria sorore Lazari & à peccatrice distinguitur.

Septimò: Mulier peccatrix, de qua Lucas cap.7., dicitur unxisse pedes Jesu in domo cujusdam Pharisæi: quæ verò unxisse dicitur Matth.26. & Marci 14., id fecisse legitur in domo Simonis Leprosi: quæ tandem Joann. 12. commendatur, hoc pietatis officium in propria domo videtur præstitisse.

Octavò: illa, de qua Lucas cap.7., unxit pedes Jesu longè ante Passionem, nempè sub prædicationis initio: illa, de qua Matthæus cap.26., id fecit biduo ante Pascha: ait enim ibidem Jesus: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet*. Quæ verò à Joanne memoratur cap.12., id fecit sex diebus ante Festum Paschatis.

Nonò: Mulier, de qua Mattheus & Marcus, accessit cum alabastro unguenti & effudit super caput Jesu, propter quod indignati sunt Discipuli: illa, de qua Joannes, accepit libram unguenti, illud effudit super pedes, & solus Judas dicitur murmurasse.

Decimò: In Evangeliis Mariæ Magdalenæ sæpissimè mentio fit, ut Matth.27. & 28., Marci 15. & 16., Lucæ 8. & 24., Joann. 19. & 20., nunquam tamen Marthæ & Lazari soror appellatur: nec Maria Lazari & Marthæ soror unquam Magdalena nuncupatur. Signum ergo est, Mariam Magda-

dalenam à Maria forore Lazari & Marthæ esse diversam.

Tandem ex cap.19. Joannis v.25. habetur, unam Mariam Magdalenam cum Maria Matre Jesu, sorore Matris ejus, stetisse *juxta Crucem Jesu*: alteram autem Magdalenam Marci 15. v.40. cum aliis mulieribus fuisse *à longè aspicientem* Jesum in Cruce pendentem. Præterea Joann.20. una Magdalena est, quæ sola venit ad monumentum, quæ ibi stetit foris plorans, cui Christus apparuit, & à qua se noluit tangi: altera, quæ Matth.28. venit cum alia Maria, quibus Jesus occurrens dixit *Avete*, & à quibus permisit sibi pedes teneri. Duplicem ergo non unam fuisse Magdalenam Evangelium indicat. Præfatis igitur tum Patrum auctoritatibus, tum ratiociniis ex Evangelio depromtis firmatur sententia Græcorum, non unam tantùm, sed plures fuisse mulieres, quæ unxerunt Jesum, & mulierem peccatricem à Maria sorore Lazari fuisse diversam. Cui opinioni ex Recentioribus subscribunt non pauci.

VIII. Nihilominùs pro sententia contraria, asserente unam fuisse mulierem Christi unctricem, quæ tale pietatis officium pluries, & pluribus in locis exercuit, eandemque esse mulierem peccatricem ac Mariam Magdalenam & Mariam sororem Lazari, opinantur alii Patres, præsertim Latini. Horum primus est Tertullianus, qui L. de Pudicitia cap.11. etsi factus jam Novatianus, admittit tamen eandem fuisse, quæ peccatrix Christi pedes lavit, & quæ postea unxit inaugurans ejus sepulturam, his verbis: cùm Dominus *peccatrici feminæ etiam corporis sui contactum permittit lavanti lacrymis pedes ejus, & crinibus detergenti, & unguento sepulturam ipsius inauguranti* &c. Idem sentit Sanctus Ephræm Syrus Serm. in mulierem peccatricem.

Succedunt S. Hieronymus & Ambrosius, qui estò citatis locis faverint opinioni asserenti, plures fuisse unctrices Christi mulieres, attamen inclinant in eam, quæ asserit fuisse unam. Hieronymus enim Præfat. in Oseam: *Hæc est*, inquit, *mulier meretrix & adultera, quæ in Evangelio pedes Domini lacrymis lavit, crine detersit, & confessionis suæ honoravit unguento, indignantibusque Discipulis & maximè Proditore, quòd non fuisset venditum, & pretium illius in alimenta pauperum distributum, Dominus respondit „ Quid molesti estis huic mulieri? „* Ubi simul conjungens, quæ de muliere Christi unctrice Lucæ 7. Matth.26. Marci 14. & Joann. 12. referuntur, eandem omninò personam esse indicat, de qua omnes Evangelistæ dicunt Christum unxisse.

S. Ambrosius verò in cap.7. Lucæ ait: *Hanc ergo mulierem inducit S.Matthæus supra caput Christi effundentem unguentum.*

Et

Et ideò fortè noluit dicere peccatricem. Nam peccatrix secundùm Lucam suprà Christi pedes effudit unguentum. Licèt autem subjungat: *Potest ergo non eadem esse, ne sibi contrarium Evangelistæ dixisse videantur*: addit tamen: *Potest etiam quæstio merito & temporis diversitate dissolvi....; etsi enim personam non mutat Ecclesia vel anima, mutat tamen profectum.* Ambrosius utramque sententiam de muliere unctrice tenet: & quòd sit persona diversa, & quòd sit eadem persona cum diversitate meriti, olim peccatrix, postea perfecta.

IX. Præ omnibus S. Augustinus, licèt ut supra Tractat.49. in Joann. visus fuerit anceps, tamen Lib.2. de Consf. Evangelist. cap.79. Matthæum cum Luca hac in re componens, ait: *Nihil itaque aliud intelligendum arbitror, nisi non quidem aliam fuisse mulierem, quæ peccatrix tunc accessit ad pedes Jesu, & osculata est & lavit lacrymis & tersit capillis & unxit unguento, cui Dominus adhibitâ similitudine de duobus debitoribus, ait, dimissa esse peccata multa, quoniam dilexit multùm: sed eandem Mariam bis hoc fecisse; semel scilicet quod Lucas narravit, cùm primò accedens cum illa humilitate & lacrymis meruit peccatorum remissionem. Nam hoc & Joannes, quamvis non sicut Lucas quemadmodùm factum esset narraverit, tamen ipsam Mariam commendans commemoravit, cùm jam de Lazaro resuscitando cœpisset loqui, antequam veniret in Bethaniam. Quod ita ibi narrat Joann.*11.*v.*1. „ Erat autem quidam, *inquit*, languens Lazarus à Bethania de Castello Mariæ & Marthæ sororis ejus. Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento & exersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur„. *Hoc dicens Joannes adtestatur Lucæ, qui hoc in domo Pharisæi cujusdam Simonis factum esse narravit. Jam itaque hoc Maria fecerat. Quod autem in Bethania rursùs fecit, aliud est, quod ad Lucæ narrationem non pertinet, sed pariter narratur à tribus, Joanne scilicet & Matthæo & Marco.*

Inter istos igitur tres Matthæum Marcum & Joannem quemadmodùm hoc conveniat attendamus, de quibus non est dubium, quòd eandem rem narrent gestam in Bethania, ubi etiam Discipuli, quod omnes tres commemorant, murmuraverunt adversùs mulierem tanquam de perditione pretiosissimi unguenti. Quod ergo Matthæus & Marcus caput Domini unguento illo perfusum dicunt, Joannes autem pedes, regulâ illâ ostenditur non esse contrarium, quam demonstravimus (supra c.46.n.98.) *cùm de quinque panibus pasceret Turbas. Ibi enim quia non defuit qui & quinquagenos discubuisse commemoraret, cùm alius quinquagenos, & centenos dixerit, non potuit videri contrarium: potuisset autem si alius centenos tantùm posuisset, sicut*

ficut alius quinquagenos, & tamen debuit inveniri utrumque factum esse. Quo exemplo informari nos oportuit, ficut illic admonui, etiam ubi finguli Evangelistæ fingula commemorant, utrumque factum intelligere. Proinde hîc non solùm caput, sed & pedes Domini accipiamus perfudisse mulierem. Ita S. Augustinus, qui alia multa præmittit & fubjicit, à quibus referendis, ne prolixior fim, abstineo.

X. Idem S. Gregorius non uno in loco fentit. Eandem enim esse Mariam Magdalenam ac mulierem peccatricem dicit homil.8. in Ezechielem, & homil.25. in Evangelia, & homil.33. eandem esse cum Maria forore Lazari dicit his verbis: *Hanc verò, quam Lucas peccatricem mulierem, Joannes Mariam nominat, illam esse Mariam credimus, de qua Marcus feptem Dæmonia ejecta fuisse testatur. Et quid per feptem Dæmonia nisi universa vitia designantur?* Adjungendi funt Beda in tribus fuorum Comment. locis fuper Matthæum Marcum & Lucam, Petrus Damiani Epist. 12. ad defiderium, S. Bernardus Serm.3. de Assumt., & S. Thomas Lect.15. in cap.12. Joannis, ubi hæc habet: *Dubitatur autem, utrùm hæc eadem mulier fuerit, de qua dicitur, quòd unxit Dominum, & de qua dicitur Lucæ 7. Matth.26. & Marci 14. Multis quidem videtur fecundùm Hieronymum & Chrysostomum, quòd mulier peccatrix, de qua Lucas narrat, non fit Maria foror Lazari, quæ Dominum dicitur unxisse. Origenes autem addit, quòd non fit eadem etiam, de qua Matthæus & Marcus narrant, fed illa fit quædam alia tertia.* Et infra: *Augustinus verò & Gregorius dicunt, quòd una & eadem mulier fuit, quam quatuor Evangelistæ narrant, Dominum unxisse, fed bis hoc fecit: primò quidem in principio fuæ conversionis intermedio tempore prædicationis Christi, quod Lucas narrat; fecundò verò imminente Christi passione hoc fecit, quod tres alii Evangelistæ narrant: unde idem factum est quod hîc narratur, & quod habetur Matth.26. & Marci 14.* Cui fententiæ fubfcribens S. Thomas momenta contraria folvit, de quo infra. Jansenius etiam in Tetrateucho ad cap.7. Lucæ eandem amplectitur; ubi dicit, quòd mulieris peccatricis nomen honoris causâ tacet, fed fuit Maria, quæ Cap. fequente v.2. dicitur Magdalena, & alibi foror Lazari ac Marthæ.

XI. Quia verò ex hactenùs dictis apparet, Patres Græcos oppositum fentire, & ex Latinis aliquos in utramque partem flecti: ideò cenfeo neutram Sacræ Scripturæ repugnare; opinionem tamen Augustini, & aliorum Latinorum, ut magis confonam amplecti placet: unam nempè esse mulierem peccatricem, Mariam Magdalenam, & Mariam fororem Lazari &

Marthæ. Ad momenta igitur contraria supra posita respondere conabor.

XII. Ad primum ergo dico, non esse inverisimile, unam ac eandem mulierem maximè liberiori vitæ indulgentem, qualis tunc erat Maria, propriâ relictâ domo & patriâ aliò se transferre: maximè quia in propria domo & patria sub oculis Lazari & Marthæ inhonestam & scandalosam vitam agere permissum ei non fuisset. Unde colligitur quidem, diversas fuisse unctiones, quia diversis in locis factas, non tamen mulierum ungentium diversitas.

XIII. Ad secundum dico non repugnare, quòd ea, quæ olim peccatrix fuerat, postea fiat sancta; ut enim supra ex Ambrosio dixi, anima, non personâ sed profectu tempore mutatur. Ita S. Paulus Vas electionis alius erat à Saulo persecutore. Sanctus Lucas autem sicut cap.7. ubi eam peccatricem nominat, voluit reticere nomen, ne eam infamaret: ita cap.10., ubi eam jam sanctam proprio nomine appellat, multò magis reticere decuit, eam fuisse olim peccatricem. Quod S. Lucæ familiare fuit, nam & S. Matthæi vocationem commemorans, qui ex Publicano factus Apostolus est, eum nomine proprio non appellavit, sed *Levi*: & ignoraremus quis ille fuisset, nisi S. Matthæus ipse proprium nomen ex humilitate prodidisset.

XIV. Ad tertium credibile non est, eo sensu Magdalenam dici peccatricem, quia publica & quæstuaria meretrix esset, sed quòd alicui Civitatis Viro nobili ac potenti nimiâ amoris voluptate addictâ, toti Civitati scandalo esset: vel quod meretricio quodam ornatu incederet, ut homines ad sui amorem alliceret, & sic occasionem vulgo daret de sua honestate malè cogitandi: id autem cùm sui juris ipsa esset, Lazarus fortè impedire non poterat.

XV. Hinc ad quartum respondeo, Magdalenam fuisse quidem illicitis amoribus devinctam, non tamen prostitutam aut saltem publicè meretricem. Sed hoc etiam dato non sequitur eam non fuisse Gente Judæam. Prohibitæ quidem erant meretrices, adhuc tamen ex filiabus Israel adesse supponuntur ibidem v.18.: *Non offeres mercedem prostibuli*; & Levitici cap.21.v.7. de Sacerdotibus dicitur: *Scortum & vile prostibulum non ducent uxorem*, & v.14.: *Meretricem non accipiet, sed puellam de Populo suo: ne commisceat stirpem generis sui vulgo gentis suæ*. Erant ergo meretrices apud Judæos, quamvis prohibitæ essent, sicut erant fœneratores & alii Legis violatores.

XVI. Ad quintum respondeo, mirum non esse, quòd Christus

ftus, qui venerat propter peccatores convertendos, eos specialiter pœnitentes diligeret, & proinde etiam Magdalenam, in qua specialem noverat erga se dilectionem. Nec ex hoc offendi poterant Judæi, qui sicut viderant eam peccatricem; ita postea videbant eam pudicam & sanctam. Quamobrem nec mirum est, quòd in morte Lazari, quæ biennio post ejus conversionem contigit, ut eam consolarentur, confluerent; maximè quia erant noti amici aut consanguinei.

XVII. Ad sextum dici potest cum S. Gregorio supra laudato, Mariam Magdalenam non corpore sed animo tantùm fuisse à Dæmoniis obsessam, quia multis peccatis antea implicatam, sed à Christo misericorditer solutam. Dici etiam potest (& propiùs Litteræ Evangelii); quòd Deus in libidinum suarum pœnam Dæmonibus etiam corporaliter vexandam eam tradiderat, à quibus per Jesum liberata pœnitens accessit & absoluta fuit: inde in grati animi significationem Jesum Liberatorem secuta est per Galilæam per Civitates & Castella prædicantem, donec in Bethaniam regressa, ibi cum Lazaro fratre & Martha sorore totam se Verbi Dei contemplationi dedit.

XVIII. Ad septimum admitto cum S. Augustino L.2. de Conf. Evang. cap.79. diversum à Simone Leproso esse Simonem Pharisæum: nam *si potest unus homo habere nomina duo, multò magis possunt & unum nomen habere homines duo.* Admitto etiam cum eodem, diversam fuisse unctionem, & diverso in loco factam. Sed eadem mulier fuit, quæ in utroque loco licèt diverso tempore hoc fecit: semel quidem in domo Simonis Pharisæi, & iterùm in Bethania in domo Simonis Leprosi. Hanc autem non fuisse propriam Lazari & sororum ejus domum, ex eo colligo, quod dicitur Joann 12. v.2.: *Lazarus unus erat ex discumbentibus cum eo;* idest unus ex invitatis ad cœnam.

XIX. Ad octavum dico, eandem fuisse cœnam, quam Matthæus cap.26., Marcus cap.14. dicunt factam in Bethania in domo Simonis Leprosi cum ea, quam describit Joannes tacito nomine domus & invitantis; diversam tamen à prandio apud Pharisæum biennio ante facto, de quo Lucas. Nec obest quòd Matthæus & Marcus illam cœnam proponant factam biduo ante Pascha, Joannes vero *ante sex dies Paschæ.* Matthæus enim & Marcus recapitulando posuerunt, ut factum in Cœna, quod postea factum fuit. Ita S. Augustinus laudato L.2. de Conf.cap.78. his verbis: *Recapitulando ergo* (Matthæus & Marcus) *ad illum diem redeunt in Bethaniam, qui erat ante sex dies Paschæ, & narrant quod Joannes de cœna & unguento: unde venturus erat Jerosoly-*

solymam, & peractis illis, quæ narrata sunt, perventurus ad diem, qui erat ante biduum Pascha, unde isti digressi sunt, ut recapitulando commemorarent quod ante in Bethania de unguento gestum est: cujus rei peractâ narratione, illuc iterùm redeunt, unde digressi fuerant, ut jam sermo Domini narretur, quem habuit ante biduum Pascha. Ita etiam S. Thomas S. Augustinum secutus in cap. 12. Joann. Lect. 1. Ordo igitur historiæ is est: Ante sex dies Paschæ facta fuit Cœna & unguenti perfusio, sequenti die ingressus est more triumphali Jerosolymam, ubi ante biduum Pascha præcedens sermonem habuit de sua imminente proditione, quam Judas hoc medio tempore machinabatur.

XX. Ad nonum jam dixi supra ex S. Augustino, quòd licèt Joannes dicat, mulierem effudisse unguentum supra pedes, Matthæus verò & Marcus supra caput Jesu, utrumque tamen factum fuisse credi debet. Sicut enim cùm quinque millia hominum Christus quinque panibus pavit, Lucæ 9. dicuntur discubuisse per quinquagenos: Marci autem 6. dicuntur discubuisse per centenos & quinquagenos, utrumque factum esse intelligimus, & ut centeni ac quinquageni discumberent, supplente Marco quod Lucas omiserat: ita & hic, dum alius pedes alii caput Christi à pia muliere perfusum dicunt, utrumque factum intelligi debet, ut priùs ad humilitatem pedes perfuderit, deinde fracto alabastro reliquum super caput effuderit, licèt hoc solùm alii Evangelistæ narraverint. Quòd verò alii alabastrum unguenti alius libram unguenti mulierem accepisse dicat, minùs obest: quia alabastrum designat genus vasis, libra verò unguenti quantitatem & pondus. Demum quòd Matthæus & Marcus dicant, Discipulos indignatos de effusione unguenti murmurasse, Joannes solum Judam, benè componitur dicendo, aliquos ex Discipulis murmurasse, Judâ tamen instigante, vel juxta loquendi modum Hebræis familiarem, positum fuisse numerum pluralem pro singulari, sicut à Matthæo cap. 27. & Marco cap. 15. de Latronibus cum Christo crucifixis dicitur, quòd *improperabant, convitiabantur ei*, cùm tamen Lucas cap. 23. de uno solo id asserat v. 39.: *Unus autem de his, qui pendebant Latronibus, blasphemabat eum*, & quòd alter illum increpaverit.

XXI. Ad decimum respondeo, unam eandemque personam variis nominibus donatam posse modò uno, modò alio nomine designari. Exemplum est in Petro, qui modò Simon, modò Simon Petrus, modò Simon Joannis, modò Petrus, modò Cephas appellatur. Sic eadem Maria, modò Magdalena, modò soror Marthæ & Lazari, modò tantùm Mulier nominatur, prout

prout sese præbet occasio. Si enim aliquod factum Evangelistæ narrent, quod sit illi commune cum Martha & Lazaro, eam vocant Mariam sororem Marthæ & Lazari; sin secus, vel Mariam Magdalenam, vel Mariam, quæ unxit Dominum unguento, appellant. Unde quia Lucas cap.10. eam describit cum Martha ministrantem, Joannes cap.11., ubi utramque pro Lazaro fratre supplicantem refert, & cap.12., ubi Lazarus cum Christo Martha ministrante & Maria ungente discumbit, eam sororem Marthæ & Lazari appellant. Quia autem Marcus & Matthæus nihil referunt, ubi Lazari aut Marthæ mentio fieri oporteret, sed aliquid ipsi Mariæ singulare, eam Mariam Magdalenam vocant reticentes quòd Lazari & Marthæ soror esset, quod in simili casu Lucas etiam & Joannes fecerunt.

XXII. Ad undecimum dico, eandem omninò Mariam Magdalenam juxta Crucem fuisse, & longè à Cruce, diverso tamen tempore. Juxta Crucem fuit, cùm secundùm Joannem Christus Matrem dilecto Discipulo commendans, ait: *Mulier ecce filius tuus*: A longè autem erat, quando secundùm Marcum cap.15. v.40. Christus jam expiraverat. Tunc enim, sive ob Turbam sive ob aliam causam Magdalena & aliæ mulieres longiùs à Cruce recesserunt: & cum ea recessit etiam Maria Cleophæ seu Jacobi Minoris, quæ paulò ante cum ipsa juxta Crucem erat. Sic etiam dico ad alteram objectionis partem, quòd sicut idem Petrus fuit, qui unà cum Joanne ad sepulturam accessit, & cui soli postea Christus apparuit: sic eadem Magdalena fuit, quæ primùm cum sociis deinde sola ad monumentum plorans stabat. Unde S. Thomas in cap.20. Joann. Lect.2.: *Utrumque*, inquit, *verum est; quia illud præcessit, quod narrant Matthæus & Marcus, quando scilicet primò venerunt, & credentes eum sublatum, redierunt ad Discipulos: & istud, quod narrat Joannes, contigit in reditu, quando rediit cum Discipulis, & ipsis recedentibus sola remansit*. Hæc pro utraque hujus quæstionis parte. Rationes hinc inde Lector expendat. Unicam esse Magdalenam & sororem Lazari, ut probabilius elegi, præcipuè, quia de una tantùm Ecclesia Latina commemorat; quamvis Græca aliter sentiat: nam de Maria Magdalena 22. Julii agit; de Maria verò sorore Lazari & Marthæ 7. Februarii, quas Martyrio obiisse his verbis loquitur in Menologio Basilii: *Sancta Christi Martyr Martha ejusque soror Maria virgines erant piæ Deumque timentes. Cùm autem Provinciæ Præfectus, secùs domum ubi manebant, pertransiret, è fenestra prospicientes, Christianas sese professæ sunt. At Præfectus virentem earum ætatem intuitus: Salvas, inquit, omninò vos esse*

esse vellem; nisi Diis sacrificaveritis, malè peribitis. Cui Sanctæ: mors non est, inquiunt, sed vita pro Christo mori. Eadem dixit & Lycarion adolescens Monachus, qui cum virginibus virtute certabat; adjecitque, Græcorum Deos simulacra inania esse, eorumque cultores miseros & infelices. Iratus igitur Præfectus præcepit militibus, ut eos interficerent: qui Sanctas quidem in Crucem actas gladiis confecere; Monachum autem Lycarionem decollarunt. Atque in hunc modum vitâ functi, animas suas Domino tradiderant. Hæc Græci, Latinis, qui volunt, utramque in pace quievisse, adversantes. Quod autem de Lycarione dicunt, novum est; imò incredibile, quòd tunc extarent Monachi.

§. II.

De Adventu S. Mariæ Magdalenæ cum Lazaro fratre & Martha sorore in Gallias.

I. AB implexa quæstione de identitate Mariæ Magdalenæ cum Maria sorore Marthæ & Lazari ad aliam magis intricatam vocor; nimirùm, an hæc post Christi Ascensum unà cum Lazaro fratre & sorore Martha in Gallias appulerit. Cujus quæstionis dubietatem maximè parit priorum seculorum Patrum altum silentium. Nihilominùs quia Schedæ veteres Provinciarum Galliæ huic Traditioni testimonium præbent, aliqua ex eisdem & subsequentium seculorum Scriptoribus proferam.

II. Primò ergo occurrunt Acta SS. Tutelarium Ecclesiæ Tolonensis piis curis Desiderii Episcopi anno 572. conscripta, quæ sic habent: *Clemens fuit unus ex 72. Discipulis Christi; cui B. Petrus Apostolus specialiter commendavit beatam Mariam Magdalenam, sicut Mater Christi Joanni fuerat commendata. Cùm igitur post lapidationem S. Stephani, Judæorum persecutio in Discipulos ebulliret, Judæi Mariam Magdalenam, Martham cum Marcella pedissequa, Lazarum, Maximinum, Cidonium, qui cæcus erat à nativitate, & alios plures naviculâ impositos, sine remige, mari exposuerunt, ut sic undis necarentur. Qui, Deo Duce, omnes incolumes Massiliæ applicuerunt, ubi prædicantes universam Provinciam converterunt.* Ex his fortè descripsit Sigebertus Gemblacensis Monachus, qui seculo decimo floruit, in Chronico ad an.745. ubi ait: *Persecutione post lapidationem S. Stephani Protomartyris motâ, Maximinus unus de septuaginta Discipulis ad Gallias transiens Mariam Magdalenam secum adduxit.* Quod ex Manuscripto Vaticano refert etiam Baronius ad annum 35. num.5.; addens, eos

eos comitem habuisse etiam Josephum ab Arimathæa nobilem Decurionem, quem tradunt e Galliis in Britanniam Evangelium asportasse.

III. Secundò occurrit antiquus Codex MS. Ecclesiæ Saniciensis (vulgò *Senez*) qui ad seculum nonum refertur , in quo hæc leguntur : *Qualiter Magdalena , Divinâ ordinante Clementiâ, cum S. Maximino mare transierit , & in Aquensem Regni Provinciæ Regionem pervenit* &c. Idem eruitur ex Tabulario Ecclesiæ Sancti Salvatoris Aquensis,de cujus Consecratione facta anno 1103. hæc referuntur : *Sed quoniam earumdem Ecclesiarum , quas superiùs enumeravimus , B. Maximinus & B. Maria Magdalena primi Fundatores extiterunt : in eadem Ecclesia Salvatoris à supradictis religiosissimis Viris in honorem Beati Maximini & Beatæ Mariæ Magdalenæ Altare dedicatum est* &c. Hoc monumentum referunt etiam Sammarthani fratres tom. 1. Galliæ Christianæ .

IV. Tertiò adest Epistola Michaelis de Morisio Episcopi Arelatensis anno circiter 1203., in qua commendans restaurationem celebris Cœmeterii dicti Altiscampus (vulgò *les Champs Elysiens*) maximè quòd à S. Maximino Aquarum-Sextiarum Episcopo, & ab aliis sanctis Christi Discipulis fuit sanctificatus : *Admirandum* , inquit , *& illud miraculum Cœlo teste approbatum , quòd prædictum Cœmeterium Viri Apostolici Apostolorum imitatores , Discipuli septem , Trophimus scilicet à Beatis Petro & Paulo Apostolis Arelatis provisus & ordinatus Episcopus cum Sergio Paulo Narbonensi , Maximino Aquensi , Saturnino Tolosano , Frontone Petragoricensi , Martiale Lemovicensi , Eutropio Arausicano Episcopis Divino oraculo admonitis , benedixerint , & Domino Jesu Christo præsente & ibidem corporaliter apparente.* Accedit Chartularium Cartusiæ Montis-rivi Massiliensis Diœcesis , in quo de Consecratione facta anno 1252. dicitur : *Altare consecratum fuit .... in honorem Dei Genitricis & B. Lazari , quem Dominus Jesus Christus quatriduanum mortuum suscitavit , qui fuit primus Episcopus Massiliensis* , & Durandus in rationali Divin. Offic. L. 1. rubrica 8. : *In comitatu* , inquit , *Provinciæ in Castro S. Mariæ de Mari est altare terrenum , quod ibi fecerunt Maria Magdalena & Maria Jacobi & Maria Salome* . Floruit Durandus anno 1270.

V. Quartò : Huic Traditioni adhæserunt Summi Pontifices Benedictus X. in Diplomate dato Romæ 20. Januarii 1329. , in quo de antro (dicto Sainte Baume) Balmæ loquens ait , *in qua egit pœnitentiam Magdalena* . Eugenius IV. anno 1442. 4. Septembris Fidelium pietati S. Maximini Ecclesiam & Cœnobium

Bal-

Balmense incendio vastatum commendans sic habet: *Et in loco Balmæ Massiliensis Diœcesis, in quo Sancta post Resurrectionem Christi, mirâ Dei dispensatione, triginta duos annos in arcta solitudine cælibem cum Angelicis consolationibus & visitationibus ducendo vitam* (Magdalena) *pœnitentiam perfecit.*

VI. Quintò: suffragantur historici. Vincentius Bellovacensis in Speculo Historiali L.9. cap.94., Bernardus Guido in Chronico, quod Joanni XXII. nuncupavit, Philippus Forestius Bergomensis Augustinianus in suo Chronicorum Supplemento anno 1436. scripto, Mombritius tom.2. de Vitis Sanctorum edito anno 1442., S. Antoninus tom.1. tit.6. cap. 19. & tit. 14. cap.4. §.4., Sabellicus Lib.2. Enneade 61., Silvester Prieras in Rosa Aurea in Expos. Evang. feria 5. infra octav. Paschatis, Baronius tum in Annalibus, tum in Notis Martyrol., Surius ad diem 22. Julii, & Molanus in Notis ad Martyrol. Usuardi. Adeòque firma apud Provinciales est hæc Traditio, ut cùm Launojus primus eam impugnare ausus fuerit in suo Libello, quem inscripsit: *Disquisitio disquisitionis de Magdalena Massiliensi advena*, Facultas Theologica Aquarum-Sextiarum Libellum censurâ notatum damnaverit die 3.Martii 1644.: *Ut continentem multa contra historiæ & Traditionum Provinciæ veritatem, falsa, temeraria, pietatem Christianam in his partibus oppugnantia, Summorum Pontificum, & Regum nostrorum ac Comitum Provinciæ testimonia, cultum & pietatem illudentia, nec non etiam multa seditiosa, pacem & tranquillitatem totius Ecclesiæ & præsertim Gallicanæ destruentia.* Firmata est hæc Censura decreto Supremi Senatus Provinciæ, quo idem libellus perpetuis tenebris damnatus fuit.

VII. Hisce ergo statutis, quibusdam recentioribus Criticis assentiri non possum, qui Traditione contemtâ, Historicis eam tuentibus nihili æstimatis, unicum Launojum veluti veritatis per tot secula opertæ detectorem latis ulnis amplectentes, adventum Magdalenæ in Gallias ad aniles fabulas amandare non formidant. Nec tamen propterea circumstantias omnes adopto, quibus talis adventus ab aliquibus describitur, ut quòd Magdalena & socii navigio sine velo ac remige impositi in Gallias adventarint, sicut & alia, quæ talem adventum comitata fuerunt: hæc nec probare nec improbare ausim; Ceterùm incredibile non est, Judæos in odium Christi, sicut Stephanum lapidaverunt, Paulum flagris cæciderunt, Jacobum fratrem Domini occiderunt, sic Lazarum Mariam & Martham cùm aliis exterminare tentasse, & ad fugam compulisse, juxta Christi prædictionem Matth. 10.

Matth.10. v.17.: *Tradent enim vos in Conciliis & in Synagogis suis flagellabunt vos*: sed quidquid de hoc fuerit, substantiam adventus Lazari Mariæ & Marthæ in Gallias Traditio me docet, & ab hac non audeo resilire.

VIII. Respondendum modò est Launoii contrariis objectionibus. Prima est. De appulsu sanctarum sororum cum fratre Lazaro in Gallia, nullum in veteri historia est testimonium. Nemo Gallorum Scriptorum, Cassianus, Salvianus, Victor Massiliensis, Euchetius Lugdunensis, Cæsarius Arelatensis, adventus Magdalenæ Lazari in Provinciam mentionem facit: numquid autem primos suæ Gentis Apostolos vel ignorassent, vel rem adeò ipsis gloriosam omisissent? Numquid Franco Aquensis Episcopus, qui Metriæ Martyris nomen invocavit in suæ Ecclesiæ tutelam, Maximinum & Magdalenam non invocasset? & tamen Gregorio Turonensi teste Lib. de Gloria Confess. cap.71. horum nec meminit. Accedit, quòd antiqua Martyrologia Bedæ, Usuardi, Freculphi, Adonis maximè, qui utpotè Viennensis Provinciæ finitimus erat, nullam de Magdalenæ in Provinciam appulsu mentionem faciunt.

IX. Respondeo, quòd etsi adventum Magdalenæ in Provinciam nemo veterum Scriptorum affirmet, nemo tamen illum negat: unde argumentum hoc merè negativum est: cùmque in contrarium pro tali adventu stet earum Ecclesiarum Traditio, superiùs allatis monumentis & Summorum Pontificum testimonio roborata, tutiùs tenenda est, sicut multa licèt in Sacris Libris non scripta, quia tamen Ecclesiæ Traditione accepta, religiosè observamus. Addo, Veterum scripta multa interiisse, vel de hac re mentionem non fecisse, quia nulla eis se præbuit occasio. Sic S.Antoninus, quamvis mirabili Domus Lauretanæ Translationi ferè coævus,ejus tamen non meminit.Quoad Franconem dici potest, eum S. Metriam potiùs invocasse, quia erga illum Martyrem, utpotè recentiorem, Fideles, ut moris est, magis affecti erant. Nec etiam SS. Maximini & Magdalenæ meminisse, quia eorum Reliquiæ in Ecclesia Aquensi ampliùs non erant, sed annis antea multis ad Oppidum S. Maximini translatæ.

Quoad Martyrologia dico, eorum Scriptores antiquos multa vel oblivione vel datâ operâ brevitati studentes, ex iis maximè, quæ totam Ecclesiam non spectabant, prætermisse. Testis est Usuardus antiquus in hoc genere Scriptor in Epistola nuncupatoria ad Carolum Magnum dicens: *Venerabilium Hieronymi & Bedæ Presbyterorum piis quamvis succinctis super hoc pro-*

vocabar scriptis, quorum prior brevitati studens, alter verò quamplures Calendarii dies intactos relinquens, multa inveniuntur hujus operis prætermisisse necessaria. Ado Viennensis verò multa præteriit etiam ad Gallias pertinentia, ut S. Pontium, qui Galliam Narbonensem prædicatione imbuit, S. Bassum Niciensem Episcopum, S. Veranum Venciensem Antistitem, & alios. Quid ergo mirum, si de Magdalena circumstantiam adventus in Gallias siluerit, qui plurium etiam suorum nec nomina indicavit? Quod tamen cæteris Martyrologiis deest, supplet Romanum die 22. Julii dicens: *Apud Massiliam natalis S. Mariæ Magdalenæ* &c. Die 29. Julii: : *Tarasci in Gallia Narbonensi Sanctæ Marthæ virginis hospitis Salvatoris nostri & sororis B. Mariæ Magdalenæ & S. Lazari*. Et die 17. Decembris: *Massiliæ in Gallia Beati Lazari Episcopi, quem Dominus in Evangelio à mortuis suscitasse legitur*.

X. Secunda objectio est: Magdalena, Martha, Lazarus & Maximinus in Gallias adventare non potuerunt nisi post Martyrium S. Jacobi Minoris, cujus caput Maria Jacobi & Salome secum attulerunt, & post earum mortem juxta earum sepulcrum conditum fuit in Ecclesia S. Mariæ de Mari, ut monumenta illius Ecclesiæ & Scrinia Regia Aquarum-Sextiarum (*Aix*) testantur, & proinde eorum in Gallias adventus, nisi post ann. 62. contingere non potuit. Cùm ergo teste Epiphanio hæresi 66, Lazarus jam ageret annum trigesimum, cùm à Christo suscitatus est, & triginta pariter annis Massiliensem rexerit Ecclesiam, fieret, ipsum centum annos vixisse, & Magdalenam ejus sororem, quæ triginta duobus annis Massiliæ pœnitentiam egit, centenariam pariter obiisse, quòd vix credi potest.

XI. Respondeo primò, quòd si attendimus antiqua supra relata monumenta, adventus Lazari Magdalenæ &c. contigit anno Christi 35. paulò post lapidationem Stephani, & ad hunc annum consignat Baronius ibi n. 5., cui prævivit Eugenius IV. supra relatus. Deinde quòd Maria Salome & Maria Jacobi unà cum Maria Magdalena & Lazaro venerint in Gallias, & quòd ibi usque ad mortem permanserint, incertum est. Quinquaginta annis Mariam Salome in Italia moratam, Verulis obiisse, ibique sepultum ejus Corpus adhuc jacere contendunt Verulani, inter quos Necchiarolius in suo libro *Salome la Santa*. Martyrologium Romanum utramque in Judæa decessisse asserit. Dato etiam, utramque in Galliam adventasse, ibi obiisse, sepultam fuisse, & juxta earum sepulcrum conditum fuisse Caput S. Jacobi Minoris, non proinde sequitur, eas, etiamsi Jerosolymis discesserint,

rint; discessisse post mortem ejus, & secum illius caput detulisse post annum 62. maximè quia referente Eusebio L.2. Hist. cap.23. Jacobi sepulcrum intactum mansit usque ad Jerosolymorum eversionem anno 70.

Secundò respondeo; dato, quòd Magdalena unà cum Lazaro è Judæa discesserit solùm post Jacobi Minoris obitum post annum 62.; sequi dumtaxat, quòd 92. aut 94. annos attigerint ætate Lazarus & Magdalena, quod inverisimile non est, cùm Joannes Evangelista ad centesimum, & Simon Jerosolymitanus Episcopus ad centesimum vigesimum pervenerint, ut supra dixi, ordinante sic Providentiâ Dei, ut qui cum Domino fuerant conversati diutiùs vivendo, testimonium de eo præbere possent multitudini, de visu veritatem annuntiantes.

XII. Tertia objectio est: Lazarus obiit in Cypro, ubi fuit Episcopus. Ita Honorius Augustodunensis in Sermone habito Dominicâ Palmarum: & in Prosa, quæ canitur in Ecclesia S. Lazari Parisiensis & Bellovacensis dicitur: *Discedit Lazarus, deserit Patriam, mare transiit timens sævitiam Judæorum, devenit citiùs in Cyprum Insulam...., tandem per Martyrium est à Deo coronatus.*

XIII. Respondeo, Honorium (si tamen ejus est ille sermo, quem multi suppositititium habent)id non asserere ut certum, ait enim: *Fertur, quòd postmodùm triginta annis in Cypro Ecclesiæ Episcopus præfuit.* Dato tamen, in Cypro S. Lazarum Episcopatum triginta annis gessisse, non dicit tamen in Cypro eum obiisse, sicut nec Prosa allata. Quarè utrumque cum nostra opinione concordari potest, dicendo: quòd Lazarus ut declinaret sævitiam Judæorum, de quibus Joann.12. v.10. dicitur: *Cogitaverunt Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent,* paulò post Christi mortem, Patriâ relictâ in Cyprum se contulit, ibique Ecclesiam triginta annis, idest usque ad annum 63. rexit. Deinde Jerosolymam remeans, ac secum sanctis sororibus abductis & Maximino, in Provinciam appulit, Massiliensem Ecclesiam fundavit, eamque usque ad obitum gubernavit.

Græci tamen volunt, Lazarum in Cypro obiisse: ajunt enim in suis Menæis 17. Octobris, & Zonaras L.5., Lazarum cùm ad vitam revocaretur, egisse annum ætatis 30., totidemque dehinc annis supervixisse, unde ejus obitus ad annum 63. consignaretur. In Cypro diem suum obiisse, ibique juxta mœnia Urbis sepultum fuisse, ejusque tumulum in honore habitum. Ferunt, quòd Leo Sapiens Imperator, cùm Templum ejus honori Constantinopoli erexisset circa annum 890., in Cyprum misit,

sit, ubi in sepulcro marmoreo ejus Corpus inventum est, additâ hâc inscriptione, nempè, hunc virum fuisse Lazarum, Christo carum, & post quartum ab obitu diem ab eodem ad vitam revocatum. Sed hæc dubia mihi sunt: maximè cùm in Martyrologio Romano die 17. Decembris legam: *Massiliæ in Gallia beati Lazari Episcopi, quem Dominus in Evangelio suscitasse legitur.*

XIV. Mitto, quòd Flodoardus L.1. de Triumpho Sanctorum Palæstinæ dicat:

Hìc propè Bethaniam tibi, Lazare sancte, sepulcrum

quasi in Bethania, non in Gallia mortuus fuerit. Nam cùm Lazarus bis mortuus fuerit, duplex sepulcrum habuit: unum quidem in Bethania, in quo quatriduò jacuit, & à quo à Christo excitatus fuit: alterum verò in Provincia, ubi adhuc jacet. De primo autem, non de secundo, loqui Flodoardum constat, quia in sequentibus loquitur de domo ejus ac sororum, conversâ in Ecclesiam:

Unde quaterno postquam te Sole retentat.
Hæc domus Ecclesia est tua sororumque tuarum.

Loquitur ergo de sepulcro, quod *quaterno Sole* idest quatuor diebus, ipsum retinuit.

XV. Quarta objectio est: Maria Magdalena obiit Ephesi: non ergo in Provincia. Probant hoc ex Modesto Patriarcha Jerosolym. Serm. *in mulieres unguenta ferentes* (apud Photium Cod. 275.) sic dicente: *Historiæ tradunt, Magdalenam hanc* (de qua Dominus septem Dæmonia ejecit) *virginem fuisse, & Martyrium ejus memoratur, ubi dicitur, propter summam illius virginitatem & puritatem, illam tamquam vitrum purum tortoribus visam esse. Post obdormitionem Sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ profecta est Ephesum ad dilectum Discipulum, ubi cursum Apostolicum per Martyrium unguentifera Maria perfecit, nolens ad extremum usque spiritum à Beato Joanne Evangelista & virgine separari.*

Idem eruitur ex Anthologiis seu Breviariis Græcorum, quæ in Officio S. Magdalenæ die 22. Julii ajunt, ipsam obiisse Ephesi his verbis: *Hæc orta erat ex Magdalis finibus Syriæ à septem Dæmoniis turbata. Post Divinam igitur & sanctam Ascensionem, dum Ephesi cum beato Joanne Theologo & Apostolo versaretur, ibi sanctè obdormivit, & in ingressu Spelæi* (Speluncæ) *collocata est, in quo Sancti & Beati septem Pueri quiescunt. Postea verò cùm Leo felicibus auspiciis imperasset, illius ablatum inde Corpus, in eodem cum S. Lazari Reliquiis Templo, quod Imperator ædificaverat, repositum est, ubi quotannis festivitas illius celebratur.* Ita Græci.

XVI. Sed

XVI. Sed hoc dicunt ex sua opinione de dupliciMariaMagdalena, una virgine, altera peccatrice. Unde ad primam respondeo: Modestus, cùm dicat, eam quæ Ephesi obiit, fuisse Virginem & Martyrem, nostram non excludit, quæ nec virgo nec Martyr sed olim peccatrix fuit. Sicque licèt illa Ephesi obierit, ista tamen non Ephesi sed in Provincia obiisse potuit. Hæc ex sententia Græcorum antiquiorum dici possunt. Cæterum si Cyprios recentiores attendimus, isti ingenuè fatentur, ex veteribus monumentis Ecclesiarum Græcarum constare, Mariam Magdalenam unà cum Martha sorore & Lazaro fratre in Provinciam appulisse. Ita P. Besson S. Jesu in sua Epistola data 17. Aprilis 1660. ad P. de Gourdan ejusdem Instituti in domo Aquensi degentem, in qua scribit, se in collatione hac de re habita cum Cypriis Monachis audivisse, illos ingenuè professos, Magdalenam sororem Marthæ & Lazari in Provincia sepultam.

Quod autem additur ex Græcorum Officiis, in primis pugnat cum eo quod dicit Modestus. Nam iste Magdalenam suam facit virginem & martyrem, illa autem Magdalenam suam in pace obiisse volunt. Procedit ergo hoc ex præconcepta Græcorum opinione de duplici Magdalena, una virgine & martyre quæ obierit Ephesi; altera peccatrice & pœnitente: nisi dicamus, eos æquivocatione lapsos Sanctam nomine Magdalenam temporibus Evangelicis longè posteriorem pro Magdalena Evangelica sumsisse, quæ Ephesi obierit, & cui tribuerint ea, quæ Evangelicæ conveniant, ejusque Corpus pro Corpore hujus suppositum Leoni Imperatori obtulisse. Cæterùm quòd Magdalena Evangelica, seu Maria soror Lazari Ephesi non obierit, aut ibi sepulta non fuerit, non leve argumentum exhibet Polycrates, qui secundo seculo Ephesinæ Ecclesiæ præerat. Is enim in Epistola ad Victorem I. Papam, cujus fragmentum recitat Eusebius L. 5. hist. cap. 23. commemorans magna lumina, quæ in Asia extincta sunt, & in die adventus Domini surrectura sunt, nominat inter alios Joannem Evangelistam, qui Ephesi extremum diem obiit, Philippum Diaconum, qui mortuus est Hierapoli, duas ejus filias, quæ virgines consenuerunt, & aliam quoque ejusdem filiam, quæ Spiritu Sancto afflata vixit, & Ephesi requiescit: Mariæ autem Magdalenæ seu Mariæ sororis Lazari non meminit, illam utique tam opportunâ occasione commemoraturus, cùm ad illustrandam Ephesinam Ecclesiam ejus obitus & sepulcrum magis conduxisset, quàm unius è filiabus S. Philippi. Signum ergo est, quòd seculo secundo ignotum erat

erat Ephesinæ Ecclesiæ, quòd Maria Lazari soror seu Maria Magdalena ibi mortua ac sepulta esset. Hæc pro tuenda Traditione de S. Mariæ Magdalenæ in Gallias adventu ejusque ibidem obitu probabiliter dixi.

§. III.

De Loco, in quo B. Mariæ Magdalenæ, Marthæ, & Lazari Corpora modò requiescunt.

I. Circa Corpus B. Mariæ Magdalenæ nobis res erit non solùm cum Græcis, qui ex dictis contendunt, primò conditum fuisse Ephesi, ubi obiisse volunt, ac inde anno 886. jussu Leonis Imperatoris Constantinopolim translatum; sed etiam cum aliquibus Gallorum, volentium Corpus Magdalenæ ab anno 875. Vezeliaci Burgundiæ Urbe adhuc requiescere. Dicunt enim primò, ex antiquissimo Ecclesiæ Narbonensis monumento haberi, Baidilonem Monachum Aquis-Sextiis ex tumulo marmoreo illud clam noctu raptum Vezeliacum transtulisse.

II. Secundò: hoc idem asseri à Sigeberto in Chronico ad annum 745. scribente: *Aquensi verò Urbe à Saracenis desolatâ corpus ejus* (B. Mariæ Magdalenæ) *à Gerardo Comite Burgundiæ ad Cænobium Vezeliacum à se constructum transfertur. Quamquam aliqui scribant, quòd apud Ephesum quiescat, nullum super se tegmen habens.*

III. Tertiò: id confirmare nituntur tum Historicorum testimoniis; Hugonis Pictavini Vezeliacensis Monachi in historia illius Monasterii anno 1160. circiter scripta; Vincentii Bellovacensis in Speculo Historiali cap. 152. quod inscribitur: *De Translatione Corporis S. Mariæ Magdalenæ*, & cap. 153., ubi plura miracula Vezeliaci facta per ejusdem sacras Reliquias enarrat; S. Antonini tom. 1. tit. 14. cap. 2. 5. & 5.; Petri de Natalibus L. 6. cap. 124.; Jacobi de Voragine in Legenda Sanctorum: Tum Summorum Pontificum, Innocentii III. Epist. ad Gerardum Abbatem Vezeliacensem, quæ extat L. 1. Decretalium ejusdem Pontificis, quâ concedit, ut in solemnitate Translationis beatæ Mariæ Magdalenæ quotannis in Quadragesima celebrari solitæ, *Gloria in excelsis Deo* recitare valeant: Item Clementis an. 1190. Urbani II. 1186., Lucii II., & Martini IV. anno 1281., qui unam ex costis B. Mariæ Magdalenæ sibi à Monachis Vezeliacensibus donatam misit ad Archiepiscopum Senonensem.

Demum testimonio Breviarii FF. Prædicatorum, quod an-

anno 1254. conscriptum asservatur in Biblioth. Conventus Parisiensis ejusdem Ordinis, in cujus Lectionario pro festo S. Mariæ Magdalenæ Lect.6. hæc habentur: *Translatum est Corpus B. Mariæ Magdalenæ eo loco prædicto ad Monasterium, quod dicitur Vezeliacum, anno Domini septingentesimo quadragesimo nono Aquensi Urbe a Saracenis devastatâ.*

IV. His tamen non obstantibus probabilior sententia est, Corpus S. Mariæ Magdalenæ in Templo S. Maximini asservari. De hoc amplum præbent testimonium duæ antiquæ schedulæ in pergameno scriptæ, quæ anno 1660. 22. Februarii præsente Ludovico XIV. Galliarum Rege in theca, ubi positæ ferebantur sacræ Reliquiæ, repertæ sunt, ut constat ex Actis ab Archiepiscopo Avenionensi de Marinis ea de re confectis, qui easdem sacras Reliquias transtulit in urnam porphyreticam ab Urbano VIII. Pontifice Maximo antea dono datam & benedictam, totâ Regali Curiâ spectante. In cujus facti testimonium Litteræ Regiæ sigillo Regio munitæ datæ fuerant, quæ simul cum sacris Reliquiis in urna ipsa ad posteritatis memoriam reclusæ sunt.

V. Hæ verò duæ schedulæ antea detectæ fuerant anno 1279. in uno ex monumentis terræ abditis, jussu Caroli II. Salerni Principis ac Siciliæ, deinde Jerosolymorum Regis, cujus facti meminerunt Bernardus Guido Ordinis Prædicatorum in Chronic. Romanorum Pontificum, Jordanus & Ptolemæus Lucensis in historiis manuscriptis, quas ad annum 1279. num.12. laudat Odoricus Raynaldus.

VI. Prima ergo scheda undique cerâ illita hæc continebat: *Hic sunt Reliquiæ B. Mariæ Magdalenæ.* Hanc ad quintum circiter seculum esse referendam colligitur; quia de ea ita scribit Bernardus Guido Lodevensium Episcopus qui florebat anno 1320.: *Tunc & reperta fuit per eundem Carolum cum Prælatis in tumulo memorato scriptura alia vetustissima in quodam chartello cerâ undique exteriùs cooperto, quæ vix præ vetustate legi potuit, quæ talis erat: Hic requiescit Corpus Mariæ Magdalenæ.* Porrò morem scribendi in tabulis cerâ illitis quinto seculo viguisse constat, postea verò in usu fuisse non legitur. Quinto seculo viguisse testatur S. Hilarius Arelatensis, qui in vita S. Honorati Lirinensis Monachi, & decessoris sui in laudem ejus ita scribit: *Unde splendidus Mundo, splendidior cælo, cumulus virtutis ejus B. Eucherius; cùm ab eremo in tabulis (ut assolet) cerâ illitis in proxima ab ipso degens Insula, litteras ejus suscepisset: Mel, inquit, suum ceris reddidisti.*

VII. Altera verò scedula reperta hæc continet: *Anno Domi-*

mini 1279. 15. Kalendas Januarii, Magnificus vir Dominus Carolus primogenitus illustris Regis Hierusalem & Siciliæ, Princeps Salernitanus & Dominus honoris Montis Angeli, præsentibus venerabilibus Dominis Aquensi & Arelatensi Archiepiscopis & pluribus aliis Prælatis, invenit apud S. Maximinum in quodam sepulcro marmoreo, cryptâ ejusdem Monasterii, ex devotionis fervore, de Corpore B. Mariæ Magdalenæ exquirens, cedulam infrascripti tenoris, videlicet: Anno Nativitatis Dominicæ septingentesimo decimo sexto mensis Decembris, in nocte secretissimè, regnante Clodovæo piissimo Francorum Rege, tempore infestationis Gentis Saracenorum, translatum fuit Corpus hoc carissimæ & venerandæ B. Mariæ Magdalenæ de sepulcro suo alabastri in hoc marmoreo, timore dictæ Gentis perfidæ; & quia secretius est, hinc amoto Corpore Cidonii.

Circa hanc secundam schedam occurrit difficultas, tum circa annum, quo dicta Translatio facta est: tum circa Regem, qui tunc Galliis præerat; nullus enim Clodovæus tunc dominabatur. Propterea Alexandre tom. 5. Hist. dissert. 16. dicit, dictam schedam referendam esse ad annum 888., & mendum esse in nomine Clodovæi, & legendum esse, *regnante Odoino* vel Odone Comite Parisiensi, ut scribit Bernardus Guido: siquidem sub nulla Clodovæorum Dynastia Saracenorum irruptio facta est in Gallias, & maximè in Provinciam. Contigit autem sævissima regente Odone nomine Caroli Simplicis anno 890., ut constat ex Concilio Valentino eodem anno celebrato pro novi Regis Regni Arelatensis electione, nimirùm Ludovici Bosonis filii, ubi Bernoinus Viennensis Archiepiscopus eligendum esse suadet virum, qui fortiter Regnum tueatur: *Quoniam ex una parte Northmanni cuncta penitùs devastantes insistebant: ex alia verò Sarraceni Provinciam depopulantes terram in solitudinem redigebant*. Cæterùm cùm etiam initio & progressu præcedentis seculi Sarraceni Gallias invaserint: nam ut idem Alexandre tom. 5. seculo 8. art. 3. fatetur, anno 721. Sarraceni Tolosam obsidione cinxerunt, anno sequenti & succedentibus Lugdunensi Civitate occupatâ, Vasconiâ & Burdigalâ potiti cæterisque Aquitaniæ Urbibus, tandem ab Eudone seu Odone Aquitaniæ unà cum Carolo Regiæ Domus profligati fuerunt. Cùmque inter cæteras impietates sacras Imagines concremarent & Sanctorum Monumenta Sarraceni everterent, valdè credibile est, ad eorum furorem præveniendum anno 716. Corpus B. Magdalenæ fuisse secretò translatum, & solam æquivocationem in præfata scheda restringi ad nomen illius, qui tunc regnabat: nullus enim Clodovæus Regnum Galliæ tunc administrasse legitur.

VIII. Hæc

VIII. Hæc secunda schedula, quomodocumque explicetur, obturat os Adversariis, sive Græcis, sive Vezeliacensibus. Græcis quidem; nam Græci Magdalenæ Corpus jussu Leonis Imperatoris Epheso translatum Constantinopolim asserunt anno 910.. Istud autem falsi convincitur, nam ab anno 790., seu si velis 716., non Ephesi, sed apud S. Maximinum illud extitisse scheda testatur. Vezeliacenses quoque contendunt Corpus beatæ Magdalenæ Vezeliacum fuisse asportatum anno 876. vel 880., quod ex eadem schedula falsitatis convincitur. Nam si anno 888. hæc scheda conscripta supponitur, San-Maximienses Monachi ignorare non potuissent, quid de illis Reliquiis ante decem vel duodecim annos factum fuisset, nec sibi illas vindicassent. Quòd si dicatur, anno 716. schedam fuisse exaratam, ideòque 160. & ultra annis, antequam Reliquiæ Vezeliacensibus concederentur: petam: cur istæ anno 1660., ut dixi, in eodem monumento unà cum schedis attestantibus, eas esse B. Magdalenæ Reliquias, repertæ sunt?

IX. Huic veritati suffragati sunt Romani Pontifices: Bonifacius VIII. in diplomate dato Laterani 8. Idus Aprilis anno 1295., ratam habens donationem Ecclesiæ & Conventus Sancti Maximini, ante ad PP. Benedictinos spectantis, Fratribus Prædicatoribus à Carolo Principe factam, dicit: *In qua est Corpus dictæ Sanctæ* (Magdalenæ) *reconditum*. Idem dicit B. Benedictus XI. 22. Januarii 1304.: item Joannes XXII. in Bulla Avenione datâ 3. Decembris 1317., Gregorius XI. 12. Martii 1376., Eugenius IV. 4. Septembris 1442. Indulgentias concedit visitantibus sacram S. Palmæ solitudinem & Ecclesiam S. Maximini, *In qua ipsius Sanctæ* (Magdalenæ) *ac diversorum aliorum eximiorum de ipsius Salvatoris societate Sanctorum Corpora venerabiliter requiescunt*. Sixtus etiam IV. 1. Augusti 1477. Indulgentias concedit singulis annis Ecclesiam S. Maximini adeuntibus die Translationis Reliquiarum B. Mariæ Magdalenæ. Quæ omnia à suis Prædecessoribus concessa confirmavit Adrianus VI. anno 1523. Tandem Urbanus VIII. partem Reliquiarum S. Magdalenæ à San-Maximiensibus Cœnobitis postulavit, & annuente Rege ac Senatu Supremo Provinciæ obtinuit anno 1624.

X. Pontificum Romanorum testimoniis sua etiam adjungunt Principes: Robertus Jerosolymorum ac Siciliæ Rex nec non Provinciæ Comes in litteris ad Priorem & Fratres Prædicatores S. Maximini datis Neapoli 7. Decembris 1337.; quibus in honorem S. Ludovici Tolosani Episcopi fratris sui sacellum extrui jubet, loquens de Monasterio S. Maximini, *Ubi*, inquit, *Bea-*

Beatæ Mariæ Magdalenæ est pretiosum Corpus reconditum, per claræ memoriæ Dominum Patrem nostrum mirificâ revelatione repertum.

Renatus etiam Jerosolymorum & Siciliæ Rex, Dux Andegavensis & Provinciæ Comes, qui S. Maximini Templum à Carolo II. inchoatum magnificè perfecit. Is ergo veritatem Sanctarum Reliquiarum B. Magdalenæ ibidem existentium probavit, apertâ nimirùm capsâ à Cardinali Fuxensi Avenionensi Legato, cui hoc munus imposuerat, 19. Aprilis 1448., ut constat ex authentico Instrumento de ea re ab eodem Cardinali confecto, quod cum aliis supra relatis vetustis monumentis inventum est in capsa lignea coram Ludovico XIV. anno 1660., & constat ex fastis Ecclesiæ San-Maximinianensis,& scriniis Regiis Aquarum-Sextiarum. Hisce monumentis innixa firma stat Traditio de Corpore B. Mariæ apud S. Maximinum existente.

XI. Nunc objectis in contrarium respondendum est. Primum ex dictis corruit; nam si ab anno 745. vel 875. sacrum Magdalenæ Corpus furto ereptum & Vezeliacum translatum fuit, cur apertâ apud S. Maximinum capsâ, in qua sacrum Depositum asservatur, tum anno 890., tum 1348., tum 1660., ibi Corpus Magdalenæ unà cum schedis illud esse testantibus, inventum fuit? Rursùs credibile non est, quòd (ut Manuscriptum Narbonense prodit) Depositum, in quo totum Gentis suæ gloriam Provinciales collocabant, tantâ negligentiâ custodierint, ut illud privati hominis furto expositum patuerit. Quòd corpore ablato pius prædo in sepulcro schedas illud attestantes reliquerit, quòd in sepulcro nullum secretæ apertionis vestigium apparuerit,& quòd de tanto furtoSan-MaximinianensesMonachi nullam contra Vezeliacenses querelam exposuerint. Quòd si dicatur, San-Maxilienses ultrò sacrum pignus Vezeliacensibus donasse; in primis dicam: hujus liberalis concessionis monumentum aliquod Vezeliacenses proferant. Deinde talis donatio anno 875. facta fuisse asseritur; at si hoc verum est, cur anno 890. San-Maximinenses præ metu Sarracenorum adeò solliciti fuerunt sacrum Corpus subtùs terram abscondere? Num solo quindecim annorum spatio donationis factæ memoria ipsis exciderat?

XII. Secundum ex testimonio Sigeberti falsi convincitur: anno enim 745. nulla erat Vezeliaci Abbatia, quæ fundata tantùm est anno 846.: nec anno 745. natus adhuc erat Gerardus Burgundiæ Comes, etiamsi daremus ipsum obiisse centenarium; vitâ enim functus est Avenione anno 849.. Addo, Sigebertum pu-

pugnare cum Manuscripto Narbonensi; hoc enim dicit, à Baldinone Monacho fuisse Corpus B. Magdalenæ furtim sublatum: Sigebertus verò à Gerardo Comite Burgundiæ fuisse solemniter translatum: Manuscriptum Narbonense dicit, Corpus Beatæ Magdalenæ ab anno 875. Vezeliaci quiescere: Sigebertus verò ab anno 745.

XIII. Tertium Testimonium ex Historicis duplici responsione evacuatur. Prima est, multos ex iis scripsisse ante inventionem Corporis B. Magdalenæ apud S. Maximinum secutam anno 1279.. Unde cùm nihil in promtu haberent, quo possent Vezeliacenses arguere falsitatis vel levioris fidei, eorum dicta sunt secuti, inter quos Vincentius Bellovacensis, fortè secutus Hugonem Pictavinum. Altera est, quòd qui post dictam inventionem scripseruut, aut rem non examinarunt, aut quia in dissitis Regionibus positi, constantis Traditionis San-Maximiniensis Ecclesiæ notitiam non habuerint: quod accidere potuit S. Antonino, Petro de Natalibus, & Jacobo de Voragine, qui si notitiam habuissent jurium Fratrum Prædicatorum S. Maximini, utpotè ejusdem Ordinis, ea certè non impugnassent.

Quod additur ex Summis Pontificibus, dissolvitur primò, opponendo Summos Pontifices posteriores supra recensitos concorditer asserentes, Corpus B.Magdalenæ apud S. Maximinum asservari. Secundò, quia Joannes VIII., qui ad Concilium Trecense pergens anno 878. Ecclesiam Vezeliacensem dedicavit, in suo Diplomate nec verbum facit S. Magdalenæ aut Reliquiarum ejus. Imò in Diplomatibus Pontificiis Joannis XI. Marini, Benedicti VI. & VII., & Silvestri II., quibus fundatio prædicta confirmatur, tantùm habetur, quòd dictum Monasterium in honorem Salvatoris nostri B. Virginis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli erectum fundatum & consecratum esset. Nihilominùs an. 1050., annis ab hujus Monasterii fundatione ferè ducentis, Eudone primo Abbatè cœperunt Monachi repræsentare Leoni IX., Monasterium B. Magdalenæ fuisse in honorem fundatum, cui postea Monachi addentes, Corpus illius ibi adesse, sub eorum fide subsequentes Pontifices Corpus B. Magdalenæ ibi requiescere asseruerunt. Nec hoc est mirum; cùm enim ageretur de re puri facti, nec putantes, Viros religiosos sibi mendacio illudere, quod ipsi dicebant, etsi falsum, Diplomatibus suis obiter inserere potuerunt.

XIV. Ut tamen excusaremus & Vezeliacenses à mendacio & Pontifices à deceptione, dicere possemus, Vezeliacenses B. Magdalenæ Reliquiarum partem aliquam à San-Miximia-

nensibus obtinuisse, quam indefinito sermone Corpus esse ejusdem jactitarunt. Huic responsioni favit Martyrologium Gallicanum D. Du Saussay Tullensium Episcopi ad diem 8. Octobris memorans, Reliquias S. Mariæ Magdalenæ *magna ex parte* in Burgundiam à S. Radilone allatas, & in Monasterio Vezeliacensi collocatas. Sic velut quodam Judicio Salomonico inter has duas Ecclesias lis finiretur; dummodò Vezeliacenses concederent, apud S. Maximinum majorem Corporis partem, ut monumenta adducta testantur, asservari. Quibus addi potest, quòd cùm Bonifacius VIII. ad S. Maximini Ecclesiam ejusdem S. Magdalenæ maxillam misisset, hæc reliquo capitis ita coaptari visa fuit, ut nullus scrupulus superesset, quin verùm Magdalenæ caput ibi esset. Constat hoc ex Episcopo Cavallicensi S. R. E. Cardinali, & Philippo de Cabassola in Vindiciis San-Maximiniensium adversùs Vezeliacenses, quæ manuscriptæ extant in Bibliotheca Regalis Abbatiæ S. Victoris Parisiensis.

XV. Quod verò tandem opponitur ex Breviario Ordinis Prædicatorum anno 1254. conscripto, quo utitur Launojus, contra ipsum est. Nam Breviarium illud dicit etiam, quòd Magdalena unà cum Lazaro fratre & Martha sorore appulit Massiliam, & post diuturnam pœnitentiam à S. Maximino Aquis-Sextiis sepulta fuit. Cur ergo apud Launojum auctoritatem facit, cùm dicit, Magdalenæ Corpus Vezeliacum fuisse translatum, cùm verò asserit, Magdalenam in Provinciam appulisse &c. à Launojo rejicitur? Respondeo igitur Breviarii illius compilatorem Vezeliacensium fidem fuisse secutum, quia eo tempore illud adornavit, quo B. Magdalenæ Corpus in marmoreo sepulcro, in quo Saracenorum metu aliàs conditum fuerat, adhuc subtùs terram latebat: non enim revelatum fuit sacrum istud Depositum, nisi anno 1279. Quarè Ecclesiarum Provinciæ Traditio tot subinde confirmata monumentis, quæ tunc sepulta erant, veteris illius Breviarii testimonio præferenda est.

XVI. Quòd si quis adhuc resistat, ipsum hoc peremtorio discursu aggrediar. In effossione facta à Carolo Salerni Principe inventa fuere subtùs terram duo sepulcra marmorea, in quorum altero Magdalenæ pœnitentis historia sculpta erat, in altero illuminatio Cæci nati, quæ sepulcra elaborata fuisse anno 815. testatur vetustissima Legenda libri, quo olim in Choro utebantur Monachi S. Mariæ Magdalenæ de Mello Bellovacensis Diœcesis, quæ Ecclesia Prioratus est, Abbatiæ Vezeliacensi subiectus. Quam Legendam editam fuisse eodem anno 875. colligitur, quia Au-

ctor

ctor describens Saracenorum impietatem in Christianos Aquis-Sestiis degentes, se oculatum testem exhibet dicens: *Sicut ipsimet vidimus*. Num ergo hæc duo sepulcra sub terris latentia piâ fraude supposita fuere? at à quo tam insigne mendacium fabricatum fuit? Cur Viri ex Provincia docti æquè ac sancti fraudulentæ Reliquiarum suppositioni non se opposuere? Rursùs: si sacræ Reliquiæ, quæ in Provincia coluntur, non sunt SS. Magdalenæ. Marthæ & Lazari, ut fert illarum Ecclesiarum Traditio, dicatur quæso, cujus sint? Quid respondebitur argumentis ipsi sensui conclamantibus, Corpus, quod apud S. Maximinum colitur, Magdalenæ verè esse: nimirùm carnis frustulum mediæ fronti adhærentis, indicans eo in loco Christi contactum, quo post Resurrectionem ipsam repulit dicens: *Noli me tangere*: Et phiala vitrea terram Christi Sanguine intinctam continens, quæ juxta Sanctæ illius pœnitentis Corpus in eodem sepulcro inventa est? Quid ad hæc Vir mente ac sensu præditus respondebit?

XVII. Superesset controversia de modo, quo à Carolo Principe Salernitano inventio Corporis B. Magdalenæ apud S. Maximinum promota & facta fuit. Silvester Prieras ex quodam Chronico Manuscripto refert, B. Magdalenam Carolo per Alphonsum Aragonum Regem Barcinonæ detento semel & iterùm se adspectabilem præbuisse; cum è custodia noctu eduxisse, ac propè Narbonam ipsum constituisse ipso die eidem sacro; quo loco ejus Reliquiæ laterent indicasse, utque Inventas honorificentiùs collocaret; ac ibi Fratribus suis idest Prædicatoribus Monasterium extrueret ac dotaret, præcepisse. Idem iisdem verbis narrat Bzovius ad annum 1283. Repugnat tamen Natalis Alexandre tom. 1. dissert. 17. seculi 1. Primò, quia liberatio Caroli non contigit ante annum 1288. sub Nicolai IV. Pontificatu, cui consentit etiam Pagius Breviar. Rom. Pont. in Nicolao IV.. Inventio autem Corporis B. Magdalenæ, ejusque præfati Principis jussu in loco honorificentiori collocatio, facta jam fuerat anno 1279., antequam captivus fieret.

XVIII. Secundò, quia Carolus ex illa captivitate redemtus fuit humanis mediis, præviis tractatibus, datis obsidibus, ac promisso pretio. Ita testantur gravissimi Historici tum Galli, ut Langius ad annum 1288., & Paulus Æmilius *in Philippo Pulchro*; tum Itali, ut Joannes Villani L.7. cap.114., Ptolemæus Lucensis L.24. hist., S. Antoninus tit.20. cap.4. §.9., Blondus L. 2. Decadis 2. cap.8., Platina in Nicolao IV. &c., Nicolaus enim ipso sui Pontificatus initio Idibus Martii nuntios misit Archiepiscopum Ravennatem & Episcopum Montis Regalis ad Al-

Alphonſum Aragonium, ut cum eo de liberatione Caroli agerent, diemque ei dicerent, quo ſe intra ſex menſes ſiſteret, rationem de omnibus Summo Pontifici redditurus, alioquin Divinarum humanarumque legum judicio contra ipſum ageretur. Conſtat hoc ex Nicolai IV. Epiſtola ad ipſum data. Monuit inſuper Nicolaus ac rogavit Philippum Galliarum & Eduardum Angliæ Reges, ut unà cum Joanne Choleto Cardinali S. Cæciliæ Legato Apoſtolico agerent de procuranda Caroli Principis libertate. Convenientibus porrò Eduardo & Alphonſo Regibus ad Pirenæi culmina in vico Campi-Franci, deductoque etiam illuc ipſo Carolo captivo, ut pacta Olorone anno ſuperiori conventa jurejurando coram firmaret; id præſtitit 4. Kalend. Novembris, tribus filiis obſidibus datis, & triginta millibus nummorum numeratis, nec non promiſſis triginta millibus in futurum perſolvendis. Is fuit modus liberationis Caroli Salerni Principis captivi Regis Aragonum, in quo nulla apparet Beatæ Magdalenæ ei apparentis miraculoſa liberatio.

XIX. Circa S. Martham, Locum, in quo ejus Corpus requieſcit, eſse Taraſcum, probat primò ejus inventio in ſacello ſubterraneo ejuſdem Eccleſiæ ſecuta anno 1187., & Conſecratio magnifici Templi in honorem ejuſdem Sanctæ facta 1. Junii anno 1197. ab Imberto Arelatenſi, & Roſtagno Avenionenſi Archiepiſcopis, cujus rei fidem faciunt ſequentia carmina vetuſtiſmis characteribus ſcripta & ad latus majoris Januæ ejuſdem Eccleſiæ poſita:

Viginti novies ſeptem cum mille relapſis
Anno poſtremo, nobis patet hoſpita Chriſti:
Mille ducentis tranſactis, minùs at tribus annis
Imbertus Præſul, Roſtagno Præſule ſecum,
In prima Junii conſecrat Eccleſiam.

Probat ſecundò Lapis marmoreus, cui hæc verba characteribus Romanis inſculpta ſunt: *Beata Martha jacet hìc*. Et tertiò: vetus Chronicon, quod ad calcem Operum Hugonis in Bibliotheca Regali Abbatiæ S. Victoris aſſervatur, in quo hæc habentur: *Corpus autem S. Marthæ dicitur eſſe ſepultum apud Taraſcum Oppidum propè Civitatem Arelatenſem.*

XX. De Loco verò, in quo S. Lazari Reliquiæ poſitæ primò fuerint, eas Maſſiliæ quieſcere conſtat ex facto Raymundi IV. Maſſilienſium Epiſcopi anno 1272.; de quo in vetuſtiſſimo Inſtrumento Maſſiliæ in arcula ferrea aſſervato hæc leguntur: *Raymundus Reliquias Sanctorum Lazari, Cannati, Mauronții, & Antonini Epiſcoporum Maſſilienſium, nec non Sanctorum Adriani, & Vi-*

& Victoris Martyrum Massiliensium, aliasque ferreo scrinio inclusas, visitat & veneratur & Populo ostendit. Idipsum probatur ex Pontificio diplomate Benedicti IX. dato pro Consecratione Ecclesiæ S. Victoris Massiliensis anno 1040., in quo speciatim inter alias recenset *Reliquias S. Lazari à Christo resuscitati*.

XXI. Dices tamen: Menologium, quod Cardinalis Sirletus Latinum reddidit 17. Octobris hæc habet: *Relatio pretiosarum Reliquiarum Sancti & justi Lazari, quas Reliquias celeberrimus ac fidelissimus Imperator Leo Divino zelo commotus, in Templo pulcherrimo sub ejus Sancti Viri nomine dicato ex Urbe Citiensi Constantinopolim translatas in argenteis loculis reposuit*. Porrò Citium Urbs est Insulæ Cypri, ex qua S. Lazari Reliquiæ circa annum 880. translatæ feruntur. Idem habent magna Græcorum Menæa die 17. Octobris hoc metrico prophonemate.

Constantinopoli relegens vestigia Christi
Talibus exclamat: Lazare adesto foras.

XXII. Respondetur primò, quòd cùm præfata Menologia Reliquiarum S. Lazari non *Corporis* meminerint, Reliquiarum, quas Leo Imperator transtulit, nomine intelligi posse alia quæcumque S. Lazari usibus inservientia, ut vestes, ornamenta Ecclesiastica, vel alia hujusmodi: Aut, si velis, aliquam etiam Corporis S. Lazari partem à Massiliensibus obtentam; cùm enim S. Lazarus fortè Cyprum profectus fuisset, ibique Episcopum egisset, antequam in Provinciam appelleret, contingere potuit, ut Cyprii speciali devotione erga S. Lazarum affecti, in honorem ejus Ecclesiam erigerent, & à Massiliensibus partem aliquam Corporis ejus obtinerent, quam Leo ex Citiensi Urbe, in qua collocata fuerat, Constantinopolim jusserit deportari.

Secundò responderi etiam posset, Græcos æquivocatione labi, sumentes pro Reliquiis Lazari Mariæ & Marthæ fratris Reliquias alterius Lazari Monachi, qui Citii in Cypro floruit anno 832., de quo Martyrologium Romanum 23. Februarii hæc habet: *Constantinopoli Sancti Lazari Monachi, qui cùm sacras Imagines pingeret, Theophili Imperatoris Iconoclastæ jussu, diris suppliciis excruciatur, & manus ei candenti ferro comburitur: sed Dei virtute sanatus, abrasas Imagines sanctas pingendo restituit, ac demum in pace quievit.* Hujus ergo Reliquias Leo Imperator Constantinopolim transtulit, quas cum Reliquiis Lazari Mariæ & Marthæ fratris Græci recentiores incautè confuderunt. Sed nimiùm in hac intricatissima quæstione Lectorem meum detinui.

CA-

CAPUT XI.

De S. Thecla Virgine ac Mulierum Protomartyre.

§. I.

Varia de S. Thecla Acta.

I. PRima, quæ tuendæ virginitatis ſtudio & Fidei ſervandæ ardore pluſquam virili conſtantiâ vitam pro Chriſto expoſuit, Thecla fuit: ideòque ſicut Virorum Stephanus, ita Feminarum Thecla Protomartyr in Eccleſia celebratur. De ea eximiè locuti ſunt Veteres:. optandum tamen fuiſſet, ut ſinceriùs ſcripſiſſent, nec vera fabulis involventes, quid tenendum quid rejiciendum, in obſcuro reliquiſſent. Refert ex Tertulliano (Lib. de Baptiſmo cap. 17.) S. Hieronymus de Script. Eccleſiaſt. in Luca, Presbyterum quendam in Aſia Acta Pauli & Theclæ ſcripſiſſe, ſed convictum apud Joannem, quòd Auctor eſſet libri, & confeſſum, ſe id amore Pauli feciſſe, ob id loco excidiſſe, ideſt à Presbyterio dejectum fuiſſe. Unde Euſebius L. 3. Hiſt. cap. 3. ea ſuſpecta habens: *Illa*, inquit, *quæ ejus* (Pauli) *Acta vocantur, in Scripturarum illarum numero, de quibus nulla eſt omninò dubitatio, habita eſſe, non equidem accepi*. Et demum Gelaſius in Concilio Romano *Acta Theclæ & Pauli apocrypha* pronuntiavit. Idem dixerat loco citato S. Hieronymus: ſed tamen ratio, quâ ad illa rejicienda movetur, nimis rigida videtur; dicit ea habenda eſſe ut apocrypha, quia Lucas individuus Pauli comes nihil eorum memorat: *Quale enim eſt, ut individuus comes Apoſtoli, inter cæteras ejus res hanc ſolùm ignoraverit?* Sanè cùm Lucas non ſolùm non memoraverit Leonem à Thecla baptizatum, ſed nec ipſius Theclæ unquam in Actis meminerit, dicendum eſſet, quòd omnia quæ de illa dicuntur, imò Theclam ipſam fuiſſe, apocryphum ſit: quod contra ipſum Hieronymum ſtaret, qui Epiſt. 22. Euſtochium ad amorem Virginitatis incitans dicit inter cætera, quòd inter alias S. Thecla ad eam amplectendam accurret. Igitur ex iis, quæ de S. Thecla feruntur nec omnia ſuſcipienda ſunt, nec omnia rejicienda.

II. De S. Thecla crebra in Menologiis Euchologiis & Hiſtoriis Græcorum mentio. Meminit & Gregorius Nazianzenus Orat. in laudem Athanaſii, & Exhort. ad Virgines, Orat. in Julianum, Orat. 18. in laudem S. Cypriani, & Carmine Jambico de Vita

Vita sua; Item Gregorius Nyssenus Orat. 14. in Cantica, Epiphanius hæres. 79. contra Collyridianos, Chrysost. hom. 25. in Acta. Ex Latinis Tertullianus lib. de Bapt. cap. 17., Ambrosius Epist. 7. & 81., & lib. 2. de Virginibus, Augustinus lib. 30. contra Faustum cap. 4., Sulpitius Severus Dialog. 2. cap. 14., Cyprianus Orat. pro Martyribus, & Orat. sub diem passionis suæ, Zeno Veronensis, Sixtus Senensis Bibliothec. in Paulo, aliique apud Baronium tom. 1. Annal. ad ann. 47., & in Notis ad Martyrol. die 23. Septembris.

III. Vitam S. Theclæ scripsisse fertur Basilius Seleuciæ in Isauria Episcopus, qui floruit circa annum 450., & Concilio Constantinopolitano contra Eutychetem interfuit. Hanc è tenebris se eruisse dicit Petrus Pantinus Decanus Bruxellensis, qui eam latinè vertit, Notisque illustravit, cui addidit aliam ex Simeone Metaphraste, utramque Antuerpiæ impressam anno 1608. Verùm & istas pluribus scatere fabulis, quibus olim Acta à Presbytero Asiæ conficta, à S. Joanne unà cum auctore proscripta, & à Gelasio Apocrypha declarata, censent Recentiorum plerique: præcipuè verò, quòd dicant, Falconillam in Paganismo mortuam fuisse Theclæ precibus ab inferis liberatam; Theclam à Paulo fuisse ad prædicandum & baptizandum missam, ejusque prædicatione Tryphenam, & numerosissimam ejus familiam ad Fidem fuisse conversam, & ab ea baptizatam; quod est contra Pauli sententiam, qui 1. Cor. 14. v. 34. Mulieres in Ecclesiis tacere vult: eam similiter non esse mortuam, sed vivam in terram sic Deo volente apertam ingressam; & alia. Propter quæ negant aliqui Librum illum esse Basilii, sed alterius Seleucensis nimis creduli, qui ea ex Actis apocryphis exscripserit: & ex hoc moventur, quia Photius Biblioth. Cod. 168. de Basilii Seleuciensis scriptis agens, dicit: *Idem verò Basilius ille est, qui primæ Martyris Theclæ præclarè gesta & certamina, atque victorias Metris prosequitur*: porrò non metricè sed solutâ oratione scripta est Vita, quam Pantinus prodidit. Huic tamen observationi satisfacere se putat Pantinus dicendo, vel mendum irrepsisse in Photiano Codice, ponendo *Metris* pro *Metrios*, idest fusiori stylo, quàm cæteri: vel utroque scribendi genere usum fuisse Basilium, & metro & solutâ oratione, sic Cicero idem præstitit de suo Consulatu, sic Tertullianus contra Marcionem, Sedulius in Opere Paschali, & alii: ita ut metricum opus exciderit, ac solum opus solutâ oratione confectum nobis remanserit. Cæterùm cùm nullus sit liber adeò nugis plenus, quin aliquid veri contineat; ideò Basilii Vitam Lectori meo pro-

ponam, relinquens, ut vera à falsis, certa à dubiis, maximè alios Patres consulendo, judicio secernat suo.

§. II.

S. Theclæ Vita ex Basilio Seleuciæ.

I. Thecla Iconii Lycaoniæ Urbe nata, stirpe nobili & Parentibus generis splendore & divitiis clara, cùm jam ætate nubilis, nec non oris venustate esset eximia, multos adolescentes ad sui amorem illexerat: cuidam tamen Thamyridi nomine, cæteris omnibus divitiis affluentiori & nobilitate clariori, in gratiam Theoclæ matris fuerat in sponsam promissa, prorogato tamen nuptiarum die. Contigit ergo, ut Paulus pro Gentium vocatione & salute Orbem percurrens, Iconium perveniret, atque ab Onesiphoro hospitio exciperetur, ubi de more statim ad ipsum accedentibus Christum prædicare cœpit. Onesiphori domus Theclæ domui contigua erat. Thecla ergo ad quandam suæ domus fenestram, alteri, quæ in Onesiphori erat ædibus, proximam accedit; & Pauli voce virginitatem extollentis utcumque exceptâ, primùm quidem ad eam utpòtè peregrinam & insuetam obstupuit; deinde ad pauculas, quas perceperat voces, Deo cor ejus tangente, adeò fuit commota, ut fenestræ illi quasi clavo confixa adhæserit. Prosequente autem in dies sermonem Paulo de carnalium voluptatum contemtu, & confluente ad eum Populi multitudine, Thecla gratissimæ sibi fenestræ adhærens Paulum quidem non videns, sed voce adeò commovebatur, ut à fenestra divelli non posset, nec ut vel cibum potumque sumeret; imò virginitatis amore concepto omnia corporis ornamenta rejiceret.

II. Hæc observans Theoclea mater, primò eam monere ac dehortari, deinde increpare cœpit; sed cùm nihil ipsa proficeret, Thamyridi futuro sponso totum indicavit, monens ipsum, ut Theclam à proposito deterreret. Commotus ille puellam adit, & primò quidem tristi ac demisso vultu illacrymans rogat, obtestatur, ut à deceptoriis ignoti hominis consiliis animum avertat, & datæ sibi fidei memor sit. Ad hæc Thecla, ne Thamyridem quidem & matrem præsentem aspiciens, immota perstitit, nec matri idem postulanti verbum protulit. Quarè amore in furorem verso Thamyris ex ædibus prosiliens ad ostium atrii Onesiphori properat, ad ipsum Paulum rectà contendens; repressit tamen impetum, cùm ibidem in Demam & Hermogenem

nem simulatè Pauli comites, reverà tamen infensos ejus hostes, incidisset. Ab his percontari cœpit Thamyris, quis Paulus, cujas esset, quid vellet, quid diceret, quid moliretur. Hi occasionem nacti venenum hactenùs reconditum contra Paulum evomuerunt. Quo magis exasperatus Thamyris extrema adversùs Paulum machinabatur; pro tempore tamen sibi temperans eos ad convivium secum invitavit, quo ad calumnias in Paulum struendas promtiores haberet.

III. Aucto inter epulas furore, à mensa surgunt, & aliis confluentibus, tumultuosè ad raptandum Paulum festinant, Thamyride ipso manu prehensum ad Judicem trahente, & quòd matrimonia destrueret, ut cælibatum extolleret, accusante; Demâ & Hermogene addentibus, quòd Christianus esset & Christum prædicaret, quod Legibus adversatur. Judex his auditis, præcepit Paulo, ut causam suam diceret ac se defenderet: cui Paulus luculentâ oratione & erecto animo satisfecit: adeò ut Judex admiratus, nihilque animadversione dignum in eo inveniens, sed nonnulla tanquam sibi nova irridens, eum dimittere cogitaret; sed turbas in eum concitatas remorari putans, eum in carcere detineri jussit, tanquam illum iterùm auditurus.

IV. Thecla interim horum ignara, sed populari voce postea edocta, facinus animo concipit, puellam imò & feminam superans, perpetratque. Mundum omnem muliebrem, quem domi habebat, armillas, inaures, aliaque pretiosa vanitatis ornamenta colligit ac secum defert; custodem ostii propriæ domus armillarum dono corrumpit, & noctu egressa ad carcerem pervenit, & simili donorum largitione carceris Præfectum pertrahens, portasque apertas nacta intùs ad Paulum accurrit. Ingressa, & propiùs conspecta, omnes qui tunc aderant & Paulum ipsum pavore concussit: qui tamen spe erectus illam compellans etiam propè se assidere fecit, sermonesque de rebus cælestibus ac Divinis cum ea communicavit, & ut fortis esset ad omnia mala, quæ ipsi eventura essent, adhortatus est. Sic pertransitâ nocte, cùm jam illuxisset, Solque radios jam diffunderet, puellæ omnes atque ancillæ ante cubiculum Theclæ excubare solitæ circum illud obversabantur, tanquam Dominâ de lecto mox surrecturâ, consuetaque ab eis ministeria mox petiturâ: sed multo jam Sole supra terras sese efferente, nec Theclâ eas vocante, aliquid mali ei accidisse suspicatæ, unà omnes in cubiculum irrumpunt, ubi Theclam non invenientes, clamoribus & ejulatibus totis ædibus personant. Quibus Theoclea mater accurrens, exanimis prorsùs, voce omni præclusâ, reddita

 est.

est. Voce per totam Urbem evulgatâ, Thamyris supervenit, qui multis adhibitis diligentiis, ab uno tandem ex famulis Virginem apud Paulum esse intellexit.

V. Quantâ irâ ad hoc nuntium fuerit abreptus Thamyris, cogitet quispiam. Quòd Thecla aufugisset, & quòd ad Paulum, cui adeò devinctam noverat, ejus zelotypiam accendit, & ad lasciviæ suspicionem illicò traxit. Furiis ergo invectus ivit ad carcerem, ubi Theclam ad Pauli pedes assidentem conspicatus, parùm abfuit, quin præ tristitia in deliquium incideret. Resumtâ tamen irâ corripiens Paulum per servos, quos secum ducebat, illum in Prætorium traxit, nihil contra ipsum eorum, quæ vel ira vel zelotypia suadet, dicere prætermittens, ut etiam Cestillius (hoc nomen Proconsuli) licèt Pauli sermone captus, & eorum affectu quæ dixerat, audiens tamen, quæ contra ipsum dicebantur, quòd honestam ac nobilem Virginem mancipii instar clam abduxisset, necnon eam ad ignominiosa sollicitasset, Paulum modicè flagellatum, ne quid gravius ulteriùs pateretur, ex Urbe dimisit.

VI. Ductâ subinde ad Tribunal etiam Theclâ, matre adversùs eam conclamante, ut pœnas lueret, licèt incomtâ corpore, vultu tamen severo modesto & gravi ac simul intrepido, omnes & ipsum Judicem ad pietatem commovit. Judex blandè eam allocutus hortatur ad matrimonium cum Thamyride ineundum; at ipsâ nihil omninò respondente, cùm Cestillius judex, quid sibi agendum esset dubitaret, Theoclea mater insano furore abrepta exclamare cœpit: *Uratur & pereat*. Quibus, & potentiâ Thamyridis commotus Judex Theclam igni tradi jubet. Illicò lignis per omnes undique comportatis, & flammâ jam ad æthera ascendente pyram Virgo ascendere jubetur. Quæ nihil permota, imò vultu hilari ac intrepido dum id facere parat, Christi apparitione sub Pauli specie confirmatur, & figurâ Crucis sese priùs consignans, imò expansis manibus se totam in Crucis formam componens in pyram insilit ac se flammis committit. Sed pyra loco thalami Virgini fuit: ignis in altum elatus Virginem à conspectu impudicorum muniens, in tegumentum honestatis ejus conversus, nihil nocumenti ejus corpori intulit. Terra quidem tantum facinus detestata tremore concussa fuit, & aer priùs serenus subitò coopertus nubibus imbrem & grandinem tanto impetu emisit, ut Iconiensium plurimos, cæteris fugientibus, suffocarit, & Thecla illæsa sola remanserit.

VII. Dum hæc Iconii agerentur, Paulus extra Urbem in in quodam sepulcro de omnibus à Deo monitus pro Thecla orans

orans cum Onesiphoro & ejus familia versabatur. Hujus quidam ad procurandum cibum Iconium missi, in Theclam circumquaque commeantem inciderunt, qui ipsam agnoscentes, ad Paulum deduxerunt, quem humi prostratum ac pro se orantem inveniens, se liberatam ab igne & violentia Divinâ ope conclamavit. Auditâ Virginis voce cum impetu è terra exiliens Paulus, ei unà cum Onesiphoro & aliis gratulatus est. Volente autem Theclâ ementito habitu & tonsâ comâ Paulum comitari, initio quidem Paulus eam dehortatus est, quia tempori & statui puellæ hoc non congrueret, & gravioris mali periculum utrique imminere posset. Illâ tamen asserente, quòd Deus, qui in pyra ei auxilium præbuit, auxilium & in aliis periculis foret allaturus, tantùm Paulus sibi impartiret; acquievit ille, eamque itineris comitem acceptans, post exigui temporis spatium se illi Baptisma collaturum promisit. Quo dicto remisso Onesiphoro cum suis Iconium, ipse itineri se commisit.

VIII. Non procul erat Antiochia Syriæ; huc ergo iter cum Thecla direxit, sed vix ad portas urbis pervenit, cùm Alexander quidam natione Syrus vir nobilis & potens in virginem oculos conjiciens, amore illius adeò inflammatus est, ut sustinere ampliùs non posset. Eam ergo à Paulo requisivit: sed cùm Paulus diceret, nihil ad se mulierem pertinere, imo nec an sit omnino mulier liquidò sibi constare, Alexander amore furens Virginem amplectitur, & furiosè impellit. Exclamavit illa, vimque sibi illatam repellere conabatur: tandem facinus majoris animi quàm puellæ meditata, clamydem qua indutus erat, dilacerat, & coronam auro confectam illi è capite detrahit, sicque coram omnibus pudoris trophæum statuit. Alexander hâc contumeliâ irritatus frendens ad Tribunal properat & Theclam ad judicium rapit. Ridere tamen ista, omnemque Judicis sententiam contemnere, imò martyrium velut pudicitiæ coronam exoptare. Divinâ autem Providentiâ ei præstò fuit. Inter feminas, quæ evulgatâ Theclæ virginis famâ accurrerunt, una fuit Tryphena nomine Regii sanguinis propinquitate illustris, opibus affluens, pietatis ac honestatis vitæ & morum studiosa. Hæc igitur tum miseratione erga Theclam commota, & ut etiam dolorem nuper amissæ Falconillæ filiæ leniret, eam apud se suscepit. At vix unâ interjectâ die, Thecla ab Alexandro producitur feris objicienda: Tryphena vel nolens sequitur, Urbs tota convenit ad spectaculum. Leæna omnibus ferocior in Theclam immittitur. Sed mirum! Bestia suæ feritatis oblita, velut catella ab ipsa enutrita Virgini adsidit, eique caudâ circum pedes

pedes blanditur, quod passim omnes admiratione replevit & maximè Tryphenam, quæ partim miseratione partim miraculo conterrita, partim eorum quæ de noctu in visu conspexerat, Theclam ad se iterùm reduxit.

IX. Visus autem talis fuit. Tryphenæ dormienti adstans Falconilla matrem in hæc verba alloqui visa est. Luctum hunc, quem meâ causâ sustines, ut posthac deponas, precare Theclam, quam loco mei ut filiam suscepisti, ut pro me Deum oret, quo ipsius aspectum consequi, & in justorum sedes transcribi possim. His dictis Falconilla avolare visa est. Tryphena ad Theclam, quæ apud se cubabat, conversa: mea filia, inquit, à Deo mihi data, roga Regem Christum, ut filiæ meæ quietem vitamque sempiternam in tui gratiam largiatur, & quod ipsi in fide defuit tuâ intercessione suppleatur. Ad hoc paratissimam sese exhibens Thecla rogavit Deum: „ Christe Rex Cœli da famulæ tuæ Tryphenæ, ut voti de filia sua compos reddatur, nempè ut anima ejus animabus illorum, qui in te pridem crediderunt, adnumeretur, & Paradisi epulis deliciisque perfruatur „. Porrò has Theclæ preces à Deo fuisse exauditas, signum fuit, quòd Tryphena numquam postea filiæ Falconillæ obitum luxit.

X. Narratio hæc totam Theclæ historiam suspectam reddit. Quomodò enim pro Falconilla in Infidelitate mortuâ, & proinde in perpetuum inferis damnatâ, Thecla orare potuit, ejusque oratio à Deo exaudiri? Conatur tamen Pantinus eam tueri auctoritate Damasceni Orat. de iis, qui cum fide ex hac vita decesserunt, dicentis: *Numquid non Falconillam princeps Martyr (Thecla) post mortem servavit? Sed dices fortassis: eo ipso nomine, quòd Princeps Martyr erat, meritò id consecutam, æquumque fuisse preces ejus exaudiri. Ad quod ego respondeo petoque: cujus nam causâ hæ preces illius institutæ? nempè pro Gentili, Idolorum cultrice prorsùsque profana, & à Deo aliena operatrice.* Idem tueri conatur ex Metaphraste in Vita B. Theclæ. Et addit, totam rem hanc Theologorum placitis posse defendi, sic statuendo, Falconillæ animam nondum perpetuæ condemnationi fuisse addictam; supremumque omnium Judicem cùm prævidisset fundendas à D. Thecla ferventissimas preces pro perpetua illius conservatione, passum fuisse se flecti, sententiamque particularis judicii distulisse, designato interim loco, ubi quousque tempus illud advenisset, adservaretur, citatque Richardum, Durandum, Sixtum Senensem Biblioth. L.6. Annot. 47. & 311., & D. Thomam in 4. dist.44. q.2. art.2. q. 1. ad quintum, ubi de anima Trajani precibus S. Gregorii liberata & aliis dicit, quòd

quòd probabiliter æstimari posset, non fuisse finaliter in Inferno deputatos. Sed cùm ordinarius Justitiæ Divinæ ordo sit juxta illud Ecclesiastæ 11. v.3.: *Si ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, nec certò appareat, Deum cum aliquo in hac lege de facto dispensasse, propterea similes narrationes, ut alibi dixi, suspectæ sunt.

XI. Nunc ad Theclam revertamur. Dum Tryphena adhuc eam alloqueretur de Falconilla, ecce milites à Præside missi cum mandatis, ut Virginem per vim abriperent. At Tryphena cùm viribus impar esset, & cedere violentiæ cogeretur, Virginem manu prehendens unà cum militibus perrexit. Urbs tota ad theatrum accurrerat, ubi Thecla bestiis iterùm erat exponenda. Cùm igitur eò pervenisset, è manibus Tryphenæ vi extortâ ac vestibus denudatâ, primò Leænæ iterùm objicitur: sed hæc ut cominùs ad eam accessit, ad pedes Virginis (ut ante) procumbens, à cæterarum belluarum incursu ipsam tuebatur. Ursam quippè omnium ferocissimam in eam irruentem protinùs discerptam perdidit; cùm Leone autem furiosiùs in illam insiliente congressa, pugnansque, tandem cum ipso interiit, ingenti Spectatorum planctu quòd Thecla fideli auxiliatrice esset destituta. Aliis ergo feris in ipsam immissis, Deum precata, ac propè piscinam aquæ & in ea marinas belluas, ad sui exitium comparatas innatantes, intuita, in aquam illam insiliit clamans: *In nomine tuo Domine, ultimâ hâc die baptizor* (Baptismo quidem flaminis; nam fluminis baptismo nemo se ipsum baptizare potest.) Verùm de repente ignis cœlestis circumcirca refulgens, & in aquas delapsus, belluas propriâ agendi facultate exuit, & Theclæ nuditatem operuit.

XII. His nihil commotus, sed violentiori rabie incensus perfidus Alexander, aliam bestiarum multitudinem comparat, sed mediâ inter illas absque metu & læsione Theclâ incedente, permissu Præsidis Tauros educi jubet, & ad naturalem eorum feritatem augendam fubulas igne candentes feminibus Taurorum admovet. Sed hâc viâ etiam se superatum invenit: nam ignis Tauros quidem interemit, at Virgo nec leviter quidem attacta incolumis mansit. Tryphena diutiùs tam atrocia ferre non valens deliquium passa, è Theatro elata fuit. Quin & Alexander ipse contremiscens, pronusque in terram se demittens, rogavit Præsidem, ut feminam, cujus causâ tot turbæ excitatæ fuerant, velut præstigiatricem ab Urbe exterminaret. Ad hæc gavisus Præses, se à judicio adeo iniquo ac violento expeditum, Theclam propiùs ad se accitam interrogat, quænam esset, & quâ

quâ virtute aut arte belluas superasset. Cui illa, ut par erat, à veri Dei assistentia, quam ipsa colebat, totum hoc evenisse, non magicâ, ut putabatur, arte, respondit, aliaque multa tantâ Virgine digna adjecit, ut Præses tum animi ejus firmitatem plus quàm virilem, tum in dicendo gravitatem atque sapientiam admiratus, solitis ipsam vestibus indui jusserit, & honorificâ in laudem ejus ad Populum habitâ allocutione eam dimiserit.

XIII. His publicâ Populi acclamatione terminatis, multæ mulieres incitato cursu ad Tryphenam pergentes lætum ei de salute Theclæ, jamque ad ipsam properantis, nuntium attulerunt. Quo illa accepto animari rursùm ac reviviscere cœpit. Ubi autem Theclam adspexit, apertis brachiis accurrens, seque illi conglutinans, verbis amore plenis est complexata. Cùm ergo tantus ibi factus esset conventus lætantium ac de Deo loquentium, adeò ut Tryphenæ ædes Ecclesia potiùs quàm domus videretur, Thecla occasionem nacta sermonem de Christi Fide habuit, & Tryphenam ejusque servos & ancillas aliosque numero non paucos Christo conciliavit, & per Baptismi signaculum ipsius militiæ adscripsit. Verùm enixè cupiens adire Paulum, resciens eum Myris Urbe Lyciæ morari, nihil cunctata, Viri in modum ut formam suam celaret induta, comitibus Tryphena & famulis suis, exiguo terræ marisque itinere Myram pervenit, ubi inveniens Paulum de more docentem ac Discipulos Christo comparantem, ac subitò adstans, omnes & Paulum ipsum scientes, quæ ei Antiochiæ acciderant, stupore replevit. Paulus interim Thryphenæ benè comprecatus, post multa cum Thecla colloquia, eam ad prædicandum mittens: *Abi igitur*, inquit, *& Verbum doce, Evangelicumque cursum perfice, & in partem mei pro Christo laboris veni.*

XIV. Thecla igitur ea, quæ à Tryphena dono acceperat, argenti magnam vim, multique pretii vestem colendis juvandisque pauperibus Paulo relinquens, eique *commenda me Christo* dicens, iter Iconium capessit. Quo confecto, Urbemque ingressa, præteritâ matre, propinquis, & propriâ domo, in ædes Onesiphori divertit; conspicata autem locum, in quo sedens Paulus docuerat, prona in eum procumbens osculata est, varia interim erga Magistrum suum amoris & venerationis exhibens testimonia. Quibus dictis, pauca de fide & ratione vitæ Christianæ cum matre Theoclea (mortuo jam Thamyride) collocuta, Seleuciam se properanter contulit. In hac igitur Civitate diversata, eâque delectata, verticem montis vicinum, qui ad meridiem assurgit, occupans, hunc suæ habitationis locum delegit, ac se con-

contra Sarpedonem dæmonem, qui in crepidine maris imminente consederat, multosque decipiebat, nec non contra Minervam Arcium custodem, murum validum opponens, errores ibi regnantes destruxit; ac salutis verbo annuntiato, cùm multos Christianæ doctrinæ præceptis imbuisset ac Baptismi nota insigniisset, post plura edita miracula, quibus cunctos ad Fidem, pertraxerat, haudquaquàm vitâ defuncta est, sed viva subsidens in terram ingressa, quæ Deo ita volente in ejus gratiam discessit, seque illi aperuit in loco, quo Divina ac sacra Liturgiæ mensa constructa, non ampliùs apparuit, continuis inde coruscantibus miraculis celebrem sui memoriam relinquens. Hæc de Theclæ Vita & fine è Basilio Seleucensi summatim excerpsi.

XV. Aliqua tamen, ut dixi, sunt, quæ negotium facessunt. Primum, quòd femina baptizandi & prædicandi officium usurpaverit; & quidem jubente Paulo, qui tamen expresè feminis hoc interdicit 1. Cor. 14. v. 34. & 1. ad Timoth. 2. v. 11., quod confirmatum fuit in Conc. Carth. 4. cap. 99., à Tertulliano L. de velandis Virginibus cap. 9. L. de Bapt. cap. 17. & L. de Præscript. cap. 41., & Epiphanio hæres. 42. & hæres. 49.

Secundum, quòd pluries induta veste virili apparuerit, contra illud Deuteron. 22. v. 5.: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea, abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc*. Quod insuper totonderit sibi comam, contra illud Pauli 1. Cor. 11. v. 5.: *Turpe est mulieri tonderi aut decalvari*.

Tertium, quòd mortua non fuerit, sed vivens terram sit ingressa.

XVI. Hæc tamen effugere conatur Pantinus. Primum quidem, dicendo quòd baptizare viâ ordinariâ & extra casum necessitatis, ac præsentibus & valentibus viris, feminæ prohibentur, & hoc reprehendebat in mulieribus Marcionitarum Tertullianus. Cæterùm necessitate urgente, ex caritate non ex officio, absentibus vel non valentibus viris, licet laico sive viro sive feminæ, sive Christiano sive Pagano, modò debitâ formâ & intentione id faciat, baptizare. Eodem ergo necessitatis & caritatis impulsu, ubi non adsunt viri qui doceant, docere potest mulier. Sicque baptizavit & docuit Thecla, nimirùm ubi viri deerant, non ex auctoritate sed caritate, non suo impulsu sed Paulo instigante ac jubente, & extraordinariâ Spiritus Sancti missione, qui linguas etiam infantium facit disertas; hoc fecit & Martha Massiliensium Magistra, hoc Catharina cum Philosophis disputans eosque revincens. Fecerunt & aliæ. Demum Theclæ factum fuisse gratum, multiplex Infidelium ad Fidem per ipsam conversio manifestat.

XVII. Secundum etiam evadere conatur dicens, quòd temerè quidem & sine ulla ratione vestem virilem assumere mulieri vetitum est, ut habetur in Deuteronomio loco citato; non tamen si gravis urgeat causa, unde S. Thomas 2.2. q.169. ar.2. ad 3.: *Potest tamen*, inquit, *quandoque hoc fieri sine peccato, propter aliquam necessitatem, vel causâ se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid hujusmodi*. Licuit ergo Theclæ vel suæ pudititiæ causâ tuendæ, vel se ab hostibus occultandi, virili habitu ad Paulum accedere. Sic Natalia Adriani Martyris uxor, cùm Maximianus mulierum ad viros in carcere condemnatos ingressum prohibuisset, viriles vestes assumsit, quo vir existimata introduceretur, & quæ opus erant, Sanctis subministraret. Sic Theodora idem fecit Antiochiæ, ut pudicitiam tutaretur. Sic Eugenia Philippi Proconsulis Alexandrini filia, Marina atque Euphrosina virgines sanctitate celebres habitu virorum amictæ in virorum Cœnobium profectæ sunt, & Pelagia Antiochena in loca deserta, sic aliæ & quidem rectè. De capillorum tonsione eadem dicenda sunt.

XVIII. Tertium evadere possumus dicendo, Theclam vivam quidem terræ seu petræ hiatum ingressam esse, sed hiatu clauso, ibi in pace obiisse: unde Metaphrastes in Theclæ Vita hoc factum ita describit: *Vidit ante se petram apertam quantum homini recipiendo satis esset. Quarè illa prout ipsi præceptum fuerat manibus se tenentium elapsa, in petram se immisit, cujus statim ambæ partes coiere, itaque in unum coaluere, ut nulla omninò junctura appareret*.


Sed ejusmodi an vera sint, an nugacis ingenii additamenta, alteri ut dixi decernendum relinquo. Hoc certum mihi est, in Thecla femineum sexum constantiæ in Fide Christo obtulisse primitias; eam propterea celebrant Patres supra relati, tanquam eam, quæ matris ac sponsi diras persecutiones superavit, quæ multa ob Christi Fidem passa est, quæ feris discerpenda exposita, eas obsequentes habuit; quæ ab igne immunis exivit, quæ tandem vitam virginitate & martyrio coronavit. Estò enim in pace tandem eam obiisse multi sentiant, tanta tamen passa pro Christi Fide est, in quibus vitam naturaliter amisisset, nisi miraculosè à Deo præservata fuisset: hoc autem ad Martyrium satis esse alibi ostendi. Ab Ecclesia proinde ut Virgo & Martyr, imò feminarum Protomartyr Thecla in Martyrologiis celebratur. Vide quæ dixi Cap.5. de S. Joanne Evangelista §.4. n. 4.

XIX. Ad Fidem conversa fuit à Paulo Iconii annum agens decimum octavum ætatis, anno verò Christi 47., vel 45. secundùm alios. Si Metaphrasti in Lib. de Vita Theclæ credimus, obiit

obiit annos agens nonaginta, nimirùm decem & octo cùm fuit ad martyrium rapta, & reliquos septuaginta duos in solitudine montis, ad quem se recepit. Incredibile tamen videtur, quòd idem Metaphrastes ibidem dicit: nempè quòd sese in petram divinitùs sibi apertam injiciendo obierit, ut violentiam impurorum eam quærentium ad libidinem effugeret. Cui enim in mentem venerit, ut vetula annum agens nonagesimum, ætate & vitæ austeritatibus penè consumta, ad libidinem quispiam etiam impurissimus excitarit? Hactenùs de S. Thecla. Aliæ superessent feminæ, quæ ætate Apostolorum pro Veritate Religionis Christianæ invicto animo testimonium præbuere. Sed quia mei præsentis Operis argumentum non est Acta SS. Mulierum texere; in hisce duabus Maria Magdalena & Thecla omnium sequentium exemplar propono: in prima Pœnitentiæ & Amoris erga Christum: in altera Virginitatis & Fortitudinis in tormentis pro Christo.







INDEX RERUM

Quæ in hoc quinto Tomo continentur.

A

Ania-

B

D

L

Q

R

S



FINIS.



